



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cursus Theologico-Moralis**

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus

Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat de Legibus, de Præceptis  
Decalogi, de Restitutione, ac de Contractibus

**Viva, Domenico**

**Patavii, 1723**

Pars Quarta De Contractibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40673**

**CURSUS**  
**THEOLOGICO-MORALIS**  
Tomus Prior

Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat  
de LEGIBUS, de Præceptis Decalogi,  
de Restitutione, & de Contractibus,  
Ad usum Tyronum elucubratus,

*Et in Quotidianis Prælectionibus*

**A P. DOMINICO VIVA**  
SOCIETATIS JESU  
SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORE  
Suis Auditoribus Traditus

*In Palaestra Collegii Neapolitani ejusdem Societatis,  
Cupientibus, atque instantibus Moralis Theologiæ Candidatis*  
IN LUCEM PUBLICAM EDITUS,  
AC DICATUS

*EXCELLENTISSIMO PRINCIPI*  
**D. MARCO ANTONIO**  
**BORGHESIO**  
SULMONÆ PRINCIPI, ac ROSSANI,  
PROREGI JAM NEAPOLITANO, &c.

*PARS QUARTA*  
DE CONTRACTIBUS



PATAVII, Ex Typographia Seminarii, MDCCXXIII.  
Apud Joannem Manfrè.  
SUPERIORUM PERMISSU, ac PRIVILEGIO.

CURSUS  
THEOLOGICOMORALIS

Tertius Prior

Quod est, que Moralis Theologia disputat  
de peccatis, de virtutibus, de  
de Reformatione et de Contractibus

Ad usum Tyrannum elucidatas

In laudibus Praefatione

A P. DOMINICO VIVA

SOCIETATIS IESU

SACRAE THEOLOGICAE PROFESSORIS

Suae Auditoribus Traditus

In Regali Collegio Praeceptorum eiusdem Societatis

et in Collegio Theologiae Cantabrigiae

IN PRAESENTIA P. R. P. P. P.

AGRICOLA

RECTORIS COLLEGII

D. MARCO ANTONIO

BORGHESE

MEMORIS PRINCIPIS, et ROSSANI

PROFECI JAM BRACONIANO, et

ALII ALII

DE CONGRATULATIONIBUS



ATAH. EX Typographia Societatis IESU, MDCCCLII

Apud Typographum

IN PRAESENTIA P. R. P. P. P.

# I N D E X

## QUÆSTIONUM, ET ARTICULORUM,

Qui in hoc Quarto Tractatu Theologico-Morali de  
CONTRACTIBUS continentur.

### Q U Æ S T I O P R I M A.

De Contractibus in genere.

ART. I. Quid, & Quotuplex sit Contractus?	2
ART. II. Quam obligationem pariat Contractus?	9
ART. III. An sit validus Contractus per errorem, dolum, aut metum celebratus, vel sine solemnitatibus Juris?	8
ART. IV. Utrum Juramentum confirmet Contractus?	15
ART. V. Quinam possint contrahere?	18
ART. VI. Ex qua culpa Contrahentes teneantur ad Restitutionem in Contractibus?	21
ART. VII. Cuiusmodi competat Restitutio in integrum, si ex aliquo Contractu laesus sit?	23
ART. VIII. An obliget Contractus celebratus sub Causa, Modo, Demonstratione, vel Conditione?	25
ART. IX. Expediuntur reliqua ad Contractus spectantia.	30

### Q U Æ S T I O I I.

De Emptione, & Venditione.

ART. I. Quid sit Emptio, & Venditio?	33
ART. II. Quenam res emi, vel vendi possunt?	34
ART. III. De Pretio justo rerum venalium.	39
ART. IV. An Monopolia, & Negotiatio sint illicita?	49
ART. V. An debeat Venditor aperire vicia rei venditæ?	53
ART. VI. Ad quem spectent fructus rei venditæ?	54
ART. VII. Utrum res vendita pereat, vel deterior fiat in damnum emptoris, an venditoris, ante, vel post traditionem?	58

### Q U Æ S T I O I I I.

De Mutuo, & Usura.

ART. I. Quid, & Quotuplex sit Mutuum? Et quinam a restituenda re mutuata deobligentur?	60
ART. II. Quid, & Quotuplex sit Usura, & quo Jure prohibita?	62
ART. III. An quævis obligatio imposta Mutuatario sit Usura?	65
ART. IV. Quotupliciter potest aliquid ultra sortem exigi citra Usuram?	68
ART. V. Expediuntur, quæ spectant ad Usurarium.	77

### Q U Æ S T I O I V.

De Censibus, seu Redditibus annuis.

ART. I. Quid, & Quotuplex sit Census?	
ART. II. De Conditionibus Jure naturali requisitis, ut Census sit licitus, & non usurarius.	83
ART. III. De Conditionibus Jure positivo requisitis ad Contractum Census.	87
ART. IV. Expediuntur, quæ supersunt de Censibus.	91

### Q U Æ S T I O V.

De Emphyteusi, Feudo, & Libello.

ART. I. Quid, & Quotuplex sit Emphyteusis, Feudum, & Libellus?	93
--	----

ART.

ART. II. De Conditionibus Fendi, & Emphyteusis.	96
ART. III. Quinam possint in Fendum, vel Emphyteusim dare, aut accipere, & succedere? Et quando Fendum amittatur?	98

Q U Æ S T I O VI.  
De Cambiis.

ART. I. Quid, & Quotuplex sit Cambium?	100
ART. II. An Cambium minutum ferat pactionem usuram?	101
ART. III. An Cambium locale contineat usuram?	103
ART. IV. De Conditionibus a Pio V. requisitis ad Cambium locale, ne sit seccum, & usurarium.	107
ART. V. De Cambio secco.	

Q U Æ S T I O VII.  
De Locatione, & Conductione.

ART. I. Quid sint hi Contractus, & quonam locum possint?	110
ART. II. Quid ferant Locatio, & Conductio?	113
ART. III. De Conductione famulorum, & aliorum Officialium.	116

Q U Æ S T I O VIII.  
De Promissione, & Donatione.

ART. I. Quid importet Promissio, & Donatio?	120
ART. II. Quando obliget Promissio, ac Donatio; Et quomodo?	122
ART. III. Quinam donare possunt, & quantum?	130
ART. IV. Quando possit Donatio revocari?	133
ART. V. De Promissione, & Donatione conditionalibus.	135

Q U Æ S T I O IX.  
De aliis præcipuis Contractibus.

ART. I. De Fidejussione, Affecuratione, Pignore, & Hypotheca.	137
ART. II. De Deposito, Commodato, & Precario.	140
ART. III. De Contractu Societatis.	144
ART. IV. De Ludo, & Sponsione.	148
ART. V. De Quasi Contractibus.	154

Q U Æ S T I O X.  
De Testamentis, Legatis, & aliis ultimis Voluntatibus.

ART. I. Quid, & Quotuplex sit Testamentum; Et quanam ejus Conditiones?	157
ART. II. De Testamentis Privilegiatis.	159
ART. III. Quinam testari possint, & Testamentum revocare?	161
ART. IV. Quinam possint Hæredes institui?	163
ART. V. De Renunciatione Hæreditatis.	167
ART. VI. De Codicillis.	169
ART. VII. De Substitutione Hæredis, & Fideicommissis.	170
ART. VIII. De Legatis, & Fideicommissis particularibus.	172

F I N I S.

CUR.

# CURSUS THEOLOGICO-MORALIS

Ad usum Tyronum elucubratus.

PARS QUARTA.

## DE CONTRACTIBUS.

### Prooemium.



OST tractatum de Restitutione jure merito disceptatur de Contractibus; Etenim cum per Contractuentium voluntates dominia transferantur, discutendum quantum Juris ex unoquoque Contractu, aut quasi Contractu comparetur, ut plene dignoscere possimus, quid nostrum sit, quid alienum, quid retineri possit, quid restituere teneamur. Magnum profecto molimur opus, & omnibus apprime necessarium, cum homines quotidianis Contractibus implicentur. Agemus proinde prius breviter de Contractibus in genere, deinde ad singulos descendemus speciatim agendo in secunda quaestione de Emptione, & Venditione. In tertia de Mutuo, & Usura. In quarta de Censibus. In quinta de Feudo, Emphyteusi, & Libello. In sexta de Cambiis. In septima de Locatione, & Conductione. In octava de Promissione, & Donatione. In nona de aliis frequentioribus Contractibus, nempe De Fidejussione, Assuratione, Pignore, & Hypotheca, De Deposito, Commodato, & Precario, De Contractu Societatis, De Ludo, & Sponsione, ac De Quasi Contractibus. In decima demum de Testamentis, Codicillis, Legatis, Fideicommissis, & id genus aliis.

*Pars IV.*

A

QUÆ-

# QUÆSTIO PRIMA.

## De Contractibus in genere.

Inquiremus Primo, Quid, & Quotuplex sit Contractus? Secundo, Quam pariat obligationem? Tertio, An sit validus, ubi per dolum, errorem, aut metum celebretur, vel sine solemnitatibus requisitis? Quarto, Utrum Juramentum confirmet Contractus? Quinto, Quinam possint contrahere? Sexto, Ex quam culpa ad restitutionem teneantur Contrahentes? Septimo, Quibusnam concedatur restitutio in integrum? Octavo, An Contractus, vel Dispositio, celebrata sub causa, modo, demonstratione, aut conditione obliget? Denique, quæ supersunt de Contractibus in genere summatim explicabimus.

### ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Contractus?

- I. Contractus presse sumptus fert in utroque Contrahente obligationem; At late sumptus, ut in presenti, fert obligationem saltem in uno contrahentium.
- II. In hoc sensu definitur, quod sit Duorum, vel plurium consensus, atque conventio.
- III. Quatuor modis Contractus perficiuntur, Consensu, Verbis, seu certa Verborum forma, Scriptura, & Rei traditione.
- IV. Contractus dividitur in Nominatum, & Innominatum, qui quadruplex est, do ut des, facio ut facias, do ut facias, facio ut des. Item in Nudum, qui jure civili non parit actionem in foro externo, & Vestitum, qui illam parit, quod sex modis evenire potest.
- V. Dividitur etiam in Gratuitum, seu lucrativum, & Onerosum; Necnon in Contractum bone fidei, & Stricti juris: Et in illum, qui est in favorem recipientis, & qui in favorem tradentis, aut utriusque.
- VI. Demum dividitur in Formalem,

seu expressum, & Virtualem seu implicitum, qui etiam dicitur Quasi Contractus, quatenus rationabiliter presumitur adesse mutus consensus, ut in Tutela, Mandato, Curatore.

- I. Sumi potest Contractus stricte, & proprie, itaut ferat in utroque Contrahente obligationem, ut est Emptio, Mutuum, & similes; Et potest late accipi pro Conventione duorum, vel plurium, itaut complectatur tam Contractus, qui in utroque, quam Contractus, qui in uno saltem obligationem pariant. In hoc secundo sensu a nobis de Contractibus agendum; siquidem etiam Donatio, & Promissio acceptata dici possunt Contractus, quamvis obligationem solum inducant in Donante, & Promittente, non vero in Donatario, ac Promissario.
- II. Quæritur nunc primo, Quomodo Contractus definiatur?

Respondeo, Contractum late sumptum pro Pacto ex Ulpiano definitur, quod sit Duorum, vel plurium consensus, atque conventio; Unde fit, quod Donatio, & Promissio ante acceptationem non dicantur Contractus, cum nondum habeatur consensus duorum;

se-

secus vero post acceptationem: Contractus vero presse sumptus ex eodem Ulpiano definitur, quod sit *Pactum*, ex quo *uliro*, *ciroque* oritur obligatio; Hujusmodi est exempli gratia Mutuum, ratione cujus duo conveniunt, & invicem obligantur, itaut Mutuans non possit mutuum repetere ante tempus praefixum, & Mutuatarius teneatur tempore praefixo illud fideliter restituere.

III. Quæritur secundo, Quotupliciter Contractus perficiatur?

Respondeo, non eodem modo Contractus omnes perfici, & celebrari; Aliqui enim solo mutuo consensu exterius manifestato statim perficiuntur; Aliqui indigent etiam scriptura; Aliqui certa verborum forma; Aliqui traditione rei. Quare universim quatuor modis Contractus perficiuntur, Consensu, Verbis, seu certa Verborum forma, Scriptura, ac rei traditione. Primo dicuntur Consensu exterius celebrato perfici Contractus omnes, in quibus nulla requiritur ex speciali ratione aut Verborum forma, aut scriptura; nec requiritur rei traditio; ut sunt Emptio, Venditio, & similes. Perficiuntur secundo Verbis Contractus, qui indigent certa verborum forma per interrogationem, & responsionem, quæ dicitur forma stipulationis; Exempli gratia dicendo, Promittis dare centum Titio? Promitto. Hic tamen modus contrahendi per stipulationem pertinet potius ad forum externum, & parum est in usu: Olim enim eo Romani utebantur; nunc vero promissiones, & pacta non confirmantur stipulatione, sed publico Notarii instrumento, vel simplici scriptura manu promittentis subscripta, aut obliquata. Perficiuntur tertio Scriptura illi Contractus, qui ante Scripturam sunt invalidi; ut Emphytheusis, & alii Contractus, quos Contractantes nolunt habere vim, antequam

a Notario scribantur. Denique dicuntur Re ipsa perfici Contractus, qui non sistant in sola conventionione, sed indigent rei traditione, ut celebrentur; Cujusmodi sunt Depositum, Commodatum, Mutuum, Permutatio, Pignus, Donatio; Isti enim ante traditionem rei non censentur celebrati, sed dicuntur Pactum nudum; unde nullam pariunt obligationem civilem, nisi in casibus mox explicandis.

IV. Quæritur tertio, Quotuplex sit Contractus?

Respondeo, Contractum late sumptum pro Pacto, Primo dividi in Nominatum, & Innominatum. Dicitur Contractus Nominatus, qui proprium habet nomen, ut Emptio, Venditio; Innominatus vero dicitur, qui proprium nomen non habet, sed genericum Conventionis; Cujus quatuor sunt species, Do ut des, Facio ut facias, Do ut facias, Facio ut des; exempli gratia, si des Titio panem, ut det vinum, habetur Contractus Do ut des; si vero tu obligeris ad scribendum, verbi gratia, ut Titius fodiat, habetur Contractus Facio ut facias; Quod si des panem, verbi gratia, ut alter fodiat, Contractus hic dicitur Do ut facias; Denique si fodias, verbi gratia, ut alter det panem, Contractus dicitur esse, Facio ut des; Omnes isti contractus Innominati differunt a Contractibus habentibus speciale nomen. Nam si des panem, verbi gratia, ut alter det vinum, hic Contractus non est Emptio, nam per Emptionem datur pretium pro merce, nec est alius Contractus Nominatus: Est quidem Permutatio, sed quatenus Permutatio est nomen genericum, quod convenit etiam Emptioni, Mutuo, &c. Similiter si facias ut alter det, hic non est Contractus locationis, vi cujus datur opera solum pro pretio, non pro alia re; idemque dicas de reliquis.

Dividitur secundo Contractus in Nudum,



dum, & Vestitum: Contractus, seu pactum Nudum consistit in sola conventionem duorum absque alia circumstantia dante robur Contractui, & actionem in foro externo ex jure civili. Sic Contractus, qui traditione rei perficitur, ut Commodatum, Depositum, &c. ante rei traditionem dicitur Pactum nudum: Et eodem modo Contractus innominatus antequam ex altera parte sit impletus, nisi superaddatur forma stipulationis, aut juramentum, est etiam Nudum pactum. Contractus Vestitus dicitur ille, qui vestitur aliqua circumstantia, ratione cuius robur habeat jure civili, actionemque civilem conferat pro foro externo. Sex autem modis ex Less. cap. 17. num. 17. dicitur vestiri Contractus; Primo, si sit Contractus nominatus, qui perficitur solo consensu, ut Emptio, Venditio, Locatio. Secundo, si sit Contractus nominatus, qui perficitur rei traditione, & ex altera parte sit impletus, ut est Depositum, Donatio, Mutuum, Pignus; hi enim Contractus antequam ex altera parte impleantur, sunt omnino nudi, nullam parientes actionem in foro externo. Tertio, tam Contractus nominatus, qui rei traditione perficitur, quam Contractus innominatus vestitur juramento, ut ostendit Molin. disp. 256.: Exempli gratia, si promisisti dare centum Titio, & jurasti, Titius habet actionem adversus te in foro externo. Quarto, vestitur Contractus Verbis, ut si Contractui accedat forma stipulationis. Quinto, vestitur literis: ut si literis fatearis tibi esse satisfactum, quamvis revera satisfactum non sit; quod appellatur Acceptilatio. Sexto vestitur coherencia cum Contractu vestito, hoc est si Contractui vestito annectatur pactum nudum, hoc etiam dicitur vestitum; Verbi gratia, si vendam domum mille aureis Titio cum pacto, quod illam ego pro hoc anno

inhabitem, & pro tali inhabitatione dem vestem, hic secundus Contractus accessorius, quamvis de se sit nudus, evadit vestitus per hoc quod annectatur Contractui venditionis, qui de se est vestitus; accessorium quippe sequitur principale.

V. Dividitur tertio Contractus in Gratuitum seu lucrativum, & Onerosum. Lucrativus est, in quo nihil recipitur, sed gratis celebratur, ut promissio, donatio, commodatum, precarium, testamentum, legatum. Onerosus est, in quo aliquid loco eius, quod datur, dari, vel praestari debet; huiusmodi autem Contractus vel transfert plenum dominium, ut emptio, mutuum, vel transfert solum dominium utile, non directum, ut feudum, Emphytheusis, Ususfructus; Vel transfert dumtaxat usum, ut locatio, conductio; vel demum confert securitatem, ut pignus, hypotheca, fidejussio.

Dividitur quarto in Contractum Bonae fidei, & Stricti juris. Bonae fidei Contractus dicitur, in quo iudex multa potest ex bono, & aequo arbitrari non judicando ex rigore legis; ut sunt emptio, locatio, commodatum, societas, depositum, pignus, & alii apud Molin. disp. 259. Stricti vero juris dicitur, in quo iudex ad verba Contrahentium astringitur; ut in stipulationibus, in Feudo, Emphytheusi, Promissione liberali, Donatione, Assurance, & similibus. Haec tamen pertinent ad forum externum, & parum sunt in usu.

Dividitur quinto in Contractum, qui sit in gratiam recipientis tantum, ut mutuum; & qui sit in gratiam tradentis tantum, ut depositum; & qui sit in gratiam utriusque, ut Emptio, Pignus, Societas, &c.

VI. Denique alius est Contractus Formalis, quando scilicet expresse duo conveniunt, ut in emptione, venditione, &c. Alius est Virtualis, quando duo

duo implicite conveniunt absque expressa pactione se obstringentes, & hic vocatur Quasi contractus, qui habetur in Tutela, Mandato, Negotiorum gestione, & simili officio, videlicet Curatoris, Procuratoris, &c., in quibus non habetur expresse consensus mutuus obligationem inducens, ut in contractu, sed rationabiliter præsumitur adesse talis mutuus consensus; quia qui tutelam verbi gratia, aut mandatum suscipit, virtualiter se obligat ad tale munus rite gerendum juxta leges, aut consuetudines talis officii.

Ex quibus habes, in quo differat contractus a Quasi contractu, & quam obligationem inducat tam contractus formalis, & expressus, quam virtualis, & implicitus, seu quasi contractus.

ARTICULUS II.

Quam obligationem pariat Contractus?

- I. *Debitum aliud est Antidorale, seu Morale fundatum in ipsa rei honestate; aliud Legale, quod oritur ex virtute præcipiente aliquem actum, ita tamen, ut trahat onus restitutionis, si ex virtute justitia oriatur.*
- II. *Obligatio ex justitia vel est pro foro interno, & hæc non dat actionem pro externo, sed exceptionem; Vel est tantum Civilis, ac nihiur in falsa præsumptione, & dat actionem solum pro foro externo; Vel est Civilis simul, & Naturalis, & pro utroque foro ligat. Hæc autem oritur aut ex contractu, aut ex quasi contractu, aut ex delicto, aut ex quasi delicto.*
- III. *Promittens non obligatur ex justitia (nisi juret, aut instrumentum publicum faciat,) sed ex fidelitate, que probabiliter non obligat sub gravi.*
- IV. *Quivis contractus etiam nudus pa-*

*rit obligationem Naturalem, seu obligat in conscientia. Contractus dumtaxat vestitus parit etiam obligationem Civilem. Pactum autem nudum non dat actionem, sed exceptionem, retentionem pignoris, aliosque parit effectus; Et jus Canonicum jubet pacta nuda impleri.*

- V. *Pactum nudum parit obligationem etiam Civilem, si juramento firmetur, sic enim evadit vestitum.*
- VI. *Pollicitatio, seu promissio non acceptata nullatenus obligat, nisi facta sit Civitati, Reipublica ob causam, &c.*
- VII. *Quid si pollicitatio fiat Ecclesia, & ad pias causas? Si donans moriatur, antequam Nuncius moneat illum de donatione facta, ad donatarium ne, an ad heredes spectat res illa donata?*

I. **N**otandum primo, obligationem esse vinculum quoddam, quo quis astringitur ad aliquid faciendum; hæc autem vel potest fundari in ipsa rei honestate, & a Juristis dicitur Antidoralis, quia scilicet quis tenetur esse gratus suo benefactori; & tale debitum dicitur Morale, quia laudabile quidem est, sed non præcipitur: Vel obligatio fundatur in necessitate, & hæc importat debitum legale, seu præceptum, quod oritur vel a virtute Charitatis, vel Justitiæ, vel Religionis, vel Obedientiæ, vel ab alia virtute; ita tamen, ut sola obligatio orta ex virtute justitiæ præter peccatum inducat onus restitutionis, ut diximus anno superiore.

II. Notandum secundo, quod obligatio ex justitia, de qua agitur in præfenti, alia est Naturalis tantum, quæ scilicet obligat dumtaxat in foro conscientiæ, & in foro externo non dat actionem, sed solum exceptionem, & retentionem pignoris, ut mox explicabimus: Alia est tantum Civilis, quæ sci-

scilicet inducitur a lege positiva ex aliqua praesumptione, cui non responderet veritas a parte rei, ( si enim responderet, ea obligatio esset etiam naturalis, ) ut si quis juxta allegata, & probata falso existimetur debitor, & cogatur ad solvendum; & talis obligatio dumtaxat Civilis dat solum actionem in foro externo: Alia demum obligatio ex justitia est Naturalis simul & Civilis; quae non solum obligat in foro conscientiae, sed etiam dat actionem in foro externo. Haec autem ex quatuor capitibus oriri potest: Primo, ex Contractu, ut ex mutuo, locatione, &c. Secundo, ex quasi Contractu, ut ex tutela, negotiis gestis, aut alio simili officio, in quo scilicet rationabiliter praesumitur adesse mutuus consensus ferens obligationem. Tertio, ex delicto, puta ex furto, homicidio, vel alio contra justitiam. Quarto, ex quasi delicto, quando scilicet non ex dolo, sed ex imperitia, vel imprudentia aliquis laesus est; ut quando quis e fenestra saxum projicit, & casu praetereuntem laedit, itaut teneatur damnum compensare, eo quod non adhibuerit debitam diligentiam.

III. Notandum tertio ex Sa apud Moyam, quod promittens non solet obligare se ex justitia, nisi juret, vel faciat publicum instrumentum: Cum autem non conferat alteri jus justitiae, tantum obligatur ex fidelitate, quae non obligat in multorum sententia sub mortali.

IV. Queritur nunc, Quinam Contractus pariant, praeter obligationem naturalem, etiam civilem?

Respondeo, & dico primo; Quilibet Contractus etiam nudus parit obligationem naturalem, seu obligat in foro conscientiae, itaut non possit parte invita rescindi; dummodo tamen Contrahentes sint habiles ad contrahendum, & libere consentiant, & Contractus non sit irritus jure positi-

vo, nec detur irritandi potestas. Ratio est, quia jure naturae tenetur quis praestare, quod altero acceptante promisit.

Dico secundo; Contractus, qui dicitur pactum nudum, parit tantum obligationem naturalem, non vero civilem: Contra vero parit etiam obligationem civilem pactum vestitum. Ita communiter ex leg. *Juris Gentium*, ff. de Pactis, ubi dicitur: *Nuda Pactio obligationem non parit, sed exceptionem*. Quare in foro conscientiae possis nudis pactis tenetur quilibet implere promissum, & fidem exolvere; at iis jus civile non assistit concedendo actionem; ne scilicet lites multiplicentur; immo tolerat, & permittit eorum rescissionem, quamdiu neutra ex parte pactum nudum est impletum; Si vero ex altera tantum parte sit impletum, permittit, vel quod resiliat is, qui contractum implevit ex parte sua, vel quod alteram partem cogat ad implendum illum. Verum in foro etiam externo talia nuda pacta pariunt aliquos effectus; Primo scilicet exceptionem, hoc est oppositionem adversus actionem actoris, sive ea sit dilatoria, sive peremptoria, de quibus Less. lib. 2. cap. 17. num. 2.; quamvis quaedam pacta nuda privilegio Juris dent etiam actionem civilem, ut Donatio verbalis acceptata, Promissio dotis, Promissio solvendi pro se, vel pro alio; ut notat idem Less. Secundo tribuunt jus compensandi in foro conscientiae. Tertio, jus retinendi pignus. Quarto, impediunt soluti repetitionem; immo jus Canonicum, cum conditum sit ad salutem Animarum, & respiciat solum obligationem conscientiae, jubet impleri pacta nuda, nisi forte praesumatur fraus, aut error: hanc enim ob causam non concedit actionem ad exigendum promissum, nisi exprimaturs causa cur sit promissum, praesumitur enim ex errore, aut fra-

fraude factam esse promissionem.

V. Dico tertio, pactum nudum, si juramento firmetur, parit non solum naturalem, sed etiam civilem obligationem, idque ob Numinis reverentiam. Ita communiter; Nam pactum nudum juramento vestitur, ut supra diximus.

VI. Quæritur secundo, An promissio non acceptata, quæ dicitur Pollicitatio, habeat rationem pacti, & obligationem naturalem, aut civilem inducat?

Respondeo, neutram obligationem inducere; non civilem, ex leg. *Si pactum ff. de Sollicit.*, Neque naturalem, ut communiter docent apud Molin. disp. 263.; qui enim promittit alteri, seu donat, sub tacita illa conditione promittit, & donat, si rem ille acceptet; atque adeo antequam acceptet, promissio, & donatio nullam obligationem parit, & revocari potest. Verum sicut votum obligat statim ac emittitur, quia statim acceptatur a Deo, si sit de meliori bono, ita promissio facta Civitati, vel Reipublicæ ob causam, puta propter incendium, terræmotum, &c. vel ob gratitudinem, ob honorem sibi decretum, aut decernendum, statim obligat, antequam acceptetur, seu in pactum transeat, ex leg. *Ob causam, ff. de Pollicitat.* Ratio est, quia Princeps generali lege propter bonum publicum talem pollicenti obligationem imposuit; dummodo exterius promiserit, nec solum propositum manifestarit; Unde fit, quod ex tali lege utraque habeatur obligatio, tam naturalis, quam civilis, quia legi obtemperare tenemur in conscientia, ut suo loco diximus.

VII. Dubium est, An etiam pollicitatio facta Ecclesiæ, vel ad piam causam ante acceptionem obliget, ita ut non possit revocari? Affirmat Molin. disp. 263.; quia jura civilia adimentia obligationem pollicitationi non loquuntur

de pollicitatione facta ad pias causas; cum non possint id statuere sine consensu Pontificis. Sed communius cum Lessi., Sanch., & Laym. cap. 1. negant; quia nullum jus positivum in favorem Ecclesiæ id statuit, & jure naturali nullam obligationem parit pollicitatio. Si quis tamen juret, pollicitationem factam Ecclesiæ se non revocaturum, donec intimetur ad acceptandum, certe non potest illam in reverentiam Numinis revocare; atque adeo ad id non vi pacti, & ex justitia, sed vi juramenti, & ex Religione teneretur. Si tamen promittens juret se non revocaturum, non explicando an post, vel ante acceptionem, putat Sanch. apud Bonac. quæst. 1., quod possit ante acceptionem illam revocare, eo quod intelligi debeat, se non revocaturum post acceptionem.

Dubium est secundo, Utrum si pollicitator moriatur, antequam perveniat ad donatarium Epistola, vel Nuntius, qui illum moneat de donatione, res donata pertineat ad hæredes donantis, an vero ad donatarium, si velit acceptare? Sanch., & Lessi. apud Laym. loc. cit. putant, quod ad donatarium, quia ex parte donantis jam donatio est valida, & perfecta. Communius tamen docent, quod ad hæredes donantis; cum donatarius non habeat jus acceptandi, neque ex vi pacti, cum pactum requirat consensum duorum; mortuo autem donante, ejus consensus non perseverat, sed extinguitur, ex Cap. *Si gratiose, de Rescriptis in 6.*; neque ex vi mandati, quia etiam mandatum extinguitur morte mandantis, si executio nondum dari cæpit, ex leg. *Mandatum, Cod. Mandati.* Putat tamen Laym. primo, quod donatarius, si rem donatam accipiat a Nuncio, possit illam sibi retinere, donec ab hæredibus repetatur. Secundo, quod si Nuncius culpabiliter distulerit rem tradere donatario,

rio, & interim donans moriatur, teneatur (ut ostendit Molin. disp. 263.) ad duplicem restitutionem, alteram donatario, ut patet, alteram hæredibus donantis, quia donatio non fuit acceptata, & mandatum morte mandantis expirat; unde res donata in tali casu debetur hæredibus donantis. Verum ad hanc secundam non obligant ante sententiam iudicis Laym., & alii apud Dian. part. 6. tract. 7. resol. 4. putantes donantem cessisse juri suo, & gratiam illam esse jam factam donatario. Notat demum Laym. cap. 26., mandatum ad pias causas non expirare morte mandantis, sicut non expirat mandatum de danda dote puellæ, ex leg. *Si ego, de fure dotium*, ob specialem favorem dotis.

### ARTICULUS III.

An sit validus Contractus per errorem, dolum, aut metum celebratus, vel sine solemnitatibus Juris?

- I. Error potest esse vel circa substantiam rei, vel circa qualitates. Dolus vel potest dare causam Contractui, vel potest incidere in Contractum. Metus potest esse vel a causa necessaria, vel a libera, vel incuti ad extorquendum Contractum, vel ad alium finem; Potest etiam esse justus, vel injustus, levis, vel gravis.
- II. Error circa substantiam invalidat Contractum, siue talis error sit Antecedens, seu inducens ad contrahendum, siue sit Concomitans, quatenus etiam errore deprehenso adhuc Contractus fieret, quamvis ad hunc non inducat.
- III. Error circa accidentia universim Contractum non invalidat, (ut nec Contractum Matrimoniale,) dummodo dolus ab altero proveniens

non det causam Contractui; tunc enim Contractus rescindibilis esse rescindendus ad arbitrium decepti. Quod si quis expresse dicat se nolle contrahere, si erret circa qualitates expositas, tunc etiam Contractus Matrimonialis esse irritus, necnon Professio Religiosa.

- IV. Dolus circa substantiam multo magis, quam error hujusmodi irritat Contractum. Dolus vero circa qualitates dans causam Contractui, si proveniat ab altero Contrahente, est irritandus ad arbitrium decepti; secus vero si proveniat a tertia persona; qua tamen tenetur damnum resarcire.
- V. Non datur obligatio adimplendi Contractum initum per dolum circa qualitates a tertia persona provenientem, si ex altera parte nondum sit adimpletus. Nec Sponsalium Contractus obligat, si notabilis mutatio aut superveniat, aut de novo appareat.
- VI. Si Contractus per dolum ab altero Contrahente provenientem dans causam Contractui esset juxta probabilem opinionem irritus, teneretur deceptor solum ad damnum compensandum; secus si esset irritandus.
- VII. Contractus per dolum incidentem in Contractum celebratus non est irritus, sed irritandus ad arbitrium decepti.
- VIII. Dolus, ac error circa causam finalem irritant promissionem, & donationem: Secus vero si sint circa causam impulsivam. Hinc ad restitutionem tenetur pauper, qui paupertatem simulans, magnam obtinet elemosynam; Secus vero si parvam.
- IX. Votum simplex pariter irritum est, si emissum sit per dolum versantem circa causam finalem; non tamen votum solenne, sicut nec Matrimonium.

X. Uni-

X. *Universim est jure natura validus Contractus per metum gravem celebratus ad illum extorquendum, licet sit rescindibilis; jure tamen saltem positivo Matrimonium sic contractum est irritum; sicut etiam Professio Religiosa. Sic pariter Sponsalia, Renunciatio Beneficii, Donatio, Testamentum, Legatum, & similia.*

XI. *Si tamen metus sit iustus, aut si sit injustus, sed non incussus ad Contractum extorquendum, neque irritus est contractus, neque irritandus: Sicut neque si levis sit metus injustus ad Contractum extorquendum incussus. Quid de metu reverentiali, ac de precibus importunis?*

XII. *Probabile est, invalidum esse Matrimonium initum cum metu levi injuste incusso ad illud extorquendum.*

XIII. *Contractus, deficientibus solemnitatibus juris substantialibus, (sine quibus scilicet Contractus annullatur,) non solum est irritus in foro externo, sed etiam probabilius in foro conscientia. Nec quia cessat aliquando finis legis inducentis formam Contractus, ideo tunc cessat ea lex obligare. Testamentum tamen, deficientibus solemnitatibus, solum pro foro externo est irritum.*

XIV. *Hinc probabilis est, restituenda esse, qua per Contractum gratiosum accepta sunt sine solemnitatibus substantialibus; Et Contractus minorum esse irritos sine auctoritate Curatoris; Contra vero legata in testamento minus solemniter relicta solvenda esse.*

I. **R**ecolenda quæ fusc alias annotavimus, præsertim in Opusculo de Principiis Moralitatis. Primo errorem, seu ignorantiam vel contingere circa substantiam Contractus, ut si Contrahens credat unam rem e-

Pars IV.

mere, verbi gratia vinum, & emat aliam, puta aquam; Vel contingere circa qualitatem, & accidentia, ut si credens emere equum strenuum, & robustum, emat ignavum, & pigrum. Secundo, dolum vel dare causam Contractui, quando scilicet contrahens non contracturus esset deprehenso dolo; Vel incidere in Contractum, quando scilicet deprehenso dolo Contractus fieret, quamvis non ita libenter; esto aliquando idem dolus respectu Titii possit dare causam Contractui, & respectu Caji incidere in Contractum; ut si vendatur equus quindecim annorum, & dicatur esse septem annorum, & Titius non empturus esset, Cajus vero esset illum empturus, quamvis minori pretio, dolo deprehenso. Tertio, Metum esse vel justum, vel injustum; Vel incuti a causa extrinseca necessaria, vel a causa libera; Vel inferri ad extorquendum Contractum, vel ad alium finem: Demum vel esse levem, vel gravem, itaut ad metum gravem reducatur metus reverentialis, si sit conjunctus cum minis, vel verberibus; necnon preces importunæ Superiorum, ut notat Dian. part. 2. tract. 3. Miscel. resol. 20.

II. Quæritur nunc primo, An Contractus per errorem celebratus sit validus?

Respondeo, & dico primo; Error circa substantiam irritat Contractum; Verbi gratia, si emisti vitrum loco gemmæ, irrita est emptio: Et ratio est, quia deficit consensus essentialiter requisitus ad Contractum; etenim ex leg. Per errorem, ff. de jurisdictione omnium iudicum, Nihil est magis contrarium consensui, quam error, scilicet circa substantiam. Idque non solum verum est in Contractu oneroso, sed etiam in gratuito, puta in donatione, promissione, necnon in voto; Nec solum verum est si error circa substantiam sit antecedens, sed etiam si sit conco-

B

mi.

mitans. Dicitur autem error Antecedens, quando inducit ad Contractum, qui deprehenso errore non fieret. Dicitur Concomitans, quando non inducit ad Contractum, sed ita illum comitatur, ut deprehenso errore adhuc Contractus fieret: Verbi gratia, si ex errore pro auro emeris gemmam non inductus ad emendum ex tali errore; nam etiam emisses, detecto tali errore circa substantiam. Ratio dicti est, quia ad valorem Contractus requiritur consensus absolutus actu existens; atqui in casu nostro consensus absolutus non datur, (eo quod error etiam concomitans circa substantiam tollat consensus,) sed solum daretur consensus, si deprehenderetur error; ergo in casu nostro cum errore concomitante non stat validitas Contractus. Sic si quis ducat ex errore Teresiam putans esse Bertam, quamvis etiam contraxisset cum Teresia, si errorem deprehendisset, adhuc de facto matrimonium factum cum Teresia est nullum, quia non habetur absolutus consensus, sed solum conditionatus erga illam, & error concomitans est circa substantiam.

III. Dico secundo, Si error sit circa accidentia, Contractus est validus; ut si emas equum, quem putas septem annorum, & invenias illum esse quindecim annorum; dummodo dolus non det causam Contractui, seu non inducat ad contrahendum, ut mox dicemus. Ratio est, quia cum huiusmodi errore circa qualitatem stat consensus; ut constat in matrimonio, quod certum est esse validum, si quis contrahat cum Berta putata virgine, & nobili, quamvis deinde inveniat illam defloratam, & ignobilem.

IV. Queritur secundo, An sit validus Contractus celebratus per dolum? Respondeo, & dico primo, certum esse, quod Contractus celebratus per dolum circa substantiam sit irritus;

Si enim est irritus talis Contractus celebratus per solum errorem sine dolo, a fortiori si errori, seu ignorantia decepti adjungatur dolus deceptoris.

V. Dico secundo, contractus celebratus per dolum circa qualitates dantem causam contractui, ubi dolus proveniat ab altero contrahente, est irritandus ad arbitrium decepti, ita ut huic competat actio ad contractum rescindendum, & deceptor teneatur in conscientia omne damnum resarcire. Ita Laym., Less., Con., & alii: Quamvis Bonac. cum aliis putet, contractus bonæ fidei non solum esse irritandos, ut constat, ratione doli, sed etiam irritos; non quidem jure naturæ, ut patet, (aliter huiusmodi matrimonium non esset validum,) sed jure positivo; Certum tamen est, quod tam contractus matrimonialis, quam Professio Religiosa, nec irrita sunt, nec irritanda, nisi dolus dederit causam illis; quia cum importent statum perpetuum, non præsumitur deesse consensus debitus, nisi dolus sit circa substantiam, vel nisi expresse quis dicat se nolle contrahere, si circa talia accidentia erret. Præterquamquod matrimonium cum sit ex Christi institutione indissolubile, non potest esse irritandum.

Dico tertio, Quando dolus circa qualitates dans causam contractui non provenit ab altero contrahente, sed vel a tertia persona, vel a propria opinione, qua contrahens seipsum decipit, tunc Contractus est validus, ut docent communiter contra Medin. apud Trull., cum non desit sufficiens consensus, quamvis deceptus habeat actionem contra tertium, a quo fuit deceptus; & decipiens tenetur omnia damna resarcire.

Neque obstat, quod in leg. *Ea vero, ff. Pro socio* dicatur: *Societatem dolo initam non esse validam*; unde videtur

dentur jure positivo effe irriti Contractus per dolum celebrati.

Nam, ut notat Trull. lib. 7. cap. 17. difp. 13. num. 5., in jure, quod irritandum eft, ſæpe dici folet irritum; quia poteft deceptus reddere Contractum irritum.

Notandum tamen, quod fi contractus invincibiliter fuit deceptus a tertia perfona, & dolo circa qualitates dedit caufam contractui, non tenetur contractum adimplere, fi ex altera parte non eft adhuc adimpletus. Ita Bonac. ex Leff., & Sanch. Et ratio eft, quia hæc videtur effe tacita contrahentium intentio, quod nolint cognita deceptione contractum implere: Et ideo Sponfus non tenetur ad matrimonium celebrandum, poftquam cognovit aliquid adeffe, quo ab initio cognito fponfalia non celebrasset. Præterquamquod non eft obligatio implendi contractum, quando supervenit notabilis mutatio; In jure autem idem eft notabilem mutationem de novo apparere, ac de novo advenire.

VI. Ex quibus deciditur quæftio illa, An deceptor teneatur ad implendum contractum, cui dolo dedit caufam, fi deceptus adhuc cognito dolo velit illum perficere?

Refpondeo enim, quod fi contractus per dolum celebratus fit validus, & folum poftit exceptione doli elidi, feu folum poftit ad arbitrium decepti irritari, procul dubio teneatur deceptor implere contractum, fic volente decepto: Talis eft probabiliter Contractus, quando dolo ab altero contrahente provenit, & dat caufam contractui, juxta fententiam noftam in fecunda conclufione, & talis eft Contractus celebratus per dolum incidentem in contractum, ut dicemus in quarta Conclufione. At fi vera effet fententia Bonac. adducta in fecunda Conclufione, quod contractus bonæ

fidei celebratus per dolum dantem illi caufam fit jure positivo irritus, dicendum cum eodem Bonac., Leff. cap. 17. num. 32., Sanch. contra Molin. difp. 352. num. 8. decipientem teneri folum ad refarcienda damna, eo quod decipiendo peccaverit contra juftitiam; non vero teneri ad perficiendum contractum ante Judicis fententiam, quia Contractus onerofus fert obligationem mutuam; ergo cum deceptus non obligetur, nec obligabitur decipiens vi contractus.

VII. Dico quarto, contractus celebratus per dolum incidentem in contractum (quem numero primo explicavimus) eft validus in utroque foro, ex leg. *Et eleganter, de Dolo*; Et ratio eft, quia habetur fufficiens confenfus, nec a Jure irritatur: Tenetur tamen decipiens damna refarcire, & deceptus poteft ad arbitrium contractum refcindere. Quare fi ematur vinum, quod vendens falfo dicit effe plurium annorum, vel talis loci, tenetur deceptor damna refarcire, fi fit deterioris conditionis; Quod fi fit æque bonum, vel æqualis valoris, ac fi effet plurium annorum, vel talis loci, non peccabit mortaliter decipiendo, nec tenebitur ad ullam reftitutionem, quia emptor non graviter læditur: At fi emptor minori pretio effet tale vinum apud alios empturus, fi cognoviffet deceptionem, tenetur decipiens refarcire hoc lucrum ceffans, quamvis vinum, quod vendidit, jufto pretio rigofo vendiderit; Ratio eft, quia dolo, & mendacis fuit caufa injufta efficax, quod tale lucrum ementi ceffaret. Notat tamen Molin. difp. 352. num. 18., quod ſæpe mercatores mentientes, & juramento affirmantes rem, quam vendunt, plus valere, vel carius emiffe, &c., excufentur ab ulla reftitutione; quia emens non folet talibus dictis fidem adhibere, cum ea fit confuetudo mercatorum; Unde cum



non augeatur pretium ratione talis mendacii, & doli, non confurgit obligatio restitutionis.

VIII. Dico ultimo, promissio, & donatio sunt irrita, si dolus, seu error circa causam finalem interveniat; (quo scilicet errore cognito promissio, & donatio non fierent) Contra vero valida sunt, si dolus sit circa causam impulsivam; quo scilicet cognito fierent quidem, sed non ita libenter, vel tam cito. Ita Bonac., Less., & alij communiter.

Unde fit, quod accepta per simulationem, & dolum versantem circa causam finalem, seu motivam, sint restituenda, cum absit animus donandi; Et ideo communiter docent apud Dian. part. 5. tract. 7. resol. 21., quod qui accepit eleemosynam magnam fingendo paupertatem, vel consanguinitatem, teneatur illam restituere vel danti, ut putat Molin., Less., & Bonac. hic, vel aliis pauperibus, aut piis operibus, ut docet Navar., & Sot., eo quod videatur res illa pauperibus consecrata. Ratio est, quia quando eleemosyna est magna, dolus praesumitur versari circa causam motivam: quando vero est parva, non datur obligatio restitutionis, quia dolus est circa causam impulsivam.

Quamvis enim verum sit, quod cognito dolo, eleemosyna non data fuisset, non tamen censetur deceptus, quod velit obligare decipientem in re parva ad restitutionem; quia talis eleemosyna censetur data potius titulo charitatis, & pietatis, quam paupertatis, ut docet Granad. apud Dian. loc. cit.; unde causa finalis eleemosynae subsistit: Et propter eandem rationem docent communiter apud Bonac. hic punct. 3. §. 2. num. 13., quod si Episcopus conferat Beneficium Clerico idoneo, sed affecto talibus defectibus, quos si cognosceret Episcopus, Beneficium non conferret, talis collatio est

valida, quia subsistit causa finalis collationis, quae est idoneitas Clerici; Alioquin omnes fere Contractus essent conditionati, & invalidi, quia fere semper quaedam ignorantur, quibus cognitis, Contractus non fierent.

IX. Ex dictis sequitur, irritum esse votum simplex emissum per dolum versantem circa causam finalem, cum desit animus se obligandi: Contra vero votum solemne, uti etiam matrimonium est validum, etiamsi error sit circa causam finalem, ut saepe diximus; quia cum ferant statum perpetuum, postulant, quod non irritentur per talem dolum; Sicut nec per metum levem injuste incussum ad ea extorquenda irritari possunt, ut ceteri contractus.

X. Queritur tertio, An Contractus per metum celebratus sit validus?

Respondeo, & dico primo: Contractus celebratus per metum sive levem, sive gravem injuste incussum ad ipsum extorquendum jure naturae validus est; eo quod metus non tollat consensum sufficientem ad contrahendum; sicut non tollit consensum sufficientem ad peccandum; Potest tamen irritari ad arbitrium ejus, qui metum gravem per injuriam passus est, sive metus incussum fuerit ab altero contrahente, sive a tertio, ut communiter docent ex cap. 2., & 4. *De his, quae vi*, cum aequitas id requirat. Excipiuntur tamen quidam casus; Nam saltem jure positivo invalidum est matrimonium celebratum per metum gravem injuste incussum ad illud extorquendum, ut communiter docent; Esto nonnulli putent esse irritum etiam jure naturali. Secundo, sunt irrita sponsalia, ut putat Bonac., & Sanch. contra Con., Hurtad., & Perez, qui putant esse solum irritanda. Tertio, Jurisdictio per talem metum extorta videtur irrita ex Sylvest., quamvis Bonac., & Less. putent probabilius, solum

lum in aliquibus caſibus, puta in abſolutione cenſuræ, eſſe irritam. Quarto, renunciatio Beneficii, ſicut etiam donatio, & promiſſio, necnon quæ vim habent donationis, ut remiſſio debiti, legatum, & teſtamentum, ſunt irrita, non quidem jure naturæ, ut putant Pont., & Medin. apud Dian. part. 2. tract. 5. miſcel. reſol. 108., ſed jure poſitivo, ex Reginald., & Rebel.; quamvis multi doceant eſſe ſolam irritanda, & teneri ſolum ad reſtitutionem, qui metum injurioſe in-  
cuſſit.

XI. Dico ſecundo: Contractus celebratus per metum etiam gravem juſte incuſſum ad illum extorquendum, nec irritus eſt, nec irritandus; quia nulla intercedit injuria, ut ſi quis metuens, ne a Judice damnetur propter ſtuprum, promittat Bertæ matrimoni-  
um, vel dotem: Idem dicas ſi metus incutiatur injuſte ad alium finem, & Contractus ſponte eligatur tanquam medium ad evadendum metum, ut ſi captus a latrone promittas matrimonium, vel dotem Bertæ, ut te liberet.

Dico tertio: Contractus celebratus per metum levem injuſte incuſſum ad illum extorquendum non videtur reſcindibilis, ne in foro quidem conſcientiæ: Et extorta tali metu probabiliter videntur non eſſe ſub obligatione reſtituenda. Ita Medin., Baſil., Perez de Matrim. diſp. 57. ſect. 6. cum Tambur. loc. cit., & Dian. part. 3. tract. 5. reſol. 117. contra Leſſ., Pal., Sanch., & alios; Et ratio eſt, quia metus levis facile repellitur; unde ſi quis cum tali metu conſentit in Contractum, non præſumitur ex vi metus, ſed ex propria libertate conſentire. Hinc fit, quod in ſententia illorum, qui dicunt apud eundem Tambur., ſolas importunas preces aſſerre metum levem, & metum reverentialem eſſe levem, non tenetur ad reſtitutionem, qui aliquid ex Contractu per talem metum

celebrato accepit: Verbi gratia ſi mulier, vel filius, vel ſubditus, Marito; Parentibus, Superiori per metum reverentialem, aut importunis precibus ducti aliquid promittant, vel hæreditatem renuncient, vel fidejubeant ſolvere legata, &c.

Quia tamen probabilis etiam eſt (& me judice probabilior, ut ſuſe oſtendi in Opusculo de Principiis moralitatis quæſt. 6. art. 3.) ſententia oppoſita Leſſ. lib. 2. cap. 17. dub. 2., Pal., Sanch., lib. 4. diſp. 9. Laym. cap. 6. putantium tali metu extorta reſtituenda eſſe, ac poſſe metum levem paſſis ſuccurri auctoritate Judicis, ut reſcindatur Contractus, (quamvis non detur actio ad reſcindendum Contractum, niſi quando metu gravi celebratus eſt ad vitandas lites; ut nec datur actio, quando læſio eſt infra dimidium,) ac eoſdem poſſe in foro conſcientiæ propria auctoritate illos reſcindere, dummodo relaxatio a juramento forte præſtito petatur; ideo probabile etiam eſt, uxorem, filium, ſubditum non teneri ſtare iis contractibus; Immo ſi quid forte ex vi illorum ſolvant, poſſe clam compenſare, ſi alia via non poſſint illud recuperare; Et is, qui aliquid ex iis contractibus accepit, tenetur juxta hanc ſententiam in conſcientia illud reſtituere.

XII. Addit Tambur., probabile eſſe ex Lug., quod matrimonium celebratum cum metu levi injuſte incuſſo ad illud extorquendum invalidum ſit in foro conſcientiæ, eo quod jura requirant ad matrimonii validitatem conſenſum plene liberum. Sed probabilius eſt ex Sanch. eſſe validum; quia metus levis non tollit perfectam libertatem, eo quod facile depelli poſſit.

XIII. Quæritur quarto, An validus ſit Contractus celebratus ſine juris ſolemnitatibus?

Reſpondeo, ſolemnitates juris alias eſſe ſubſtantiales, ſine quibus ſcilicet  
Con-

Contractus a jure irritatur, vel quia contrahentes redduntur inhabiles ad contrahendum, vel quia Contractus sine illis non solum prohibetur, sed etiam annullatur; Alias vero esse accidentales, quæ scilicet non tollunt validitatem contractus. Hinc aperte sequitur, quod contractus tunc solum fit invalidus, quando sine solemnitatibus substantialibus celebratur: Sicut enim contrahentes apponere possunt conditiones aliquas, sine quibus non obligantur, ita Princeps potest formam juris stabilire propter bonum commune apponendo conditiones aliquas substantiales, sine quibus obligatio non inducatur.

Dubitatur solum, Utrum in foro tantum externo talis contractus sit invalidus, an etiam in interno? Censeo equidem cum Bonac., Azor., Lefs. lib. 2. cap. 19. num. 35., quod hujusmodi contractus sint universim invalidi etiam in foro conscientiae. Sed excipitur testamentum, tam ad pias causas factum, ut communiter docent, quam ad causas non pias, ut verius docet Lefs., & Molin. contra Bonac., & alios; ejus enim solemnitates videntur solum pro foro externo requiri, ut probat Lefs. loc. cit. Et ratio disparitatis videtur esse, quia alii contractus, si sunt invalidi ex defectu solemnitatum, facile possunt iterari; testamentum vero raro iterari potest ob imminentem mortem Testatoris. Molin. tamen, Sot., Reginald., & alii probabiliter putant non solum testamentum, sed etiam alios contractus esse validos in foro conscientiae, si adsint requisita jure naturæ, etiamsi desint solemnitates juris substantiales; dummodo lex non reddat expresse irritum contractum in foro conscientiae; Sicut Trident. reddit etiam in foro conscientiae irritum matrimonium sine Parocho, & testibus; Sed communius rejiciuntur, quia dum lex ir-

ritum reddit contractum sine solemnitatibus, eo ipso adimit contrahentibus potestatem se obligandi, ut docent communiter de Matrimonio clandestino; & ideo contractus sine solemnitatibus juris invalidi sunt in foro conscientiae.

Neque dicas, quod cessante sine legis in casu particulari cessat lex; finis autem stabilendi solemnitates in contractibus est, ut adimantur fraudes; ergo sublatis fraudibus, contractus in foro conscientiae est validus.

Nam primo transmissa majore, negatur minor; non enim finis solemnitatum est, ne adsint fraudes, sed ne adsit periculum fraudum, (ut docet Bonac. hic,) quod nunquam cessat. Secundo falsum pariter est, quod cessante sine legis inducentis formam substantialem contractus, vel inhabilitatis aliquem ad contrahendum, ea lex cesset; lex enim, quæ inducit formam, pertinet ad essentiam contractus; unde sicut sine forma substantiali ruit compositum; ita ruit contractus sublata forma stabilita a lege. Hac de causa matrimonium inter consanguineos est nullum ante dispensationem, quamvis detur causa ad dispensandum, seu quamvis in aliquo casu cesset causa, ex qua inductum fuit impedimentum dirimens consanguinitatis, unde possit dispensari; Sic etiam Professio Religiosa nulla est ante annos a jure præfixos, &c.

XIV. Hinc sequitur primo, quod accepta per contractum gratuitum sine solemnitatibus substantialibus celebratum juxta probabiliorē sententiam restituenda sint ante judicis sententiam; quia nullo justo titulo retineri possunt; Accepta vero per contractum onerosum retineri possent titulo compensationis. Secundo sequitur, contractus Minorum, & Pupillorum de re immobili, vel pretiosa esse irritos, si celebrentur sine auctori-

rate Curatoris, vel Tutoris; quia jurata irritant tales contractus. Tertio, ex eo, quod testamentum, ut diximus, deficientibus solemnitatibus solum pro externo foro sit irritum, sequitur juxta hanc probabiliorē, & communiorē sententiam, quod hæres ab intestato teneatur in conscientia dare hereditatem hæredi instituto in testamento minus solemnī, & solvere legata in tali testamento relicta, modo constet de voluntate Testatoris. Unde fit, eum, cui res aliqua legato relicta est in testamento minus solemnī, posse uti compensatione occulta, quando aliter id consequi non potest. Quomodo autem possit hic legatarius uti compensatione occulta, cum debitum sit solum probabile, probabilitate tamen circa jus, non circa factum, (sicut etiam in nonnullis aliis similibus casibus) fusc expendimus in superiori tractatu de restitutione quæst. 6. art. 3. num. 12. juxta doctrinam Cardinalis de Lugo dissp. 16. de Just. sect. 5., Lessii cap. 19. num. 23. Molin., Granado, & aliorum apud P. Andream Zuccherium in suis valde eruditiss. Decisionibus Patavinis casu 2. Mensis Martii.

## ARTICULUS IV.

Utrum juramentum confirmet contractus.

- I. Juramentum confirmare contractum est vi juramenti dare jus alteri, & actionem adversus juramentum propter contractum caseroqui irritum jure positivo.
- II. Juramentum additum contractui irritum jure naturali in multis differt a juramento addito contractui irritum jure positivo.
- III. Universim contractus jure positivo sive Civili, sive Canonico irriti juramento confirmantur.
- IV. Non confirmantur tamen juramento

contractus jure positivo irriti, si metu injusto aut ipsi contractus, aut juramentum superadditum extorqueantur.

- V. Indiget relaxatione facta a Prelato hujusmodi juramentum, ut non servetur.
- VI. Votum simplex metu extortum non indiget relaxatione, ut non servetur; secus vero juramentum. Illud quippe ex traditione Ecclesie est irritum, non vero istud.
- VII. Juramentum metu injusto extortum superadditum Contractui, qui a lege irritatur propter bonum commune non obligat, nec indiget relaxatione, ut non servetur. Tale est juramentum additum matrimonio, ac sponsalibus metu injusto extortis, necnon Professioni Religiosæ; & probabiliter etiam Voto Religionis.
- VIII. Quinam possit relaxare isthac juramenta addita contractibus? Regulares privilegiarii quamvis possint vota etiam jurata commutare, non possunt tamen hac juramenta relaxare.
- IX. Quanam causa requiratur, ut licite hac juramenta relaxentur?

I. Implexe nimis a Doctoribus quæstio isthac discutitur. Equidem in Opusculo primo de Principiis Moralitatis quæst. 7. abunde, ac pro modulo meo dilucide exposui, quæ hac de re a Theologo morali non videbantur ignoranda. Hic summatim nonnulla perstringimus.

Quæritur itaque primo, Quid sit juramentum confirmare contractus?

Respondeo, tunc juramentum confirmare contractum, quando contractus de se jure positivo irritus, atque adeo ne in foro quidem interno obligans, superveniente juramento de eo servando, redditur obligatorius non solum in conscientia, sed etiam in foro externo, itaut pro hoc foro detur actio

actio creditori. Dixi id habere Contractum jure positivo irritum, ut est, verbi gratia, alienatio fundi dotalis, Contractus pupilli sine auctoritate tutoris, renunciatio futurae successionis in paterna hereditate, & similes. Etenim si contractus sit irritus jure naturali, (ut sunt contractus usurarii) juramento firmari non possunt; quamvis enim qui juravit solvere usuras, vi juramenti, & in obsequium Numinis in testem invocati, teneatur illas solvere; at non tenetur vi contractus, seu vi promissionis factae usurario; nec usurarius vi talis juramenti actionem ullam habet ad usuras exigendas: Immo mutuarius post solutionem usurarum factam, ut impleat, quod juravit, potest per occultam compensationem illas recuperare, utpote injuste ab Usurario acceptas, & sine ullo justo titulo: Quod si ante solutionem tale juramentum ab Episcopo relaxetur, nullatenus tenetur usuras solvere.

II. In multis itaque differt juramentum additum contractui jure naturali irritum a juramento addito contractui, qui sit irritus jure positivo. Primo quidem, quia illud nullum jus confert alteri, nec confert actionem in foro externo, prout confert juramentum additum Contractui, qui jure positivo sit irritus. Secundo, quia obligatio servandi juramentum additum contractui irritum jure naturali est personalis, oriturque solum a virtute Religionis; unde non transit ad haeredes: Contra vero obligatio juramenti additi contractui irritum jure positivo, cum det jus alteri, & actionem pro foro externo, est obligatio etiam ex justitia, & ideo transit ad haeredes. Tertio, quia juramentum in primo casu potest a Praelato relaxari, ubi fuerit in contractu laesio ad finem contendendi in judicio absque perjurio; At in secundo casu relaxari

non potest, eo quod det alteri jus justitiae; Et Praelatus nequit relaxare juramentum in praedictum alterius. Quod autem juramentum additum contractui, qui jure positivo sit irritus, pariat jus justitiae, & actionem pro foro externo adversus jurantem, atque adeo confirmet hujusmodi contractum, non provenit ex vi ipsius juramenti, quod obligat solum ad veritatem rei juratae servandam, sed provenit ex jure positivo sive Civili, sive Canonico.

III. Quaeritur secundo, Quosnam contractus jure positivo irritos juramentum confirmet, conferendo adversus jurantem jus, & actionem etiam pro foro externo?

Respondeo, nonnullos apud Suar. lib. 2. de Juram. cap. 29. putare, quod solum confirmantur contractus, qui beneficio restitutionis in integrum rescindi possunt. Azor. lib. 11. cap. 5. putat confirmari solum contractus irritos jure civili. Sed probabilius dicendum cum Sanch. lib. 3. cap. 12., Molin. disp. 156. Gutierrez, & aliis communius, universim contractus sive jure civili, sive jure Canonico irritos juramento confirmari, itaut tribuant parti jus, perinde ac si contractus non essent jure positivo irriti. Idque constat ex multis textibus, quos exponit Merol. disp. 1. cap. 3. num. 428.: Suar. loc. cit. & Lels. cap. 17. num. 56. censent debere in contractu firmando a juramento inesse obligationem naturalem servandi promissum, ut deinde vi juramenti superaddatur obligatio civilis. Sed cum omnis contractus jure positivo irritus obligationem illam naturalem praesupponat, aliter frustra irritaretur, ideo omnis omnino contractus irritus jure positivo juramento firmatur.

IV. Quaeritur tertio, An juramentum confirmet contractus metu extortos jure positivo irritos?

{Re-

Respondeo, nullum contractum jure positivo irritum firmari juramento, & tribuere alteri jus, ac actionem adversus jurantem, si talis contractus sit metu injusto extortus; Nec si sit sponte quidem celebratus, sed juramentum superadditum sit metu injusto extortum. Ratio est, quia juramento non inest vis confirmandi contractus ex natura sua irritos, ut diximus, sed solum ex jure positivo; atqui non est verisimile, quod jus positivum velit firmari juramento contractus metu injusto extortos, aut contractus sponte initos, quibus superadditur juramentum metu injusto extortum; ergo hujusmodi contractus juramento non firmantur, sive tales contractus sint irriti jure positivo in bonum privatum, ut sunt, verbi gratia, contractus minorum, aut mulierum; sive in bonum publicum, ut juramentum de non extrahendis equis, frumento, pecunia e Regno, quod a lege vetatur. Quamvis Sanch. lib. 4. de Matrim. disp. 20. num. 13. censet hos dumtaxat contractus meticulousos juramento non confirmari. Sed ratio a nobis adducta probat de utrisque.

V. Juramentum tamen hujusmodi, quod sine culpa servari potest, relaxatione facta a Prælo indiget, ut non servetur intuitu Religionis; Si quidem ex cap. *Cum pactum, de Pactis in 6.*, & ex cap. *Cum contingat, de Juram.* universim obligantur juramenta, quoties servari possunt sine dispendio salutis aeternae.

VI. Neque dicas: Votum simplex metu extortum esse irritum; ergo etiam juramentum metu extortum, unde non indiget relaxatione. Negatur enim consequentia; Et disparitas est, quia, ut notat Franciscus de Lugo quæst. 10. num. 64. ex Sanch. lib. 4. de Matrim. disp. 14., votum simplex metu extortum jure positivo non quidem scripto, sed tradito, seu ex tra-

Pars IV.

ditione, & consuetudine habente vim legis ab Ecclesia irritatur, non secus ac irritatur ex traditione Ecclesia matrimonium fidelis cum infideli metu extortum: At juramentum metu extortum ab Ecclesia non irritatur; unde indiget relaxatione, ut non servetur, si citra culpam servari potest.

VII. Advertit tamen Suar. lib. 2. de Juram. cap. 26., Sanch. lib. 3. cap. 9., Merol. disp. 1. cap. 3. num. 486., juramentum metu extortum superadditum contractui, qui irritatur a lege ob publicam utilitatem, non obligare, nec indigere relaxatione; Et enim sicut non obligat juramentum in præjudicium tertii, ex cap. *Quamvis pactum, de Pactis in 6.*, ita a fortiori non obligat juramentum in præjudicium boni publici; esset quippe vinculum iniquitatis; Propterea juramentum adjectum sponsalibus, aut matrimonio metu gravi extortis nullatenus obligat, ut docet Sanch. lib. 4. disp. 21. Azor., Sà contra Henr. lib. 11. cap. 9., Sotum, Ledesm.; quia isti contractus meticulousi ob publicam utilitatem irritantur; ne scilicet oriantur rixæ inter Conjuges, ac mala proli educatio in Reipublicæ detrimentum. Idemque dicendum de juramento adjecto Religiosæ professioni metu extortæ, & probabilius ex Suar., Sanch., Rodriq. contra Sot., & Palat., etiam de juramento adjecto simplici voto Religionis metu extorto. Et ratio ulterior est ex Merol. loc. laud., quia juramentum relaxari potest, quoties in contractu, cui illud adjicitur, apparet turpitudine ex parte creditoris; sed in casibus adductis apparet hæc turpitudine, quod scilicet executioni dentur isti contractus, qui jure positivo sunt irriti ob publicam utilitatem, si metu injusto extorqueantur; ergo relaxari potest.

VIII. Quaritur quarto, Quinam Prælati possit juramenta isthæc con-

C tra-

tractui adjecta relaxare?

Respondeo, solum Pontificem posse aliquando, & quidem ob urgentissimam causam, relaxare juramentum in praedictum tertii; At quando non est in praedictum tertii, si ex parte creditoris appareat turpitudine, (ut est juramentum de solvendis usuris, aut si contractus, aut ipsum juramentum superadditum contractui sint metu extorta,) tunc poterit Episcopus, ac ejus Vicarius hujusmodi juramentum relaxare; Abbates pariter habentes jurisdictionem quasi Episcopalem: Non tamen Parochus, aut Confessarius; Sicut nec possunt isti in votis dispensare. Regulares vero, quamvis habeant privilegium commutandi vota etiam jurata, quae non sint in praedictum tertii, ut habetur in Compendio Privilegiorum Societatis *V. Commutatio* §. 1. ex Bulla Gregorii XIII.; at non proinde possunt relaxare juramenta addita contractibus, quia nomine votorum juratorum censentur venire solum juramenta, quibus vota confirmantur, & quae intuitu pietatis, ac soli Deo fiunt; non vero quae contractibus superadduntur, ut docent communiter. Qua de causa Pater Noster Generalis Thyrsus Gonzalez literis encyclicis advertit, quod privilegium nobis concessum relaxandi isthaec juramenta sine praedictum tertii sit solum relate ad Nostros, ut habetur in *Comp. Privileg. V. Confessarius* §. 6.

IX. Requiritur tamen causa, ut relaxatio isthaec licite concedatur; Eaque esset, vel si turpitudine in contractu habeatur ex parte creditoris, ut quando quis juravit se usuras soluturum; Vel si juramentum, aut contractus sint metu extorta; Vel si dolus inciderit in contractum; puta si quis deceptus fuerit in pretio rei emptae cum juramento non contraveniendi contractui, ut notat Sanch. lib. 3. cap. 21. (nam si dolus dederit causam

huic contractui, juramentum relaxatione non indiget;) Vel propter ingratitude donatarii, cui juramentum adjectum est de illa non revocanda, ut notat Molin. disp. 221.

## ARTICUL. V.

Quinam possint contrahere?

- I. *Contrahere non possunt, qui carent usu rationis; & qui a Jure impediuntur; ut pupillus sine licentia Tutoris, qui tamen in sui favorem valide contrahit.*
- II. *Contractus pupilli, aut Minoris, nisi fiat de licentia Tutoris, aut Curatoris, & cum Judicis facultate, quando alienatur res immobilis, aut mobilis, quae servando servari potest (verbi gratia per triennium) est invalidus. Si vero alienatur res mobilis, quae servari non potest, requiritur solum licentia Tutoris, aut Curatoris; Quod si absque hac licentia fiat, probabiliter in foro conscientiae est invalidus, & obligatorius; quamvis non in foro civili.*
- III. *Pupillo, & Minori absque licentia debita contrahentibus competit restitutio in integrum.*
- IV. *Probabiliter Pupillus, & Minor, quibus competit restitutio in integrum ob contractus sine licentia initos, retinere possunt in conscientia, quae ob tales contractus deberent solvere.*
- V. *Filiusfamilias puber, aut pubertati proximus potest quidem contrahere de bonis Castrensibus, vel quasi Castrensibus; non tamen de Adventitiis, aut Profectitiis.*
- VI. *Qui non est pubertati proximus, invalide donat etiam bona Castrensia, vel quasi; quae tamen probabiliter possunt a donatario retineri.*
- VII. *Filiusfamilias non debet Patri operas*

ras artificiales, sed obsequiales, nisi tamen ab eo alatur.

VIII. Uxor solum de bonis paraphernalibus contrahere potest, non vero de dote. Religiosi pariter contra Superioris voluntatem nequeunt se obligare.

I. Certum est, omnes, & solos usui rationis præditos contrahere posse, si habeant administrationem bonorum, de quibus sunt contracturi, & a jure non impediuntur. Unde sequitur primo, amentes, furiosos, dormientes, ebrios, & infantes ante usum rationis contrahere non posse, cum ad contrahendum consensus liber, & usus rationis requiratur. Sequitur secundo, nec posse prodigum contrahere sine Curatoris consensu, eo quod illi a jure administratio suorum bonorum prohibeatur; Et pari ratione pupillus ante decimum quartum annum sine licentia Tutoris, & Minor ante vigesimum quintum completum sine licentia curatoris contrahere non possunt; cum id a jure ipsis vetetur. Nihilominus si pupillus, vel Minor contrahant cum Majore in sui commodum, contractus est validus ex leg. *Si Curatorem* apud Bonac., & Sanch. lib. 6. disp. 38., secus vero si contrahant in sui damnum; quia quod in favorem teneret ætatis institutum est, non debet illi præjudicare.

II. Quæritur nunc primo, An contractus pupilli, vel minoris sine licentia Tutoris, vel Curatoris obliget saltem naturaliter, seu in foro conscientie, quamvis non obliget in foro civili?

Respondeo, quod si pupillus, vel minor cum licentia Tutoris, vel Curatoris alienent rem immobilem, vel etiam mobilem, quæ servando servari potest (idest, ut putat Bonac., per triennium) contractus est invalidus

etiam in foro conscientie; nisi id fiat non solum auctoritate Tutoris, vel Curatoris, sed etiam de Judicis licentia, & ex justa causa; qualis censetur esse ad emenda alimenta, ad solvenda debita, &c. Si vero alienent res mobiles, quæ servando servari non possunt de sola licentia Tutoris, vel Curatoris absque facultate Judicis, contractus in utroque foro est validus. Si demum rem hujusmodi mobilem alienent sine licentia Tutoris, vel Curatoris, probabilius est, quod in conscientia teneantur stare contractui, quamvis non obligentur civiliter, ut docent probabilius, & communius cum Bonac., Sanch., Rebel. contra Covar. apud Trull. disp. 7., & Dian. part. 2. tract. 5. Miscellan. resol. 44.; Et ratio est, quia obligatio naturalis, & in foro conscientie consurgit ex consensu contrahentium, quotiescumque lex non irritet contractum; talis autem contractus non irritatur, ut colligitur ex leg. *Marcellus*, ff. de *Fidejussoribus*, sed solum prohibetur, atque adeo est validus.

III. Certum tamen est, quod Pupillo, & Minori sic contrahentibus datur a lege restitutio in integrum, seu possunt coram Judice repetere, quæ sic alienarunt.

Hinc sequitur, quod qui habuit rem immobilem, vel etiam mobilem, quæ servando servari potest a pupillo, vel minore per contractum sine licentia Judicis inserta in actis per tabellionem, & absque justa causa teneatur in foro conscientie ante sententiam Judicis illam restituere, eo quod contractus fuerit invalidus; nisi tamen illam retineat titulo compensationis. Contra vero, qui rem mobilem dictam habuit per contractum sine licentia Tutoris, vel Curatoris celebratum, non tenetur illam restituere, antequam coram Judice repetatur; quia probabilius talis contractus est



validus in foro conscientiae.

IV. Dubium est, An Minor teneatur in conscientia solvere, quae debet ex promissione, vel alio contractu, Verbi gratia, quae perdidit in ludo pecunia credita, posito quod possit per Judicem repetere id, quod forte solvit, beneficio restitutionis in integrum?

Respondeo, communius docere cum Trull., Bonac. contra Salon. apud Dian. part. 2. tract. 5. Miscellan. resol. 44., quod qui potest repetere solutum, potest non solvere, ( nisi tamen se soluturum jurasset, licet hoc juramentum probabile sit, ut notat Trull. lib. 7. cap. 27. disp. 4. num. 6., quod relaxari possit, sicut juramentum de solvendis usuris ) Ratio est, quia videtur frustranea illa circulatio, & in Regul. 71. Juris in 6. dicitur, quod cui datur actio ad repetendum, eidem datur exceptio ad retinendum. Nota tamen, quod si pupillus solvat alteri, ille non tenetur restituere ante sententiam Judicis, etiamsi pupillus possit id repetere coram Judice. Adde demum, quod si pupillus non possit coram Judice repetere propter contradictionem aliquorum indebitam, potest etiam illud sibi compensare, ut advertit Tambur. lib. 5. cap. 4. §. 2. num. 11.

V. Quæritur secundo, An filiusfamilias, dum est pubes, vel pubertati proximus, contrahere possit?

Respondeo, masculum dici puberem anno decimoquarto completo, dici vero pubertati proximum a decimo anno cum dimidio usque ad decimum quartum, scæminam vero dici puberem anno duodecimo completo, dici vero pubertati proximam anno nono cum dimidio usque ad duodecimum. Hoc præsupposito, ad quæsitum dico, filiumfamilias puberem, vel pubertati proximum posse quidem contrahere de bonis Castrensibus, vel

quasi Castrensibus; cum eorum liberam habeat administrationem, ( sunt autem bona Castrensia, ut notat Tambur. lib. 1. cap. 3. §. 7. *V. Peculium filiorum*, quæ comparat filius ratione militiae, vel in famulatu Regis, aut quæ ex hoc peculio Castrensi ludendo, vel negociando lucratur; Et quasi Castrensia dicuntur bona, quæ filius acquirit ex Artium liberalium professione, vel ex publico munere, puta advocati, medici, aut ex Sacerdotii, vel Beneficii proventibus, aut ex Regis liberalitate ) At de bonis adventitiis ( quæ scilicet aliunde, quam ex re Patris acquisivit, puta a Matre, Avia materna, vel extraneo; necnon de Profectitiis ( quæ scilicet ex bonis Patris perveniunt, quamvis cum industria, & labore filii ) non potest contrahere; cum usufructus adventitorum, & dominium cum usufructu profectitorum ad Patrem pertineat.

VI. Dico secundo: Filiusfamilias, antequam sit pubertati proximus, invalide contrahit, seu donat etiam bona Castrensia, vel quasi: Quia tamen probabile est non irritari a lege tales contractus, ideo probabile est, quod qui a filiofamilias non proximo pubertati aliquid accepit sine consensu Patris de bonis Castrensibus, vel quasi Castrensibus, possit ea retinere, donec repetantur coram Judice beneficio restitutionis in integrum.

VII. Ex dictis sequitur, posse filiumfamilias suas operas artificiales locare, & se obligare ad alteri servendum, quia filius non debet Patri operas artificiales, sed solum obsequiales, nisi tamen cum eo vivat, & ab eo alimenta recipiat, ex leg. *penul.*, ff. de *Obsequiis*.

VIII. Quæritur tertio, An Uxor possit absque Mariti consensu contrahere?

Respondeo, posse de bonis parapher;

phernalibus, non tamen de dote, cuius administratio spectat ad Maritum; Eadem ratione non possunt Religiosi alii se obligare contra Superioris voluntatem, cum per professionem subdantur omnino voluntati Superioris.

ARTICULUS VI.

Ex qua culpa contrahentes teneantur ad restitutionem in contractibus.

- I. Sine culpa Theologica gravi non datur grave onus restitutionis. Quamnam dicatur culpa lata, levis, levissima, ob quas in contractibus dari potest restituendi obligatio?
- II. In contractibus, qui sunt in utilitatem solius dantis, datur onus restituendi ob culpam latam; si vero sint in utilitatem solius recipientis, datur onus ob culpam levissimam, excepto Precario; si demum in utilitatem utriusque, ob culpam leviorem.
- III. Ex hac doctrina plura ad praxim deducuntur.
- IV. Quamvis citra culpam Theologicam gravem non detur onus restituendi sub gravi, nihilominus in contractibus secundum se presumitur Theologica culpa gravis, si detur culpa illa juridica, ob quam pro foro externo contrahens ad restituendum obligatur.
- V. Si casu fortuito res pereat, contrahens ad nihil tenetur, secluso pacto, aut mora culpabili.
- VI. Qui non potest in navi, imminente naufragio, res suas simul, & alienas conservare, quandoam debet suas potius projicere, quam alienas?

I. Diximus cum de Restitutione, neminem per se loquendo sub gravi teneri ad restitutionem, nisi ex

culpa Theologica gravi, idest ex peccato mortali. Notavimus tamen, aliquando peccatum mortale committi per culpam juridicam latam, aliquando per leviem, aliquando per levissimam; Est autem culpa juridica lata ommissio illius diligentiae, cautelae, circumspeditionis, quam communiter homines ejusdem conditionis, & professionis adhibere solent, ex leg. *Lata*, ff. de Verborum significatione; Unde si Medicus, verbi gratia, ignorat, quae communiter Medici sciunt, dicitur ignorare ex lata; sic qui librum commodatum relinquit ante fores domus, vel in via publica, dicitur committere culpam latam juridicam; quamvis, si id faciat ex oblivione inculpabili, excusetur a culpa Theologica, eo quod possit stare culpa juridica sine peccato. Culpa juridica levis dicitur ommissio diligentiae illius, quam adhibere solent diligentiores, ut si quis librum commodatum relinquat in cubiculo aperto. Culpa levissima juridica dicitur ommissio diligentiae, quam adhibere solent diligentissimi; ut si quis librum commodatum claudat in arca, quin manu tentet an arca sit clausa.

II. Quæritur nunc primo, Ex qua culpa teneatur ad restitutionem damni secuti contrahens?

Respondeo distinguendo; nam vel Contractus sunt in utilitatem solius accipientis, ut est commodatum; & tenetur ex culpa levissima, ex leg. *Contractus*, ff. de Regulis juris, quia æquitas postulat, ut maxima in eo adhibeatur diligentia. Excipitur tamen a jure Precarium, quia quamvis sit in utilitatem solius accipientis, ut commodatum, tamen tradens Precarium potest ad libitum illud revocare, quod non habetur in commodato; Unde solum de lata culpa tenetur aliquis ad restitutionem in Contractu Precarii, ut in eodem textu decernitur. Si tamen

men Contractus sit in solius dantis utilitatem, ut Depositum, tenetur contrahens solum de culpa lata, seu de dolo; non enim aequitas postulat, ut major adhibeatur diligentia in rebus alienis, quam in propriis; atque ad eo satis est, & requiritur diligentia, quae communiter solet adhiberi. Si demum Contractus sit in utilitatem utriusque, ut est Locatio, Pignus, &c., tenetur quilibet etiam de levi; ut si locetur equus, vel currus, & damnum patiatur, cum id aequitas postulet, ut communiter docent.

III. Hinc sequitur, quod Artifices, qui in re alterius laborant, teneantur de levi, si propter stipendium laborent; si vero gratis, teneantur solum de lata. Secundo, qui rem alienam mittit per servum, si ea amittitur, vel servus cum ea fugit, videndum quamnam diligentiam debebat dominus adhibere, ut decernatur, an ad restitutionem teneatur; majorem enim diligentiam adhibere debebat, verbi gratia, ad restituendum pignus, quam ad restituendum depositum. Tertio, Venditor tenetur de levi, si res vendita ante traditionem pereat, quia Contractus venditionis est in utilitatem utriusque; Et eadem ratione famulus, & custos rei alienae mercede conductus tenetur de levi, si res custodiae tradita pereat. Quarto, qui commodavit alteri, verbi gratia, vasa vitiosa ad conservandum vinum, unde vinum effunditur, tenetur de lata culpa; Si vero eadem vasa vendiderit, tenetur etiam de levi, quia prior Contractus est solum in gratiam recipientis; secundus in gratiam utriusque. Quinto, Nauta, qui res alienas deposito recipiunt consueto stipendio, sicut etiam stabularii, Caupones, &c. tenentur in conscientia de levi culpa, eo quod Contractus sit in utilitatem utriusque; in foro autem externo ex leg. quinta, §. *Ad hoc nauta*, tenentur etiam de

levissima, jure sic disponente, ad compensandam istorum malitiam, ne cum furibus conveniant.

IV. Rogabis, An qui de levi, vel levissima tenentur damnum restituere, obligentur in foro conscientiae ante Judicis sententiam?

Respondeo, communius cum Less. lib. 2. cap. 27. dub. 5., Navar., Azor., affirmare contra Henr., Sor., & alios, qui putant in Contractibus non nisi de lata, id est ex gravi culpa juridica teneri, secluso speciali pacto; quorum sententiam probabilem putat Less.; Equidem censo nunquam ad restitutionem teneri, nisi praecesserit culpa Theologica mortalis. Verum culpa juridica levis, quae in uno Contractu de se non est mortalis, in altero Contractu, in quo debemus esse diligentiores, erit mortalis. Nam contrahentes se obligant ad praestandam curam, & diligentiam, quam jura praescribunt; quare cum jura majorem diligentiam in uno Contractu praescribant; quam in alio, ideo ommissio majoris diligentiae in uno Contractu erit peccatum mortale, & obligabit ad restitutionem, non vero in alio: Quod si per oblivionem, vel inadvertentiam sine culpa mortali Theologica damnum sequatur, existimo contra Bonac. punct. 6., quod non teneatur contrahens ad restitutionem. Quare secundum se praesumitur culpa Theologica gravis, & datur in conscientia onus restitutionis, quando in Contractibus datur illa culpa juridica, ob quam pro foro externo contrahentes ad restituendum obligantur.

V. Quæritur secundo, Ad quid tenetur contrahens, quando res aliena perit casu fortuito?

Respondeo, quod secluso pacto, vel mora culpabili contrahentis, ad nihil teneatur; quia res, quae perit, domino perit. Dixi tamen primo, excepto pacto, nam si accipiens obligarit se

se ad restitutionem rei, etiam si casu fortuito pereat, tunc tenebitur ex pacto, ut communiter accidit in assecurandis mercibus, quæ mari transvehuntur; Dixi deinde, excepta mora culpabili; hæc enim ad restitutionem obligat etiam ex casu fortuito, nisi res etiam apud dominum peritura esset, ut diximus cum de Restitutione.

Hinc fit primo, quod si Titius equum habeat commodatum, vel locatum, ut eat Apuliam versus, & contra pactum eat Romam versus, ubi in flumine, aut aliter equus casu pereat, teneatur ad restitutionem, ut docent Vasq., Rebell., Bonac. loc. cit.; quia culpabiliter, & contra conventionem equum eo transmisit, ubi perit, quamvis per accidens. Fit secundo, quod si quis vestem, verbi gratia, sibi commodatam distulerit restituere tempore præfixo, & deinde casu incendatur, obligetur ad restitutionem; quia fuit in mora culpabili eam restituendi tempore præstituto.

VI. Quæritur tertio, An teneatur ad restitutionem, qui custodiens, verbi gratia, in navi res suas, & alienas, cum non possit utraq; servare, projicit alienas, & conservat suas?

Respondeo, distinguendum esse: Nam si conservat res alienas, ita ut teneatur de levissima, verbi gratia, quia habet commodatas, procul dubio tenetur in casu adducto ad restitutionem, dummodo res suæ, quas conservat, sint æqualis, vel minoris valoris: Et ratio est, tum quia id statuitur in lege prima, ff. de Obligationibus, tum etiam quia cum teneatur de levissima, tenetur circa rem illam se gerere, sicut se gereret diligentissimus; sed diligentissimus in tali casu rem illam conservaret præ aliis; ergo si non conservet, tenetur ad restitutionem, ut docet Bonac. loc. cit., Molin., Sâ, Less. lib. 2. cap. 27. dub. 8.: Si vero teneatur de levi, ut in Con-

tractu Pignoris, & Locati, poterit res proprias neglectis alienis ejusdem, vel minoris valoris conservare; quia circa illa tenetur se gerere, ut vir prudens; vir autem prudens in tali casu præferret res suas alienis. Si tamen alienæ essent majoris valoris, non posset illis præferre res suas; non enim id faceret prudens; Quamvis in tali casu putat Molin., quod possit a domino talis rei petere pretium rei suæ vilioris, quam neglexit, ut rem illam pretiosorem conservaret. Demum si solum de lata tenetur, ut in Contractu Depositi, non tenetur rem suam viliozem negligere ad custodiendam pretiosorem alterius, si non speret damnum sibi resectum iri.

### ARTICULUS VII.

Cuiam competat restitutio in integrum, si ex aliquo Contractu læsus sit?

I. Quid ferat restitutio in integrum?

II. Minoribus conceditur beneficium restitutionis in integrum, si læsi sunt in Contractibus, nisi impetrarint veniam aetatis, aut Contractum ratificaverint facti Majores.

III. In multiplici casu possunt Minores hoc beneficio gaudere, sed non nisi per quatuor annos post vigesimum quintum.

IV. Majores contrahentes cum minoribus possunt tale damnum precavere, aut obtinendo veniam aetatis, aut exigendo juramentum, vel fidejussionem.

V. Præter Minores gaudent hoc privilegio Ecclesie, Hospitalia, & alia loca pia; Item Personæ Ecclesiasticæ, quando sunt læsæ quoad jura Beneficii, Respublica, Civitas, Oppidum, Castrum, necnon Rudes, ac Mulieres, Milites, dum militant, & alii.

I. Dici.

I. **D**icitur Restitutio in integrum, Reductio in eum locum, in quo quis fuit ante læsionem, ex Glof. in cap. de *Auditis*, de *In integrum restitut.* Ea fert Beneficium, seu remedium, quo personæ aliquæ læsæ a Iudice restituuntur in pristinum Jus, & statum, itaut Contractus licet validus ab ipsis celebratus rescindatur, vel saltem pretium æquetur, si in pretio graviter læsæ sint; (modica enim læsio pro nihilo reputatur,) Verbi gratia, si in Contractu centum aureorum subjerint jacturam decem, vel per emersionem damni, vel per cessationem lucri, possunt petere restitutionem in integrum.

II. Quæritur primo, An, & in quibus casibus concedatur Minoribus restitutio in integrum?

Respondeo, Minoribus, iis scilicet, qui nondum vigesimum quintum annum expleverunt, non solum concedi, quod possint rescindere Contractum celebratum in suum incommodum, tanquam irritum, & non obligantem, quamvis obliget alios, ut habetur *Instit. de inutilibus stipulationibus*, §. *Pupillus*; sed etiam concedi beneficium restitutionis in integrum, quando se læsos in Contractuprehendunt; ut si vendiderint rem nonaginta, quæ valet centum, ex leg. *At prætor*, ff. de *Minoribus*; Non potest tamen Minor tali beneficio gaudere: Primo si impetravit veniam ætatis a Principe. Secundo, si ratificavit Contractum post vigesimum quintum annum. Tertio, si addiderit juramentum; quamvis, ut diximus art. 4., possit relaxationem juramenti petere, & privilegio restitutionis in integrum gaudere.

III. Porro hoc beneficio uti potest Minor, primo, si in transactione, venditione, emptione læsus fuit, itaut nullam ex iis Contractibus utilitatem reportet, sed solum damnum non mo-

dicum, etiamsi justo pretio rem vendiderit. Secundo, si adivit damnosam hæreditatem, vel si repudiavit hæreditatem lucrosam, vel beneficium utile resignavit. Tertio, si rem suam amisit usucapione, vel præscriptione. Quarto, si rem notabilem donavit sine rationabili causa, qualis censetur esse propter nuptias, vel ex decenti remuneratione. Quinto, si mutuum pecuniam accepit, eamque ludo perdidit, poterit negare solutionem, restituendo solum id, in quo factus est ditior, ex leg. 2., Cod. de *Filiosfamilias*. Sexto, Minor, cui a debitore facta fuit solutio debiti sine licentia Tutoris, vel Curatoris, poterit per Judicem compellere debitorem ad novam solutionem, si pecunia non sit conversa in utilitatem Minoris.

Notandum tamen, privilegio hoc posse gaudere Minores dumtaxat per quatuor annos, postquam vigesimum quintum annum expleverint, & Majores facti sunt; dummodo Contractum non ratificaverint completo anno vigesimo quinto.

IV. Notandum præterea, quod Majores, qui cum Minoribus contrahunt, possunt damnum præcavere: Primo, obtinendo a Principe veniam ætatis minoris. Secundo, extorquendo juramentum a Minore, quod communis Doctores docent firmare Contractum. Tertio, procurando fidejussorem, qui se obliget ad restituenda damna, si velit Minor hoc beneficio uti.

V. Quæritur secundo, Quinam alii hoc privilegio gaudeant, præter Minores?

Respondeo, gaudere Primo Ecclesias; quo nomine veniunt Hospitalia, Monasteria, & loca pia, quæ privilegiis Ecclesiæ gaudent, itaut per quadriennium possint tali privilegio uti, & quidem etiam adversus aliam Ecclesiam, ut docet Laym. Secundo, personas Ecclesiasticas, si sint læsæ in ali-

aliquo secundum se spectante ad jura Beneficii: Quare si in locatione Beneficii sint læsæ, non possunt tali privilegio gaudere, quia læsio hæc non spectat ad jura Beneficii. Tertio, Rempublicam, quo nomine venit etiam Universitas, Castrum, Oppidum, Universitas studiorum: Quarto, Rudes, & Mulieres, quæ jura ignorant. Quinto, Milites, dum militant, & alios, ut videre est apud Molin. disp. 574., Sanchez lib. 6. disp. 38. Relate vero ad Religiosos in Compendio nostrorum Privilegiorum V. *Privilegia* §. 9. dicitur Joannes XXIII. concessisse Patribus Olivetanis, ut læsio quæcumque iisdem facta etiam ob culpam ipsorum Religiosorum ipso jure non teneret, quin opus esset restitutionem in integrum pro læsione hujusmodi impetrare.

ARTICULUS VIII.

An obliget Contractus celebratus sub Causa, Modo, Demonstratione, vel Conditione?

- I. Contractus fit sub Causa, si explicetur causa movens ad Contractum, sive ea sit Finalis, sive Impulsiva.
  - II. Fit sub Modo, si adjiciatur onus contrahenti nullatenus suspendendo Contractum, sicut suspenditur per Conditionem. Sed quid si dubitetur num fiat sub Modo, an sub Conditione?
  - III. Sub Demonstratione fit dispositio, quando indicatur qualitas aliqua, vel rei, qua disponitur, vel ejus, in quem fit dispositio.
  - IV. Fit demum sub Conditione, quando usque ad adventum Conditionis suspenditur Contractus. Conditio autem potest esse honesta, turpis, impossibilis, impertinens, &c.
  - V. Non subsistente causa finali, Contractus est invalidus; secus vero si non subsistat causa impulsiva.
- Pars IV.

- VI. Si causa finalis testamenti non subsistat, sed subsistat causa finalis legatorum, hæc sunt valida, illud vero nullum. Pariter nulla est donatio elemosyna, aut collatio Beneficii, si causa finalis non subsistat; seu quando innotescente falsitate, non solum non conferretur talis elemosyna, aut Beneficium, sed conferens vellet collationem esse irritam.
- VII. In dubio num deprehensa falsitate donans vellet irritam esse donationem, favendum possidenti, & standum pro valore actus.
- VIII. Valida est dispositio facta sub Modo, etiamsi Modus, qui sit causa impulsiva, non adimpleatur; ut si quis donet filia centum, ut Religionem ingrediatur, & deinde hæc non ingrediatur: Secus vero si sit causa finalis.
- IX. Error in Demonstratione non invalidat Contractum, nisi apponatur per modum Conditionis, aut Causæ finalis, aut refundatur in errorem circa substantiam.
- X. Contractus sub Conditione honesta, aut impertinente ante Conditionis purificationem non obligat: Nec si fiat sub conditione turpi; At post hanc purificationem probabilis obligat.
- XI. Conditiones impossibiles Contractum reddunt simpliciter nullum; Non tamen Contractum matrimonialem, in quo habentur pro non adjectis tam Conditiones impossibiles, quam turpes, quæ non sunt contra substantiam Matrimonii, (seu contra tria illa bona, fidelitatis, prolis, & Sacramenti;) sicut etiam in ultimis voluntatibus, saltem pro foro externo.
- XII. Habetur pariter pro non adjecta conditio ista, Si non nupsaris, Si Religionem non ingrediaris. Quid si quis relinquat alicui biscendum,

D si nu.

si nubat, centum vero si Religionem ingrediat? Aut si quis relinquat hereditatem Titio, itaut, si sine filiis decedat, ea transeat ad Cajum, & Titius Religionem ingrediat? Num legatum relictum pro Virginibus maritandis possit iisdem dari, si velint ingredi Religionem?

XIII. Num possit contrahens, antequam conditio purificetur, resilire?

XIV. Conditiones necessariae non suspendunt Contractum, sed habentur pro impletis.

I. **D**icitur primo Contractus, vel dispositio fieri sub causa, quando explicatur causa, propter quam movetur aliquis ad contrahendum, vel disponendum; ut si dicat dare eleemosynam propter consanguinitatem. Causa autem duplex esse potest, Finalis, & Impulsiva: Finalis est, quae ita movet contrahentem ad Contractum, ut sine illa Contractus non fieret; Impulsiva est, quae impellit, sed sine illa Contractus fieret, quamvis non ita facile. Verbi gratia, si quis det eleemosynam pauperi dicenti esse suum consanguineum eo animo, ut si non esset consanguineus, eleemosyna non daretur, talis causa dicitur finalis: Si vero adhuc daretur eleemosyna, quamvis non cum eadem liberalitate, dicitur causa impulsiva.

II. Dicitur secundo Modus in Contractibus clausula illa, qua adjicitur onus contrahenti, ita tamen ut non suspendatur Contractus, sicut suspenditur per conditionem. Modus explicari solet per particulas, Ut, Pro, Ne, & similes: Verbi gratia, do tibi hereditatem, ut mihi construas sepulchrum, vel pro reficienda Ecclesia, aut ne desit tibi pecunia ad faciendam eleemosynam, &c. Aliquando modus videtur importare conditionem; ut si dicatur, do tibi hereditatem ea con-

ditione, ut construas mihi sepulchrum: Sed si constet de mente disponentis, quod velit apponere modum, non conditionem, talis dispositio censenda est facta sub modo, non sub conditione; si vero dubitatur de mente disponentis, censenda est facta sub conditione, ex Molin., & aliis apud Trull., & Bonac. contra Bard. disp. 6. c. 10. §. 2., & alios apud Scildere.

III. Tertio dicitur Contractus, seu dispositio fieri sub Demonstratione, quando demonstratur, seu indicatur aliqua qualitas, vel rei, de qua disponitur, vel ejus, in quem fit dispositio; ut si dicatur, Do tibi praedium meum Nolanum, quod est centum jugerum, vel quod in tui gratiam emi a Petro; vel contraho tecum, quae es dives, pulchra, &c.

IV. Dicitur quarto fieri Contractus sub Conditione, quando suspenditur Contractus usque ad adventum conditionis; ut si dicatur, do tibi praedium, postquam adeptus es doctoratum, vel si ostenderit esse ex mea familia, vel donec vixeris, &c.; Conditio autem potest esse turpis, honesta, impossibilis, impertinens, necessaria, &c., ut fusc explicatur in tractatu de Matrimonio, cum de consensu conditionato.

V. Quæritur nunc primo: An validus sit Contractus non subsistente causa: verbi gratia, si quis emat equum, quia est strenuus, validusne erit Contractus, si non sit strenuus?

Respondeo, causa finali non subsistente Contractum non esse validum, secus vero si non subsistat causa impulsiva; Ita communiter: Et ratio est, quia Contractus vim habet ex voluntate contrahentis, qui non vult contrahere non subsistente causa finali, ut supponitur. Præterea dolus dans causam Contractui irritat Contractum; sed Contractus extortus per causam finalem non subsistentem, censetur extortus

tortus per dolum dantem causam Contractui; ergo est invalidus.

VI. Hinc sequitur primo, quod si testamentum fiat ex causa finali falsa, & legata in eo contenta sint ex causa finali vera, testamentum sit nullum, legata vero sint valida; quia utile per inutile non vitiatur in rebus dividuis.

Sequitur secundo, quod si elemosyna detur ex causa finali paupertatis, vel consanguinitatis, quæ non subsistit, talis donatio sit irrita, & detur obligatio illam restituendi, quando rationabiliter creditur, quod velit illam dominus restitui. Docent tamen communius, quod qui ostiatim petunt parvas elemosynas fingendo paupertatem, non teneantur ad restitutionem; quia causa finalis, propter quam datur talis elemosyna, est charitas potius, quam paupertas; quamvis elemosyna non daretur, si fictio paupertatis innotesceret: Sic valida est collatio Beneficii facta Clerico idoneo, quamvis si ejus vitia innotescerent, Beneficium non conferretur, eo quod causa finalis est idoneitas, quæ jam habetur, non prohibet illius. Quare dicendum, illam esse causam finalem dispositionis, vel Contractus, qua deficiente non solum non fieret dispositio, sed etiam disponens vellet dispositionem esse irritam; Sic qui dat elemosynam parvam fingenti paupertatem vere non daret, si sciret illum non esse pauperem, sed non vult donationem illam esse irritam, ut ex communiter contingentibus præsumitur; & ideo donatio illa est valida, & non datur obligatio restituendi: Aliter fere omnes Contractus essent invalidi, ut notat Molin., & Bonac., quia fere in omnibus subsunt aliquæ circumstantiæ, quæ si innotescerent, Contractus non fierent.

VII. Sequitur tertio, validam esse donationem factam vel foeminae, ut alliciat ad turpe facinus, vel Super-

riori, ut alliciat ad dandum Beneficium, vel diviti, ut alliciat ad mutuandum, quamvis vere non alliciantur, & si id prævideretur, donatio non fieret. Ratio est eadem, quia donatio est absoluta, non conditionata, ut notat Trull. hic: Contra vero invalida est institutio hæredis, quando Titius sit hæres, quia falso putatur esse filius; hæc enim institutio est æquivalenter conditionata; Nec solum est verum, quod si innotuisset falsitas, non facta fuisset talis institutio, sed etiam verum est, quod instituens vellet illam rescindi: Quæ tamen a prudenti viro ex communiter contingentibus judicanda sunt, ita tamen ut in dubio melior sit conditio possidentis, & stetur pro valore actus.

VIII. Quæritur secundo, An Contractus, vel dispositio facta sub modo sit valida, etiamsi modus non adimpleatur?

Respondeo esse validam, cum modus se habeat tanquam causa impulsiva tantum, & non suspendat dispositionem, vel Contractum; Dummodo tamen modus non sit contrarius substantiæ Contractus; si enim quis det mutuum, verbi gratia, ut accipiat aliquid ultra sortem, quia hoc destruit Contractum mutui, jam talis Contractus esset invalidus, utpote contractus usurarius, & non mutui; Sic si quis iniret Matrimonium cum Berta, ut adulteret, ut non concipiat, &c.

Hinc sequitur, donationem factam sub modo, qui non impletur, non esse revocabilem: Verbi gratia, si quis donet centum filiæ, ut Religionem ingrediatur, ea non ingrediente, donatio est valida; quia modus hic fuit causa tantum impulsiva: Secus vero si fuisset causa finalis, ut si quis donet centum filiæ, ut nubat consanguineo, talis modus videtur esse causa finalis, ut notat Bonac.; unde si per illam stet, ne consanguineo nubat,

D 2 non



non sunt danda illi centum. Verum in dubio, an modus sit causa finalis, vel impulsiva, censendum est, quod sit impulsiva; quia judicandum pro valore donationis. Notatque Rebell. apud Bonac., & Trull. disp. 9., quod habeat Modus vim conditionis, quando implendus est ante perceptionem emolumenti, vel si sit in favorem donantis; Verbi gratia, *Dono tibi centum, ut mihi construas sepulchrum*; Et econtra conditio habet vim modi, nisi aliter constet de mente disponentis, quando post perceptionem emolumenti implenda est, vel quando in favorem alterius apponitur.

Sequitur secundo, quod donatio facta, verbi gratia, Monasterio sub aliquo onere sit valida, etiamsi Monasterium tale onus non adimpleat; quia modus hic censetur esse causa tantum impulsiva, si aliter non constet de voluntate donatoris, nec aliud sit in donatione expressum, ut notat Less. lib. 2. cap. 18. num. 127., Bonacin. hic punct. 4.: Quare qui donat aliquid Ecclesie eo pacto, ut celebretur festivitas alicujus Sancti, vel ne alienetur sub poena restituendi rem illam, si id non adimpleatur, procul dubio donatio est irrita, si modus non adimpleatur; quia expresse constat esse hanc causam finalem.

IX. Quæritur tertio, An error in Demonstratione invalidet Contractum?

Respondeo non invalidare, dummodo demonstratio non apponatur per modum conditionis, vel causæ finalis, vel non refundatur in errorem circa substantiam. Ratio cur error in Demonstratione non invalidet universim Contractum, est, quia talis error est qualitaris, qui non vitiat Contractum: Quare si dicatur, *Do tibi prædium meum Nolanum*, quod est centum jugerum, valet dispositio, etiamsi prædium sit jugerum centum quinquaginta; quia talis error non pertinet ad

substantiam: Si autem esset, verbi gratia, mille jugerum, ex conjecturis colligenda est voluntas disponentis, ut notat Bonac.. Dixi tamen, nisi demonstratio apponatur per modum conditionis; ut si dicatur, *Contraho tecum, qui dabis mihi tantam dotem*; sensus enim est, si dabis mihi tantam dotem; Vel nisi apponatur per modum causæ finalis, ut si dicatur, *Contraho tecum, quæ es mea consanguinea*, ita ut sensus sit, quia es mea consanguinea: Vel demum nisi error in demonstratione refundatur in errorem circa substantiam; ut si dicatur, *Contraho matrimonium tecum, quæ es Berta*, vel quæ es Regina Hispaniæ; error enim personæ in matrimonio pertinet ad substantiam matrimonii, & sic reddit illud invalidum. Eodem modo si quis dicat, *Relinquo tibi centum*, quæ mihi debet Cajus, invalida est donatio, si Cajus nihil debeat, eo quod error sit in substantia rei; Quod si tantum debeat sexaginta, hæc tantum danda erunt donatio, quia error non est in substantia, sed in qualitate.

X. Quæritur ultimo, An Contractus factus sub conditione validus sit, atque purificetur conditio?

Respondeo, & dico primo. Si Contractus fiat sub conditione honesta, & possibili de futuro contingenti, non obligat ante eventum conditionis, sed statim post eventum conditionis obligat; Ut si dicatur, *Contraho tecum, si tuus Pater consenserit*, si mihi Titius solverit debitum, &c. Ratio est, quia contrahens non intendit se obligare, nisi post purificatam conditionem; Et idem dicas de conditione impertinenti, verbi gratia, *Contraho tecum, si cras pluerit*; hæc enim suspendit etiam, non vitiat Contractum, ex Sanch. lib. 5. disput. 8., & Bonac.

Dico secundo; Si fiat Contractus sub conditione turpi, ut *contraho tecum, si occideris Petrum*, ante purificationem

nem conditionis nullam inducit obligationem; quia nemo obligari potest ad ponendum id, a quo tenetur abstinere; Utrum autem post conditionem purificatam obliget? Less. cap. 18. dub. 3., & alii communiter affirmant, quia non amplius allicit ad peccatum; Quamvis nonnulli apud Sanch. lib. 5. disp. 9. num. 9. putent, quod non obliget, quia adhuc ad malum allicit illa spes lucrandi sic contrahendo post talem conditionem; Sicuti nonnulli contra communiorem sententiam apud Less. lib. 2. cap. 18. dub. 3. putant, quod promittens aliquid pro turpi opere non teneatur solvere, etiam turpi opere patrato. Certum tamen est, quod si Contractus sit sub conditione turpi de præterito, vel de presenti, non invalidetur; ut si quis dicat, Contraho tecum, quia prosecutus es odio, vel quia odio prosequeris Titium; istæ enim conditiones supponunt peccatum, non alliciunt ad illud.

XI. Dico tertio; Conditiones impossibiles reddunt Contractum simpliciter nullum; non enim parere possunt obligationem ante eventum conditionis, ut patet; nec post, cum conditio impossibilis nunquam purificari possit.

Notandum tamen, id esse speciale in Contractu matrimonii, quod conditiones turpes, quæ non sint contra substantiam matrimonii, (videlicet contra tria illa bona fidelitatis, prolis, & Sacramenti, idest si adulteraveris, aut si prolem evitaveris, aut si uterque velit se obligare vinculo matrimonii non in perpetuum, sed ad tempus dumtaxat, & dissolubiliter,) necnon conditiones impossibiles, habeantur pro non adjectis: Unde matrimonium contractum sub conditione, si Petrum occidas, si montem aureum videas, non invalidant matrimonium: Dummodo tamen non sit certum, contrahentes nolle contrahere his conditionibus non

impletis; etenim matrimonium sine consensu procul dubio invalidum est. Quando tamen consensus habetur, conditiones istæ ab Ecclesia habentur pro non adjectis in solo matrimonii Contractu; nisi tamen reputentur falso ut honestæ, & possibiles, ut notat Sanch. lib. 5. disp. 3. num. 8.: Quare si quis dicat, Contraho tecum matrimonium, si tuus Pater consentiat, & Pater sit mortuus, unde consentire non possit, Contractus hic est nullus, quia sub hypothesi impossibili putata possibili; Nec talis conditio impossibilis rejicitur a jure in Contractu matrimonii; quia in tali casu vere deficit consensus ad validitatem matrimonii requisitus.

Notandum secundo, in ultimis voluntatibus (saltem pro foro externo ex Vasq. de Restitut. cap. 7. disp. 10. apud Bonac. hic) haberi pariter pro non adjectis conditiones impossibiles, & turpes; idque in favorem actus, cum non possit testator post mortem inquiri, serio ne, an joco illas apposuerit.

Præterea rejicitur, & habetur pro non adjecta illa alia conditio, si non nupseris, si uxorem non duxeris. Unde si Bertæ ante primas nuptias legentur biscentum, si non nubat, centum vero si nubat, danda illi sunt biscentum, etiam si nubat; quod tamen verum est relate ad primas, non vero relate ad secundas nuptias. Idem dicendum in favorem Religionis, & Ecclesiæ, ex Bonac. de conditione illa, si Religionem non ingrediaris, quæ pariter habetur pro non adjecta; Unde si Bertæ relinquuntur centum, si nubat, adhuc illi danda sunt centum, si ingrediatur Religionem, idque ex præsumpta voluntate testatoris: Quod si expresse hic velit dare aliquod emolumentum temporale pro nuptiis carnalibus, quo non indiget, si Religionem ingrediatur, ut si dicat, Do illi biscentum,

tum, si nubat, centum vero si Religionem ingrediatur, in tali casu cum non possit praesumi voluntas testatoris, quod velit dare biscentum, etiam si Religionem ingrediatur, putat Sanch. lib. 1. disp. 33. num. 32. cum Molin. contra Bonac. hic, Sylvest., Rebel., & communioem Doctorum sententiam, quod solum illi centum danda sint, si velit ingredi Religionem.

Hinc putat Rebel. apud Bonacin., quod si quis relinquat hereditatem Titio eo pacto, ut si sine filiis decedat, hereditas transeat ad Cajum, Titio in Religionem ingrediente, hereditas transeat ad monasterium, non ad Cajum, eo quod conditio illa videatur rejicienda, quatenus potest a Religione retrahere.

XII. Dubium est primo, an si relinquatur legatum pro Virginibus maritandis, possit hoc dari alicui Virgini in Religionem ingredienti; eo quod spirituale matrimonium cum Christo contrahat, quod praestat matrimonio carnali? Afirmant Molin., & Rebel.; Negat tamen Bonac. hic, & alii apud Sanch. loc. cit., quia mens testatoris observanda est; cum autem loquatur testator de matrimonio, non loquitur nisi de matrimonio carnali.

XIII. Dubium est secundo, An qui sub aliqua conditione celebravit Contractum, possit ante adventum conditionis licite resilire?

Respondeo, ante acceptationem posse resilire, qui liberaliter promisit tam ante, quam post adventum conditionis; & similiter promittens promissione onerosa potest resilire ante repromissionem: At posita acceptatione, vel repromissione, non potest contrahens resilire ante adventum conditionis; quia ex intentione contrahentium oritur talis obligatio: Excipitur solum donatio causa mortis, nam, ut infra dicemus, habet ex dispositione juris hanc tacitam conditionem, Nisi re-

vocetur, ut advertit Bonac. punct. 4. XIV. Dico ultimo, Conditiones necessariae, verbi gratia, si cras sol oriatur, non suspendunt obligationem ortam a Contractu usque ad eventum conditionis, sed statim obligatio con-surgit, nisi expresse contrahentes dicant nolle se obligare ante conditionis eventum. Ita communiter. Ratio est, quia conditio necessaria habetur pro impleta; Unde fit, quod contrahentes matrimonium sub conditione necessaria, possint statim illud consummare ante eventum conditionis; cum jam sit ratum; secus vero, si fiat sub conditione contingenti.

## ARTICULUS IX.

Expediuntur reliqua ad Contractus spectantia.

- I. *Contractus per Procuratorem validus est, quamvis Procura sit revocata, si non sit intimata; Non tamen matrimonium, nec Sponsalia, nec Verum, nec Contractus in praedictum tertii, & similes. Mortuo Principali Contractus per Procuratorem celebrati sunt irriti, etiam si id ignoret Procurator, si res sit integra, & non pertineat ad causas pias.*
- II. *Si quis per Nuncium, aut Epistolam mittat aliquid donandum, & interim dominus moriatur, donatio est nulla.*
- III. *Pariter est nulla emptio, si quis mandet per Nuncium aliquid emi, & ante emptionem revocetur mandatum. Sed est validus Contractus, si fiat ab Instigatore, qui interim revocetur, si non proponatur publice talis revocatio.*
- IV. *Evincere est auferre rem de manu emptoris, eo quod non pertineat ad venditorem, & tunc emptor habet jus adversus venditorem, ut servetur indemnitas.*

V. In omnibus Contractibus onerosis, præterquam in nonnullis casibus, datur obligatio de evictione, non tamen in Contractibus lucrativis, secluso pacto, & culpa contrahentis.

VI. Contractus, qui est invalidus, per hoc, quod alter ficit, aut per metum consenserit, probabilius per verum, ac liberum ejusdem consensum internum ratificatur, quin requiratur novus consensus utriusque. Contractus vero irritus propter dolum dantem causam Contractui, aut propter impedimentum dirimens, requirit novum utriusque consensum, postquam veritas innotuerit.

VII. Probabilius idem dicendum in matrimonio propter aliquod impedimentum invalido; debet enim illud innotescere utrique parti, antequam revalidetur matrimonium. Sed quid in casu urgentissima necessitatis ad scandalum vitandum?

I. Quæritur primo, Quandonam sit validus Contractus per Procuratorem celebratus?

Respondeo, & dico primo, si Contractus per Procuratorem celebretur, validus est, & ad illum Principalis obligatur, etiamsi procuram ante revocaverit, modo non sit prius intimata; Unde debitor, qui tali Procuratori solvit, liber est ab iterum solvendo, ex leg. Si mandatum, ff. Mandati apud Trull. dub. 10.

Dico secundo; Gesta per Procuratorem mortuo principali nulla sunt, etiamsi Procurator mortem ignorarit, dummodo res sit integra, & non pertineat ad causas pias. Ratio est, quia solum in causis piis mandatum non expirat morte mandantis, quando res est integra; nam si ante mortem res cepta sit, etiam post mortem valet gestum, quia acquisitum est jus per inceptionem; Verum tamen est, quod

Procurator, si quod damnum patitur sine culpa sua, poterit illud repetere a Principali.

Dico tertio; Matrimonium per Procuratorem celebratum est irritum, & sit revocatus Procurator, etiamsi revocatio non sit illi notificata, ut communiter Doctores docent; Et ratio est, quia Respublica non potest in hoc Contractu consensus defectum supplere. Et idem dicendum in similibus Contractibus, puta in Sponsalibus, in Cognatione spirituali per Procuratorem contrahenda, in Voto per Procuratorem emisso, in Excommunicatione per alium lata, in actibus, & Contractibus, in quibus agitur de præjudicio tertii; Hinc si revocetur Procurator ad Beneficium acceptandum, vel ad agendum in judicio, nulla est acceptatio Beneficii, vel sententia pro eo lata; Et idem dicas de aliis casibus adductis a Pontio cap. 13.

II. Hinc sequitur primo, quod si quis per Nuncium, vel Epistolam mittat aliquid donandum, verbi gratia, Titio, & antequam Nuncius, vel Epistola perveniat, moriatur dominus, donatio ipso jure est irrita, ex leg. 2., ff. de Donationibus.

III. Sequitur secundo, quod si Petrus per Nuncium mandet emi, verbi gratia, frumentum, & ante emptionem revocet mandatum, sit pariter emptio nulla; Principalis tamen tenetur ad omne damnum, quod inde pateretur venditor, si verbi gratia, non reperiret amplius similes emptores; Et ratio est, quia tale damnum subit ex inconstantia Principalis, ut notat Filiuc. apud Trull. dub. 10.: Contra vero si institor faciat aliquem Contractum, & interim revocetur institor, Contractus est validus, si non sit publice proposita revocatio, ex leg. Quicumque, ff. de Institore. Ratio est, quia publice proponitur institor, & publice debet revocari. Est autem Institor, qui

qui instat alicui negotio, cui prapofitus est, verbi gratia, vineis vendendis, frumento emendo; Sicut etiam is, cui dantur vestes circumferendæ, & vendendæ; qui autem eas proponit, dicitur Exercitor.

IV. Quaritur secundo, Quid importet obligatio, quæ dicitur ad evictionem?

Respondeo, evictionem esse ablationem rei emptæ, vel alio Contractu habitæ per sententiam iudicis; unde evincere est auferre rem de manu emptoris, propterea quod alius probet rem esse suam, & ad se, non ad venditorem pertinere. Teneri itaque venditorem de evictione est teneri venditorem procurare, ut emptor legitime habeat rem venditam, vel ut servetur indemnis, si ab alio res illa in iudicio evincatur; Unde fit, quod emptor, quando res emptæ sibi evincitur, seu tollitur, habeat jus ad recuperandum pretium simul cum expensis a venditore.

V. Habetur autem obligatio de evictione in omnibus Contractibus onerosis, ex leg. *Libera*, ff. de *Sententia interlocutoria*; Primo itaque in venditione. Secundo, in permutatione. Tertio, in divisione hæreditatis; quando enim hæreditas dividitur inter plures, & id, quod unus accipit, evincitur, alii hæredes tenentur huic de evictione: Et eadem est ratio, quando res communis pluribus dividitur inter illos. Quarto, in promissione dotis Genero. Quinto, in Emphyteusi, Censu, Locatione, & similibus Contractibus onerosis. In Contractibus vero lucrativis, secluso pacto, & culpa contrahentis, non habet locum evictio.

Notandum tamen, quod non teneatur de evictione venditor, vel qui aliter rem alienavit, Primo, si motu lite emptori, id non denunciatur ab emptore venditori, ut possit rem illam defendere. Secundo, si in Contractu

expressum fuit, quod non teneatur de evictione. Tertio, quando sententia est aperte injusta; quia perinde est ac si res furto ablata esset. Quarto, quando emptor culpa sua amisit rei emptæ possessionem.

VI. Quaritur tertio, Quomodo ratificari debet Contractus, qui fuit invalidus?

Respondeo, & dico primo: Si Contractus fuit invalidus, eo quod fide, vel per metum alter consenserit, probabilius est nihil aliud requiri, nisi consensum internum liberum ejus, qui fide, vel per metum consentit. Ita communius cum Less. cap. 17. dub. 11. contra Sanch. lib. 2. disput. 32. requirentem novum consensum utriusque. Ratio Conclusionis est, quia in tali casu nihil defuit præter consensum liberum internum unius contrahentis; ergo si is habeatur, Contractus erit validus.

Dico secundo: Quando Contractus fuit invalidus ex eo quod dolus dederit illi causam, tunc deceptus non censetur illum ratificare, nisi veritate detecta iterum exterius consentiat. Ratio est, quia quandiu veritas ignoratur, consensus non est liber: Et idem dicitur, si tempore Contractus suberat aliquod impedimentum irritans; ut communiter docent in Contractu matrimonii, & in Professione Religiosa; si enim impedimentum irritans non innotescat, novus consensus est repetitio antiqui invalidi, & sic Contractus est invalidus. Quare requiritur, ut postquam innotuerit impedimentum occultum esse sublatum, iterum consentiant contrahentes saltem exercite, videlicet cognoscendo se affectu maritali, &c.; Et eodem modo in donationibus, & aliis Contractibus dolo factis; detecto enim errore, si donans non contradicit, cum facile possit, censetur exercite ratificare donationem.

VII.

VII. Difficultas est in matrimonio, quando fuit irritum ob aliquod impedimentum, num debeat eo sublato innotescere utrique conjugii, ut uterque de novo contrahat? Multi apud Less. loc. cit., Sanch. lib. 7. disp. 36. docent, satis esse, quod innotescat tantum alteri parti, verbi gratia uxori, quæ erat conscia talis impedimenti, & ista inducat maritum ad iterum contrahendum, casu quo primus Contractus fuisset invalidus; Communior tamen, & probabilior sententia docet,

debere utrique innotescere invaliditatem primi Contractus, ut valide possint iterum contrahere. In casu tamen gravissimæ necessitatis licitum est uti priore sententia, quando scilicet facile est, ut alter, cui de novo impedimentum innotescit, nolit matrimonium revalidare, & inde oriantur odia, rixæ, homicidia, liberorum velut illegitimorum desertio, necnon uxoris tanquam concubinæ infamia. Atque hæc de Contractibus in genere dixisse sit satis.

## Q U Æ S T I O II.

### De Emptione, & Venditione.

**A**bsoluta disputatione de Contractibus in genere, descendimus ordinata methodo ad disputandum de singulis principalioribus in specie. Et primo quidem de Emptione, & Venditione, quæ in usu frequentissima sunt, & subjacent plurimis difficultatibus. Quæremus autem primo, Quid sit Emptio, & Venditio? Secundo, Quænam res emi, vel vendi possint? Tertio, Quodnam sit pretium justum rerum vendibilium? Quarto, An monopolia, & negotiatio sint illicita? Quinto, An debeat venditor aperire vitia rei vendendæ? Sexto, Ad quem spectent fructus rei venditæ? Septimo, Cui res vendita pereat, si perit ante traditionem?

#### ARTICULUS I.

##### Quid sit Emptio, & Venditio?

- I. Emptio est Pactio pretii pro merce; Sicut Venditio est Pactio mercis pro pretio. Quid venit nomine mercis? Traditio rei, aut pretii non requiritur ad Contractum perficiendum, sed ad transferendum dominium.
- II. Tributum, seu laudemium debetur Gabellario, seu domino, qui erat tempore Contractus, non illi, qui est tempore traditionis. Quid si Contractus exigat ratihabitionem?
- III. Si pro merce datur pretium simul, Pars IV.

& alia res, Contractus dicendus erit venditionis, si pretium excedat talem rem, ut proinde gabella debeatur; secus vero erit permutationis. Quid si res non excedat valorem pretii, quod cum illa datur?

- IV. Non est Emptio, sed locatio, & conductio, quando Artifex ponit solas operas, & non materiam; Secus vero si materiam simul, & operas ponat, & in hoc casu gabella erit solvenda.
- V. Non tamen si Artifex materiam simul, & operas ponat edificando domum in fundo meo.

I. **D**efinitur Emptio, quod sit Pactio pretii pro merce; sicut e-

E con-

contra Venditio definitur, quod sit *Pactio mercis pro pretio*. Nomine autem mercis venit qualibet res vendibilis, videlicet res mobiles, immobiles, actiones, jura, & quodcumque pecunia aestimari potest. Quare tria ad Emptionem, & Venditionem requiruntur, merx, pretium, & mutuus consensus exterius expressus: Nec requiritur ad hunc Contractum traditio rei, aut pretii, ut perficiatur, ex *leg. 4. De contrahenda emptione*; quamvis requiratur traditio rei, ut per Contractum hunc transferatur dominium illius.

II. Dubium tamen est, quando ex emptione, vel Venditione rei tributum aliquod, seu gabella, vel laudemium solvendum est Gabellario, vel domino directo, cuiusmodi tributum, Gabellario ne, qui existerat tempore emptionis, an illi, qui existit tempore traditionis rei?

Respondent communiter cum Molin., Bonac. hic contra Vasq., & Tiraquel., deberi illi, qui erat tempore Contractus, cum emptio sit perfecta ante traditionem rei, si consensus sit absolutus: Quod si consensus sit conditionalis, tunc suspenditur consensus; verbi gratia si intendant contrahentes contrahere dependentem a confessione scripturae, vel alterius conditionis, & in tali casu etiam tributum debetur quidem post impletam conditionem, sed Gabellario, qui existerat, quando celebratus fuit Contractus, non quando purificatur conditio, quia impleta conditione Contractus fictione juris retrahitur ad tempus, in quo fuit celebratus, ex *leg. Qui balneum* apud citatos Doctores; Et idem docent, si Contractus requirat ratihabitionem; Quamvis Vasq., & Tiraquel. putent oppositum, quod scilicet gabella solvenda sit Gabellario existenti tempore ratihabitionis.

III. Quæritur nunc primo, Utrum

habeatur Emptio, an Permutatio, vel alius Contractus innominatus, quando pro merce datur pretium simul cum alia re? verbi gratia, si pro domo dentur centum aurei, & equus, habeturne emptio, ita ut debeatur gabella, an non?

Respondeo, quod si pretium excedat rem, quæ cum illo datur pro merce, talis Contractus dicendus sit Emptio, secus Permutatio: Quod si res, & pretium erunt ferme æqualia, talis Contractus erit vel Emptio, vel Permutatio ad arbitrium Contrahentium. In dubio autem num intenderint celebrare Contractum venditionis, an permutationis, attendi debent verba, quibus Contractus celebratus est, ex *leg. In stipulationibus, de Regulis juris*. Quare quando gabella pro emptione alicujus rei solvenda est, Contractus dictus dicendus simpliciter emptionis, si pretium excedat rem, quæ cum illo datur, ut si pro domo dentur centum, & equus, qui valeat viginti aureis, atque adeo gabella solvenda est: Contra vero si res excedat pretium, ut si pro domo dentur centum, & equus, qui valeat quingentis aureis; Quod si equus valeat etiam centum aureis, puto cum Molin., & Bonac., quod pro tali Contractu dimidia gabella solvenda sit, contra Bald., & alios existimantes esse Contractum venditionis, & sic gabellam esse integre solvendam; Et contra Gomez, & alios putantes esse Contractum permutationis, & sic gabellam simpliciter non esse solvendam.

IV. Quæritur secundo, In quo differat Emptio a locatione, & conductione?

Respondeo, quod si Artifex ponat solas operas, non materiam, ut si ex auro meo Artifex conficiat anulum, talis Contractus dicitur locationis, & conductionis; quia Artifex locat operas suas, & ego illas conduco: Si ve-

ro Artifex materiam simul, & operas ponat, censetur emptio, & venditio, ut si Artifex det mihi anulum ex auro suo; Unde gabella solvenda est.

V. Excipiendum tamen, si in fundo meo Artifex fabricet domum, apponendo materiam, videlicet lapides, tegulas, culcem, &c.; censetur enim Artifex operas suas locare, ex leg. Sabinus ff. de Contrahenda emptione, quia domus in alieno solo fabricata cedit domino fundi, & ideo in tali casu gabella non esset solvenda.

ARTICULUS II.

Quanam res emi, vel vendi possunt?

- I. Res pretio aestimabiles dumtaxat emi, vel vendi possunt, seclusa speciali prohibitione; Unde non possunt vendi spiritualia, nisi ratione materiae; Nec Templum sine licentia; Nec res pupilli, vel minoris; Nec homo liber, nisi pro vita menda, pro aliis redimendis, aut si Saraceni bello iusto sint capti.
- II. Res indifferentes, quibus homines sepe ad malos usus utuntur, quando vendi possunt? Num possunt ex motivo propria utilitatis vendi huiusmodi res, qua non vergunt in damnum proximi, & quarum abusus a Republica toleratur? Quid si locando domum ludentibus, aut meretricibus grave inde damnum sequatur?
- III. Quando, & a quibus, & sub quibus conditionibus vendi possunt publica officia secularia, puta Gubernatoris, Judicis, &c.?
- IV. Quonam pacto emi possit res furtiva? Ad quid tenetur, qui bona fide rem furtivam emit, & revendidit? Et quid si mala fide emerit?
- V. Venditio rei aliena jure positivo est solum invalida quoad transferendum dominium talis rei, non vero

quoad transferendum dominium pretii. Hinc potest dominus rei vendite sibi illam vindicare, ubicunque repererit, & Venditor mala fide illam vendens solum tenetur Emptori damnum resarcire.

VI. Quando poterit quis cogi ad vendendas res suas?

VII. Si res eadem uni doneatur, alteri vendatur, & tertio vendatur simul, & tradatur, ad quem istorum ea spectabit?

VIII. Quando donatur res Titio ab eo, qui impar est solvendis omnibus debitis, poteritne Titius rem illam sibi retinere? an debet creditoribus donantis illam restituere?

I. Certum est, vendi posse omnia pretio aestimabilia, nisi specialis prohibitio adsit, qua illicitam, vel invalidam reddat venditionem.

Hinc fit primo, spiritualia vendi non posse, cum non sint pretio aestimabilia; Potest tamen vendi calix consecratus, aut aliud ratione materiae, vel ratione laboris in eo conficiendo: Labor tamen, qui per se annectitur rei spirituali, verbi gratia, in administratione Sacramentorum, &c. sine lae simoniae vendi non potest.

Secundo, nec potest vendi templum sine licentia, etiamsi vendatur ratione materiae, cum talis venditio irritetur in leg. Sancimus, de Sacrosanctis Ecclesiis; Et ut notat Trull. dub. 19. prohibitum etiam est vendere vasa sacra integra etiam ratione materiae; secus vero si sint confracta; quia tunc sanctitatem amiserunt.

Tertio, res pupilli, vel Minoris, &c., vendi non possunt a Tutore, vel Curatore; quamvis in conscientia valida sit venditio, si bona fide justum pretium solvatur.

Quarto, non potest homo liber vendi, ex leg. Sed Celsus, Cod. de Contrahenda emptione, nisi pro vita propria



pria tuenda, vel pro alio redimendo, ut fecit S. Paulinus Episcopus Nolanus; vel si vendatur filius a Patre ob nimiam egestatem; vel si vendantur Saraceni iusto bello capti.

Notandum tamen, quod licet possit aliquis se vendere ad vitam tuendam, non possunt tamen alii illum emere; quia ex lege charitatis debent illi vel mutuum dare, vel conducere eorum operas anticipata solutione.

II. Quæritur nunc primo: An liceat vendere res indifferentes, quibus homines sæpe ad malos usus utuntur, ut sunt chartæ lusoriae, taxilli, arma, venena, &c.?

Respondeo, Reginal. apud Dian. part. 1. tract. 8. resol. 41. negare, quia hoc esset cooperari ad proximi ruinam, quod est peccatum contra charitatem; Equidem dico cum Sanch., Trull. dub. 20., Pal., Dian. loc. cit., quod vendere rem ex se tendentem ad malum sit illicitum; ut vendere Idola Paganis, Judæis panem azymum, vestes sacerdotales, gladios circumcisorios, ædificare Judæis Synagogas, Mauris Mesquitas, Idololatrias Delubra, &c. Sicut nec licet Judæis vendere Crucifixum, si præsumatur eos abufuros ad irrisionem. Circa res vero indifferentes non tendentes ex se ad malum, distinguendum est; Nam vel abusus illarum est in damnum Tertii, & a Republica non toleratus; Et non licet eas vendere; sic non licet vendere venenum illi, quem scio abufurum, nec mulieri prægnanti ea, quæ tendunt ad abortum, nec gladium Petro, si sciam, quod velit alium interficere; Si tamen res indifferentes non sunt in damnum proximi, & earum abusus toleratur a Republica, licitum est eas vendere; Nec tenetur Venditor examinare mores, & intentionem ementium, dum modo ex motivo propriæ utilitatis, aut alia ex rationabili causa ea vendat. Ratio est, quia nemo

tenetur, quamvis possit, cum suo notabili damno vitare peccata alterius, quæ non sunt in damnum Tertii, & a Republica tolerantur: Et ideo communiter docent, quod possum ab Usurario parato accipere mutuum solvendo usuras. Quare licitum est vendere aleas, & taxillos, quamvis advertam emptores iis male usuros; possum etiam vendere Judæis agnum, & flores; possum vendere fucos, & ornamenta meretricibus, cibos iis, quos scio violaturos jejunium; possum locare domum Usurariis, meretricibus; dummodo tamen istæ sua vicinia non plurimum noceant aliis feminis honestis; hoc enim vergeret in damnum aliorum; Unde non qualibet necessitas, & utilitas, sed magna, & notabilis requireretur, ut posset domus iis locari: Propter eandem rationem non possum locare domum ludentibus, qui ludo sæpe blasphemias, & furra adjungunt; quia major causa requiritur ad permittenda hæc peccata publica blasphemiarum, & furti, quam alia minus gravia, ut dicemus cum de Contractu locationis.

III. Quæritur secundo: An vendi possint publica officia sæcularia, puta Gubernatoris, Judicis, &c.?

Respondeo cum D. Th. opusc. 20. ad Ducissam Brabantiam, Less. lib. 2. cap. 72. dub. 4., Sanch., & aliis apud Trull. dub. 21., & Dian. part. 2. tract. 5. resol. 108., quod quamvis ex natura rei non sit id illicitum, quia ratione eminentiæ, & occasione lucri sunt pretio aestimabilia, tamen plerumque perniciosum est ea vendere ob multa incommoda, quæ inde sequuntur; videlicet quia sic non conferuntur dignioribus, sed ditioribus; & quia ementes hæc officia potius curant pecuniam recuperare, & ditescere, quam bonum Reipublicæ, unde lites excitant, prorogant, aliaque mala committunt: At concurrentibus ali-

aliquibus circumstantiis vendi licite possent, ut docent citati Doctores, præciso jure positivo in contrarium; Etenim in *leg. 2., Cod. de Monopoliis* prohibitum est ea vendi: Ubi tamen consuetudine in contrarium jus hoc commune abrogatum est, vendi licite possunt sub nonnullis conditionibus; & primo quidem, dummodo qui vendit sit Princeps supremus, seu Respublica libera, quia hæc sunt bona Reipublicæ, ac proinde eorum dispensatio soli Principi supremo convenit; Unde non possunt Marchiones, Duces, & Domini locorum vendere ( nisi ex Principis concessione, vel ex legitima præscriptione ) nec officia, quæ habent annexam jurisdictionem, ut Gubernatoris, Judicis, &c., nec illa, quæ habent annexam aliquam justitiæ administrationem, ut Tabellionis, Decurionis, &c.; bene vero si non habeant annexam justitiæ administrationem, ut officia Janitoris, Præconis, Custodis carceris, Præfecti cursorum, &c.; Quod si illa priora officia vendiderint, tenentur ad restitutionem, nisi bona fide vendiderint, & sit transactum triennium, quo bona mobilia præscribuntur. Notat tamen Trull. ex Cordub., & Lopez, censeri dari tacitam licentiam ad ea vendenda, quando Rex sciret Magnates ea vendere, & dissimularet cum posset impedire.

Secunda conditio est, ut vendantur dignioribus, ut docent communius, & verius, vel saltem dignis, juxta probabilem sententiam nonnullorum apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 172. cum Vasq., Turrian., & aliis.

Tertia est, ut vendantur moderato pretio.

Quarta, ut id censeatur necessarium, vel utile bono Reipublicæ; nam hæc officia non sunt propria Principis, ut tributa, sed sunt communia Reipublicæ, quæ eorum administrationem, & collationem commisit Principi com-

munis utilitatis causa. Azor. tamen apud Dian. loc. cit. cum Filiuc. notat, non damnandas has venditiones factas a supremo Principe, vel de licentia illius, concurrentibus his circumstantiis, quia multi putant esse utiles Reipublicæ, eo quod Emptores metu pænæ, ne officium amittant simul cum pretio, quod dederunt, coguntur recte fungi munere suo.

Insuper Tambur. lib. 8. tract. 3. cap. 7. notat posse a Marchionibus, & aliis Principibus subiectis vendi officia sæcularia, quæ ipsis absolute sunt data sine obligatione, quod non vendantur: Hæc autem esse præsumuntur, si solent absolute de iis disponere sine obligatione reddendi rationem alteri Superiori de eorum collatione, & si immemorabiliter antecessores consueverunt vendere sine alterius licentia. Ratio est, quia ex una parte ea officia sunt pretio æstimabilia; ex alia parte, quando Rex hæc officia donat iis, quos scit per se non esse obituros, ut feminis, vel viris nobiles suæ aulae, probabile est ex Azor., Regem dare facultatem illa vendendi: Caveant tamen, ne indignis vendant, aut pretio immoderato.

Immo Villalob., Aragon., & alii apud Dian. part. 6. tractat. 6. resol. 3. putant, Proreges posse ea vendere, dante iis facultatem consuetudine; Et quia constituuntur a Rege ut Alter ego. At Dian. loc. cit. ex Mendoza ostendit id Proregibus prohiberi; Aditque non suffragari consuetudinem, nisi Rex illam sciat, & non reclamet.

IV. Quæritur tertio: An possit emi res furtiva, vel quæ talis esse dubitatur?

Respondeo, emi non posse, nisi cum intentione restituendi eam domino deductis expensis; sic enim negotium domini utiliter ageretur: Quod si dominus deinde non compareat, converti debet in usus pios. Ubi notan-

tandum ex Pal. apud Dian. part. 4. tract. 3. resol. 27., non censendam rem esse furtivam, nisi rationibus efficacibus, & moraliter convincentibus id probetur; quia ex leg. *Merito*, ff. *Pro socio*, nemo praesumitur malus, donec probetur: Qui autem mala fide rem emit, comparente domino tenetur illam dare domino, etiamsi pretium amittat; si vero bona fide emit, & bona fide revendit, ad nihil tenetur. At si ante revenditionem constat de furto, potest probabiliter rescindere Contractum cum latrone, si aliter non possit pretium suum a domino recuperare; Quamvis Cajet. putet simpliciter domino dandam esse: Immo putat etiam Marchant. apud Dian. part. 5. tract. 14. resol. 87., & part. 2. tract. 17. resol. 4., quod qui emit mala fide rem furtivam, possit rescindere Contractum cum fure, & non teneatur eam reddere domino cum amissione pretii, quia nemo tenetur cum suo incommodo rem alterius in meliorem statum deducere; Sed communis sententia est in contrarium in poenam ejus, qui mala fide emit rem furtivam.

V. Notandum praeterea ex Bonac. punct. 2. & Croix lib. 3. part. 2. n. 694. venditionem rei alienae esse invalidam quoad transferendum dominium rei, non tamen quoad transferendum dominium pretii, si solus emptor mala fide procedat, & venditor nesciat rem esse alienam, ex leg. *Rem alienam*, ff. *de Contrahenda emptione*. Unde fit, dominum, cujus res vendita est, posse rem illam sibi vindicare, ubicumque sit, nisi legitimo temporis cursu praescripta sit ab emptore bona fidei: Et eadem ratione usurarius vendens res alienas loco usurarum acceptas, non transfert illarum dominium; unde dominus potest illas sibi vindicare; Nisi tamen res illae functionem recipiant, seu sint ejus generis,

quae si sint commixtae cum rebus emptoris, non possint discerni: Qui tamen mala fide vendidit, quamvis non teneatur reddere pretium Emptori, quando dominus vindicat sibi rem suam, tenetur tamen refarcire illius damna, si emptor bona fide emit rem illam; secus vero non tenetur.

Dices: Contractus celebratus per dolum dantem illi causam est irritus; talis est Contractus celebratus ab emptore ignorante rem esse alienam; ergo est invalidus, & consequenter sicut non transfertur dominium rei in emptorem, sic nec dominium pecuniae in venditorem.

Respondeo, Contractum per talem dolum celebratum non esse irritum jure naturae, sed jure positivo: Quod patet, quia Contractus Matrimonii est validus, etiamsi celebretur per dolum circa qualitates dantem illi causam; ut si quis contrahat, quia putat Bertram esse virginem, pulchram, divitem, secus non contracturus: Quare sicut jus positivum non irritat Contractum hunc matrimonialem, ita nec irritat Contractum emptionis rei alienae quoad transferendum dominium pecuniae, quamvis sit irritum quoad transferendum dominium rei alienae, eo quod semper res clamet ad dominum.

VI. Quæritur quarto: An possit quis cogi ad vendendam rem suam?

Respondeo regulariter loquendo id non licere; interveniente tamen justa causa, videlicet propter bonum publicum id licet: Unde cogi quis potest ad vendendum frumentum tempore inopiae, ad vendendam domum pro Monasterio, Hospitali, Ecclesia, pro scholis publicis, pro via publica facienda, pro Palatio Principis. Similiter, ut notat Molin. tom. 3. disp. 709. apud Laym. §. 5., quamvis quilibet possit in suo fundo altius aedes attollere, & fenestras aperire; tamen potest

test id publica auctoritate prohiberi, si e talibus fenestris videri possent personæ Religiosæ intra proprias aedes habitantes; vel si vicinus magnum inde ferret gravamen, & ille valde exiguum commodum, ( dummodo tamen talis servitus non aperiendi fenestras, vel non attollendi muros congruo pretio compensetur. ) Sic artium professores cogere possunt fabrum, verbi gratia, ferrarium, ut ex officina sua migret, si publicis lectionibus impedimento sit.

VII. Queritur quinto: Quando res eadem pluribus diverso tempore venditur, aut donatur, locatur, &c., cuius erit?

Respondeo, quod cæteris paribus, *Qui prior est tempore, potior est jure*, ex Regul. 54. in 6., Si vero uni sit solum donata, aut vendita, & alteri vendita simul sit, & tradita, & pretium solutum sit, tunc secundus emptor est præferendus, ex leg. *Quoties*, Cod. *De rei vindicatione*; & obligabitur venditor primo emptori ad interesse.

Verum tradita regula patitur aliquas exceptiones. Prima est, si prima venditio facta sit Ecclesiæ, loco pio, vel Civitati; quamvis enim illis res non sit tradita, & alteri sit deinde vendita, & tradita, prior venditio præferenda est, ex Laym. §. 4. Ratio est, quia ex leg. *ultima*, Cod. *de Sacrosanctis Ecclesiis*, dominium rei iis transfertur ante traditionem per venditionem mutuo consensu perfectam; sicut etiam per donationem, legatum, &c. Secundo, si posterior emptor, cui res est tradita, conscius erat prioris venditionis; tunc enim in pœnam fraudis poterit prior emptor intra annum a die scientiæ rem sibi vindicare: Idem dicas si res uni vendita, deinde alteri ex titulo lucrativo donationis, quamvis ignoranti, & bona fide accipienti sit tradita; quia sup-

ponitur esse in fraudem alienata. Quod si per annum a die scientiæ non repetatur a primo emptore, poterit talis donatarius illam sibi retinere, & venditor tenetur refarcire damnum emptori.

VIII. Dubitatur tamen, An si donetur res, verbi gratia equus, vel si pecunia mutuetur Titio in fraudem Creditorum ab eo, qui impar est solvendis omnibus debitis, possit Titius donatarius conscius fraudis equum, vel pecuniam sibi retinere, si intra annum non repetatur a Creditoribus?

Respondeo certum esse, quod non possit, si ad id positive cooperatus sit, puta consulendo, &c., quia qui ad injustitiam cooperatur, reus est restitutionis; Si tamen non cooperatus sit, communior, & probabilior sententia docet, quod etiam teneatur, quia licet non cooperetur suadendo, & impellendo, cooperatur consentiendo, & acceptando; Less. tamen cap. 20. num. 168. putat, quod non teneatur, quia donatarius in sui commodum id solum permetteret, (quod videtur licere,) non tamen ad id induceret.

### ARTICULUS III.

#### De pretio iusto rerum venialium.

- I. *Pretium rei iustum triplex est, Legale, Vulgare, & Conventionale. Quodnam in pretio vulgari dicitur Summum, Medium, & Infimum? Iustum pretium ex quinque capitibus crescere, aut decrescere potest.*
- II. *Num possint ultra taxam vendi res notabiliter meliores, dummodo non segregentur a vilioribus? Quid de vino aqua diluto?*
- III. *In subbatione pretium crescit, aut decrescit pro medietate valoris rei, si procedatur sincere; Sicut etiam relate ad res, qua per prox-*

- proxenetas per vicos discurrētes venduntur.
- IV. Qui aliquid vendendum accipit, assignato pretio, quandoam possit excessum talis pretii sibi retinere? Quid de Sartoribus, quibus pars pretii dicitur a Mercatoribus relaxari?
- V. Num possit aliquid sibi retinere pro suo labore, qui rem alterius vendendam suscepit? Et quid si promiserit illam gratis se venditurum?
- VI. Merces ultronea vilescunt pro tertia, & aliquando etiam pro dimidia parte.
- VII. Qui merces vendit ad creditum, potest illas vendere pretio justo summo citra usuram; Num possit etiam aliquid accipere pro lucro cessante, vel pro periculo proximo amittendi sortem? Num possit quis emere aliquando merces minoris ob solutionem anticipatam?
- VIII. Num possint citra usuram emi minoris, quam contineant apodixa, seu credita immatura?
- IX. Non potest aliquid carius vendi, eo quod sit valde utile emptori; potest tamen sic vendi, si venditor ex ejus amissione grave incommodum pariatur.
- X. Qui est ignarus valoris rei, quam vendit, si dicat se donare excessum pretii, quod recipit a vendente, invalide donat: Quando autem communiter ignoratur valor rei, potest emi, quanti communiter aestimatur, etiam ab eo, qui conscius est talis valoris.
- XI. Pro foro externo non est rescindendus Contractus, nisi laeso sit ultra dimidium; at pro foro interno, si laeso sit notabilis, reducenda est ad aequalitatem.
- XII. Quonam pacto citra injustitiam emi, vel vendi res potest cum pacto redimendi, aut retrovendendi? Quid de Contractu, qui dicitur Go-

dere a Godere?

XIII. Contractus Mobatra quandoam est injustus? Et quando est justus, sed scandalum prabens, & a Christiana charitate alienus?

I. **C**ertum est, pretium non esse desumendum a rei nobilitate, sic enim musca magis valeret, quam aurum, eo quod illa sit animata, & nobilior; sed desumendum ab aestimatione rei in ordine ad humanam utilitatem, & necessitatem. Triplex autem cujusque rei pretium justum datur, Legale, Vulgare, seu naturale, & Conventionale; Legale dicitur, quod a lege vel Reipublica, vel Principis, aut alterius auctoritatem habentis taxatur; Et ad illud etiam Ecclesiastici tenentur, quamvis non quoad vim coactivam, sed directivam, quatenus jure naturæ debent illo pretio vendere; quin tamen possint a laicis puniri, si contraveniant, ut notant Sanch., & Trull.; Vulgare, seu naturale dicitur, quod valet juxta vulgarem, & communem aestimationem prudentium, attenta multitudine, vel penuria rerum, abundantia pecuniæ, multitudine, vel paucitate emptorum, &c. Differt autem Legale a Vulgari, quia illud consistit in indivisibili, hoc vero suscipit magis, & minus: Et ideo triplex apud Doctores datur justum pretium vulgare, scilicet Infimum, Medium, & Supremum: Ut si res communiter vendatur vel nonaginta quinque, vel centum, vel centum & quinque, Primum dicitur pretium infimum, Secundum medium, Tertium summum, ut exemplificat Filliuc. apud Dian. part. 3. tract. 5. resol. 112., Vel si pretium summum sit undecim, medium decem, & infimum novem. Non est autem universim verum, quod pretium summum possit esse decima pars pretii medii, ut si pretium medium sit centum, summum sit centum & de-

& decem; aliter, ut advenit idem Dian., Mercatores, qui vendunt pecunia numerata merces pretio medio centum, possent ab usura excusari, si credito venderent centum & decem, id est pretio summo. Demum pretium Conventionaliale est illud, in quo partes conveniunt sine dolo, & fraude; Quod habet tantum locum in rebus voluptuosis, & quæ pertinent ad ornatum; ut sunt lapides pretiosi, falcones, &c., non in rebus necessariis, ut notat Dian. part. 1. tract. 8. resol. 56. Salon. tamen apud Trull. docet id verum esse de rebus raris, ut si vendatur adamas rarus, Chrysolithus, equus formosissimus; nam lapides pretiosi, equi, & similia regulariter non habent raritatem, ob quam possint ad arbitrium vendi quanti plurimi, aut emi quanti minimi.

Notat autem Less. cap. 21. num. 13., & Dian. apud Trull. lib. 7. cap. 20. dub. 2., quod si Magistratus esset notabiliter negligens in mutanda taxa pretii, possint tunc res vendi pretio vulgari, quia lex illa censetur iniqua, si evidens sit negligentia, aut constaret Magistratum esse vel corruptum muneribus, vel male instructum de circumstantiis mercium, vel ex odio eumentium, aut vendentium taxasse pretium. Pariter quando communiter violatur taxa, Principe sciente, & non puniente, taxa non obligat, quia censetur Princeps in lege dispensare.

Notandum præterea, pretium iustum crescere, vel decrescere ex quinque capitibus, Primo ex parte rei venditæ, si scilicet sit abundantia, vel penuria, Secundo ex parte pretii, si sit abundantia, vel penuria pecuniæ; Tertio ex parte emptorum, vel vendentium, si sit eorum paucitas, vel multitudo. Quarto ex parte expensarum, & periculorum in asportandis mercibus. Quinto ex parte modi venden-

Pars IV.

di, ut si vendantur ad minutum, vel solutione pretii anticipata, quando est periculum recuperandi pretium, &c., vel cessat aliud lucrum ex tali pecunia, dummodo id manifestetur emptori.

II. Queritur nunc primo, An si pretium, quo venduntur boves, verbi gratia, vel triticum, sit taxatum, & Petrus habeat boves, vel triticum longe præstantiora reliquis, possit ultra taxam ea vendere?

Respondeo Salas negare apud Dian. part. 1. tract. 8. resol. 52., tum quia taxa est imposita pro omni genere talium rerum; tum etiam quia aperiretur ostium, ut quilibet dicere posset res suas esse notabiliter præstantiores. Verum Molin., Regin. cum eodem Dian. affirmant, dummodo excessus in bonitate sit notabilis. Ratio est, quia sicut si triticum esset corrosus vermicibus, & longe deterius illo, quod communiter venditur, deberet minui pretium; ita si sit longe præstantius, debet pretium augeri. Notat tamen Filiuc. apud Dian. loc. cit. resol. 35., quod si sit pretium taxatum pro fructibus, carnibus, piscibus, &c., peccaret venditor, & ad restitutionem teneretur, si seligeret bonos, ut cariiori pretio venderet, & reliquos venderet pretio taxato. Ratio est, quia pretium taxatum est pro utrisque permixtum. Putant tamen Homob., & Salas apud Dian. loc. cit. resol. 51., & resol. 80. non peccare, qui vendit vinum aqua dilutum descendendo in pretio quantum pretio mediocri cum eo vitio valet, quod emptori non manifestat, dummodo venditor inde nullum damnum patiat, eo quod sit brevi illud consumpturus; & dummodo id non sapius fiat; quia sic minueretur pretium commune vini non mixti aqua; cum enim non agnoscant emptores mixtionem aquæ, existimant minui pretium commune, & ideo nolunt emere ab aliis vinum majori pretio,

F

tio,

rio, unde aliis venditoribus inferretur  
damnum, & iniustitia.

III. Queritur secundo: Quodnam sit  
pretium iustum in subhastatione?

Respondeo, Bonac. hic num. 21. a-  
pud Dian. loc. cit. resol. 55., & Tambur.  
lib. 8. tract. 3. cap. 7. sentire, quod sub  
hastâ res tanti valeat, quanti vendi potest,  
quia ista est praxis timoratorum. Sed  
communius, & verius cum Salon. docent,  
quod si res valeat, verbi gratia, centum  
pretio mediocri, iustum pretium infimum  
in subhastatione sit quinquaginta, & iustum  
pretium summum sit centum quinquaginta,  
( & idem docet Trull. de rebus, quæ per  
proxenetas per vicos discurrentes privati-  
m venduntur, ) dummodo tamen in venditione  
procedatur sine fraude, & dolo, non tamen  
si venditor occulter rei defectus, vel si  
innittat fictos emptores, qui simulent  
emere, ut res carius vendatur; vel si  
emptor alios subornet, aut precibus valde  
importunis, vel vi, aut metu illos inducat,  
ne offerant majus pretium, ut ipse vilis  
emat. Non peccat tamen probabiliter ex  
Dian. loc. cit. resol. 76., contra nonnullos  
oppositum sentientes cum Tamb. loco lau-  
dato, si emptor in publica licitatione roget  
amicos, ne offerant plus certa quantitate,  
ut possit illam rem emere pretio iusto,  
licet infimo. Ratio est ex Petro Navarro,  
quia non quodcumque monopolium mercatorum,  
ut non nisi certo pretio emant, est iniquum,  
si revera illud est iustum pretium; in casu  
autem dicto emptor non inducit caritatem,  
sed utitur industria non fraudolenta, ut  
sibi res iusto pretio detur timens excessum  
illius.

IV. Rogabis hic, An qui aliquid  
vendendum accipit assignato tanto pretio,  
verbi gratia, centum aureorum, si illud  
vendat pluris, scilicet centum viginti  
aureis, possit excessum illum sibi retinere?

Respondeo cum communi apud Trull. dub. 3. negative, nisi saltem taceat  
dominus id illi significarit, aut nisi rem  
illam sibi eo pretio emisset, antequam  
ageret de venditione, unde exponatur  
periculo vendendi vilis, quod periculum  
compenset spe vendendi carius. Et ratio  
est, quia assignatio talis pretii est facta,  
ne res infra, non vero ne supra vendatur.  
Verum Angelus V. *Emptio* cum Busemb.  
hic probabiliter putat, quod si quis accipiat  
aliquid vendendum infimo, vel mediocri  
pretio, possit retinere excessum, si ex sua  
industria vendat rem illam pretio rigoro-  
so; secus vero si quid detur famulis  
Mercatorum vendendum omni meliori modo.

Rogabis secundo; An Sartores, qui pro  
aliis emunt pannum, possint a mercatoribus  
accipere partem pretii, quam iis remittunt  
mercatores pro qualibet ulna, eo quod ex  
sua officina illud emanet?

Respondeo, Filliuc. & Dian. loc. cit. resol. 26. contra Salas affirmare; dum-  
modo fideliter agant negotium eorum, pro  
quibus merces emunt, ita ut non pluris  
vendatur iis merx, quam valeat, & quam  
alteri cuicumque venderetur. Ratio est,  
quia nullum inde damnum provenit domino,  
& mercatores rationabiliter illam partem  
pretii donant Sartoribus, qui frequentando  
eorum officinas dant iis ansam lucrandi.  
Salas tamen probabiliter id negat, quia  
mercatores falso dicunt se aliquid remittere,  
ut alliciant.

V. Rogabis tertio; An si rem alterius  
suscepisti vendendam, poteris iuste aliquid  
tuo labori proportionatum accipere?

Respondeo cum Tambur. cap. 7. §. 9. posse,  
si non dixisti te gratis venditurum; si  
autem dixisti expresse te gratis laboraturum,  
docet quidem Fagund., quod adhuc possis  
iuste pretium laboris tibi retinere, quia  
lupposita

posita illa promissione interserviendi gratis, infidelis potius eris, quam iniustus, si laborem tibi compenses, cum nemo teneatur servire gratis. Sed verius dicendum cum Tambur., quod non possis id iuste; tum quia cum de ceperis dominum, dicendo servire gratis, teneris servare illum indemnem; facile enim ille reperisset alium amicum, qui gratis venderet; tum etiam quia si gratis exhibuisti famulatum tuum, non potes deinde pretium accipere propter id, quod gratis donatum est.

Dices cum Lug.: Qui promittit usuras, non tenetur eas solvere, quia mutuans non habet jus ad illas; Sicut nec tenetur, qui promittit vendere rem pretio iniusto; ergo nec qui promittit servire gratis.

Respondeo, nego consequentiam; quia in primis casibus nullum habet jus ille ad usuras, & ad pretium iniustum, cum a nemine possit id accipere ex illis titulis; at in ultimo casu potest venditor titulo donationis accipere gratis tuum famulatum; unde si a te decipiatur, debet servari indemnis, ut notat Tambur. de Sacrific. Missæ lib. 3. cap. 1. §. 3. num. 57. Et ideo Sacerdos, qui promittit pro exiguo stipendio missam celebrare, tenetur ad id ex iustitia, si dominus alios reperisset, qui gratis tali stipendio celebrarent, ut idem Tambur. notat ex Decreto Sacrae Congregationis contra Suar.

VI. Queritur tertio: Quodnam sit iustum pretium mercium ultronearum?

Respondeo cum Less., Bonac., & aliis apud Dian. loc. cit. resol. 53. merces ultroneas vilescere pro tertia parte, ita ut si pretium iustum illarum in officina sit, verbi gratia, sexaginta, quando quis eas emit rogatus a venditore, possit eas emere quadraginta; Immo Rebel., Sal., Cajet., Palat. apud eundem Dian. putant, vilescere

etiam pro dimidia parte, unde res illa possit iuste triginta emi; quia talis modus vendendi indicat copiam mercium, & paucitatem emptorum. Verum Trull. putat, non posse in iis certam regulam assignari, sed iudicandum esse ad arbitrium prudentis viri attentis circumstantiis; nam quando magna est copia mercium, multitudo vendentium, & paucissimi sunt emptores, possunt etiam ultra dimidium vilescere merces ultroneæ, ut pretium iustum sit id, in quo partes conveniunt; ut accidit anno 1609., quando Neophyti, seu los Moriscos mandato Philippi Tertii ex Hispania expulsi sunt: Disertius Moya part. 2. tract. 5. disputat. 1. quæst. 3. §. 4. docet, in his casibus communiter res parvi aestimari, & sic pretium illarum non esse illud antiquum, sed quod nunc habent, sicut quando navis onusta advenit, vilescit pretium ex copia rei hic & nunc.

Illud certe observandum, ne quis facile inducatur ad ditescendum ex miseris alienis, ut velit vilissime emere, eo quod alter maxime indigeat, cum ex hoc uno capite usurae sint illicitæ: Sicut enim mutuatarius ex necessitate mutui offert usuras, ita ex necessitate aliquando pauperes vendunt res suas vilissimo pretio; Christiana autem charitas refugit ab his oblationibus accipiendis, suadetque, ut mutuemus gratis, & emamus pretio iusto. Notat tamen Caram. apud Moyam laudatum, quod sicut quando rogatus emis, vilius emis, videlicet rem valentem centum emis quinquaginta, ita si rogatus vendis, potes centum quinquaginta vendere, immo aliquando biscentum.

VII. Queritur quarto, An liceat vendere pluris ad creditum, seu dilata solutione, quam vendi res soleat pecunia numerata?

Respondeo universim esse usuram, si vendatur ad creditum res pluris, quam



quam sit ejus justum pretium rigorosum; si vero vendatur res ad creditum pretio justo rigoroso, quæ tamen pecunia numerata pretio justo infimo venderetur, non committitur ulla iniustitia; ut docet Lug. de Empt., & Vendit. num. 104. Notat tamen Dian. part. 1. tract. 8. resol. 22. apud Trull. dub. 18. in aliquibus casibus posse ad creditum res vendi ultra pretium justum rigorosum. Primo scilicet ratione lucri cessantis, vel damni emergentis; Verbi gratia, si ex defectu pecuniæ cogar solvere meo creditori interesse, vel cogar abstinere a negotiatione, & lucro, quod ceteroqui facerem cum illa moneta, vel si ut emptori gratum faciam, non conservo rem illam vendendam carius alibi, vel alio tempore: Debeo tamen id aperire emptori, qui forte alios venditores adiret, ne tantum pretium solvat; Secundo, ratione periculi proximi amittenda sortis, ex Less. lib. 2. cap. 21. num. 34. apud Dian. resol. 57. contra Navar., & alios, dummodo dicat emptori se illo titulo aliquid accipere; Præsertim si dubium sit, an id illi placeat; nam forte nollet eo titulo aliquid dare; Quod si quæras, quale erit propter hoc periculum pretium justum? Respondet Less. esse, quod tu libenter, & rationabiliter alteri dares ad redimendum tale periculum. Tertio, quia sic vendendo multiplicantur aliquando emptores, & sic crescit pretium mercium.

Dubium etiam est, An possit quis emere minoris anticipata solutione, quando aliqua res eo modo emi solent, ut lana, triticum, vinum, caesus, sericum, frondes, mori, &c.?

Respondeo cum Dian. part. 1. tract. 3. resol. 22. contra Valent. affirmative; ita scilicet ut non solum possint sic emi infimo pretio justo, sed etiam aliquando minoris infimo, propter rationes adductas, Primo quidem pro-

pter lucrum aliquod forte cessans, aut damnum emergens; Secundo, propter periculum non recipiendi tempore suo merces, aut non sinceræ; Tertio quia sic emendo multiplicantur venditores, & sic minuitur pretium vulgaris mercis; Quarto, quia sic emendo facile rogaris emere, ita tamen ut in gratiam venditoris emas, & sic ultronearum mercium pretium etiam ex hoc capite minuitur; Quinto, quia aliter merces si omnes emerentur numerata pecunia tempore traditionis, vilius venderentur propter earum multitudinem, & propter necessitates vendentium, ratione quarum emptores rogarentur, præsertim ad evitandos sumptus in iis conservandis. Ubi advertit Bonac. hic num. 20., hinc non sequi, quod universim per se simpliciter possit res aliqua emi minoris credito, quam valeat pecunia anticipata; quia hoc est virtuale mutuum, ex quo certe non potest percipi lucrum.

Notandum tamen cum Salon. apud Trul. dub. 9., venditionem istarum mercium anticipatam aliquando esse perfectam, itaut anticipato detur pro iis pretium; sicut quando emitur vinum in vinea, lana in ovibus, & oleum in oliva, triticum in herba, folia mori in arbore; Et in tali casu emi potest justo pretio, etiamsi infimo, res, vel jus in illam, itaut lucrum, vel damnum rei cedat emptori, non venditori, & ideo dicitur venditio perfecta: Aliquando venditio anticipata est imperfecta, quia scilicet emens dat pecuniam anticipato non taxando pretium rei, & vendens solum promittit rem, ejusque dominium pro tempore futuro; Et in tali casu lucrum, vel damnum rei cedit venditori, & pretium taxandum erit tempore traditionis, quanti tunc res æstimabitur, itaut non sumatur pretium rigorosum, aut infimum, sed medium, ut servetur æqualitas.

Hinc

Hinc fit, licitum esse etiam hunc Contractum emptorium, Do tibi mille aureos, vel solvendo tempore messis in tritico pretio, quod nunc determinetur prudentis arbitrio, vel solvendo tempore messis in tritico pretio tunc frequentius currenti, vel quod fit inter rigorosum, & infimum.

Non potest tamen fieri Contractus emptorius dando pecuniam pro tritico consignando tempore messis, itaut eo vilius ematur, quo majus tempus intercedit inter consignationem pecuniae, & tritici; quia sic propter dilationem, seu propter mutuum, habetur lucrum.

Notandum secundo, quod quando emptor emit anticipato ex tuo fundo, verbi gratia, decem modios tritici, vel ex tuo oliveto decem coros olei, si venditio sit perfecta, & fundus non reddat decem, non poteris obligari ad ea supplenda; nam sicut si reddat duodecim, omnia duodecim sunt emptoris, ita si reddat octo, non teneris supplere: Si vero venditio sit imperfecta, Garz., & Salon. putant, quod Contractus sit usurarius, si venditor obligetur supplere, si ea non habeat, seu si obligetur dare decem modios tritici, quando solum octo proveniunt ex suo fundo. Ratio est, quia qui rem, quam vendit, non habet, non tenetur restituere, nisi pecuniam, quam accepit; cum non habeatur in tali Contractu, nisi emptio. Unde si hic obligetur ad quarendos decem modios, quos non habet, obligaretur ad aliquid pretio aestimabile ultra sortem principalem, quod est usura. Si tamen conditionate obligetur ad dandos decem modios, si habeat ex suo fundo, secus vero ad reddendam eandem pecuniam, Contractus non esset usurarius.

VIII. Quæritur quinto, Utrum chirographa, seu apodixæ, hoc est credata immatura, emi possint minoris,

quam contineant? Verbi gratia, si Petro debeat Cajus centum solvenda post annum, poterisne tu illa emere nunc nonaginta quinque?

Respondeo cum Trull. dub. 10. & Dian. resol. 49., quod si ea debita non sint solvenda sine expensis, & molestiis, procul dubio possunt minoris emi, prout aestimantur tales molestiæ, expensæ, vel incertitudo debiti; & sic non solum debita in futurum solvenda, sed etiam quæ de præfenti solvenda essent, possunt emi minoris. Si vero ea debita in futurum solvenda sunt facilis solutionis, & omnino certa, & liquida, putant communiter, quod sit usura palliata emere illa minoris: Quamvis Sanch. in Consil. part. 1. lib. 1. cap. 7. disput. 17. cum Azor., Salon., Cajet., Sà, Trull., & Tambur. lib. 8. tract. 3. cap. 7. §. 8. putet probabilem esse oppositam sententiam, quod id liceat; quia pretium justum rei pensandum est secundum communem estimationem; atqui juxta communem estimationem magis aestimatur pecunia præfens, quam jus ad pecuniam habendam post annum; ergo potest tale jus emi minoris pecunia numerata. Et ratio a priori videtur esse, quia centum aurei, qui nunc habentur, ex nunc possunt esse utiles; jus vero ad centum habendos post annum non est utile per totum hunc annum. Ad rationem in contrarium respondent, talem contractum non esse mutuum palliatum, sed esse venditionem veram, ut proinde si jus illud ad centum quantumvis liquidum forte pereat, emptori pereat, non venditori; Nec est novum, quod ematur jus ad rem, sicut emitur, verbi gratia, jus transeundi per viam; Et ideo Dian. cum aliis docet, quod etiam ab ipso debitore possint ea minoris emi.

Sed prima sententia tenenda est; quia talis emptio videtur esse potius mu-

mutuum virtuale, supposito; quod non cesset lucrum in emente, & periculum amittendi sortem sit remotum; & ideo jure merito proscrip̄ta est ab Innoc. XI. thesis 41. dicens: *Cum pretiosior sit numerata pecunia, quam numeranda, & nullus sit, qui non minoris faciat pecuniam presentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuario exigere, & eo titulo ab usura excusari.* Qua de re plurima diximus in Trutina thesium damnatarum exponendo hanc thesim, & quadragesimam secundam ab Alexand. VII. proscrip̄tam, quæ habet: *Licetum est mutuari aliquid supra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.*

Rogabis, An si sciam debitorem non esse solvendo, possim chirographum, vel debitum illud vendere pretio currenti iis, qui id nesciunt? Respondetur negative, quia teneor manifestare vitia occulta rei, quæ venditur, ut si venderem agrum sterilem; quicquid in contrarium dixerint nonnulli apud Lefs. lib. 2. c. 21. dub. 10.

IX. Quæritur sexto, Utrum vendi possit res aliqua, puta domus, vel vinea carius, eo quod sit utilis emptori?

Respondeo cum Bonac. num. 27. negative, quia venditor non potest vendere rem carius propter aliquid, quod suum non est; hæc autem utilitas non est sua; ergo. Potest tamen aliquid carius vendi propter affectum specialem, quem habet venditor ad rem illam, qua se privat in gratiam emptoris (ut notat idem Bonac. num. 15.) unde si pretium sit a Principe taxatum, adhuc poterit pluri vendi, quia pretium constitutum a Principe est super re secundum se, non habita ratione affectus specialis venditoris ad ipsam, vel damni subsequenti, &c.; Debet tamen venditor ex Laym. cap. 17. num. 10., & Lefs. emptorem mone-

re, quod ultra pretium justum aliquid recipiat ratione oblectationis, & commodi specialis, quo se privat; aliter emptorem deciperet.

X. Quæritur septimo, An qui gemmam emit a rustico ignaro valoris illius gemmæ, possit illam emere quanti minimi, protestando quod illam emeret, verbi gratia, uno aureo, ita ut si valeat mille aureis, retineat eam titulo donationis?

Respondeo cum Bonac. num. 6. negative, quia ignorantia venditoris non minuit pretium rei, & res non potest vendi minoris quam valet, invito venditore: Quare etiamsi rusticus dicat se donare, invalida est donatio, quia involuntarie donat, cum nesciat gemmæ valorem; ad validam enim donationem requiritur perfectum voluntarium: Secus tamen dicendum, si valorem gemmæ venditor simul, & emptor ignoret; tunc enim ineunt contractum sortis, exponendo se æqualiter periculo lucri, & damni; Contractus autem sortis licitus est, quando uterque æquali periculo se exponunt.

Notant tamen Bonac., Lefs., Molin. apud Dian. part. 1. tract. 8. resol. 79. contra Turrian., quod si in fasce herbarum, vel lignorum, quæ venduntur, inveniatur herba magnæ virtutis ignotæ venditori, possit emptor concius talis virtutis emere fascem illum pretio currenti. Idem docent, si quis sciret in alterius fundo latere thesaurum, vel venam metalli vel fontem, &c., posse quippe ipsum emere pretio ordinario. Ratio est, quia communiter fascis ille, & hic ager non æstimatur pluri; neque enim habetur ratio de thesauro communiter ignoto. Hinc etiam inferunt, quod si in aliqua regione res aliqua pretiosa parvi æstimetur, idque ignorent incolæ, possit res illa parvo emi; ut fecerunt Hispani ementes aurum apud In-

Indos: Et si lapidario esset ignota virtus alicujus lapidis pretiosi, qui illius valorem sciret, posset emere pretio communi; Etenim in pretio taxando habenda semper ratio est æstimationis communis; Contra vero si quis ex ignorantia venderet adamantem pro vitro, non potest sic emi; quia communiter adamas non æstimatur ut vitrum, quamvis vendens putet illum esse vitrum.

XI. Quæritur octavo: An si quis in pretio deceptus fuit, possit rescindere contractum, vel repetere id, in quo læsus est?

Respondeo cum communi apud Laym. cap. 17. §. 1. omnem emptionem, & venditionem, in qua iusti pretii latitudo exceditur, esse iniquam, & per restitutionem deducendam esse ad æqualitatem, nisi liberalis datio, vel remissio ejus, qui deceptus est, saltem præsumpta, habeatur: Quando enim modica inæqualitas accidit in contractu, præsumendum, quod contrahentes velint invicem remittere; secus vero si inæqualitas sit notabilis. Verum in foro externo ad vitandam litium multitudinem tunc solum potest venditor rescindere venditionem, quando læsus est ultra dimidium, ex leg. 2. Cod. de rescindenda venditione, ut si merx, quæ infimo pretio valet decem aureis, vendita sit minus quinque: Et quamvis talis facultas in jure detur solum venditori, nihilominus communiter docent pari ratione concedendum etiam emptori, ut possit in foro externo rescindere emptionem, si læsus sit ultra dimidium; ut si merx, quæ summo pretio valet decem aureis, empta sit plus quindecim: Quamvis enim Cujacius, Abbas, Pinellus, & alii apud Laym. loc. cit., & Dian. part. 7. tract. 10. resol. 22. putent, tunc solum posse rescindi contractum ab emptore, quando plus duplo solvit,

videlicet si merx, quæ valet decem, ematur plus viginti, sicut in venditione læsio debet esse infra dimidium; At communius cum Molin., & aliis docent rescindi posse, etiam si plus quindecim ematur merx, quæ valet decem, sicut in venditore decepto consimilis læsio dat jus ad rescissionem contractus. Idemque dicendum in aliis contractibus, puta permutatione, locatione, emphytheusi, &c.

Dubitarunt aliqui, An in foro etiam interno idem servandum, ut tunc solum detur obligatio restitutionis, quando læsio est ultra dimidium? Affirmavit Bald., & alii apud Sal., eo quod excessus pretii retineatur auctoritate judicis; Gerson etiam docuit lesionem citra dimidium, in contractibus esse contra jus naturæ, non tamen obligare ad restitutionem, quia talis contractus est validus. Sed communiter docent has sententias esse improbables, tenerique lædentem ad restitutionem, id exigente justitia; Unde Apoll. 1. ad Thesal. 4. dicit: *Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus de his omnibus.*

XII. Quæritur nono: An possit res emi, vel vendi cum pacto redimendi, aut retrovendendi?

Respondeo, certum esse id licere, itaut retrovendatur vel eodem pretio, si sic pactum ineatur, vel pretio, quod æstimabitur tempore retrovenditionis, si nullum præcessit pactum; ut putat Tambur. cap. 7. §. 8. num. 21. Ratio est, quia talis contractus de se nullam continet injuriam, servatis servandis; Sicuti igitur, ut dicemus quæstione sequenti art. 14. quæsto 6., licitus est Census redimibilis cum pacto saltem implicito retrovendendi, ita licita est emptio rei cum pacto retrovenditionis.

Notandum tamen, quod si pactum sit

fit in favorem emptoris tantum, eo quod is solum possit repetere pretium quandocumque libuerit, res, quæ, verbi gratia, valet sexaginta, vendi debet pluris, quam valeat, videlicet, ut nonnulli putant, tertia parte pluris, nempe octoginta; Si vero sit in favorem venditoris tantum, eo quod ad arbitrium possit rem suam sibi reassumere, restituto pretio, res debet vendi minoris quam valeat, videlicet quarta parte minoris, hoc est quadraginta quinque circiter; Si demum sit in favorem utriusque, itaut quilibet possit ad libitum repetere suum pretium, & suam rem, res vendi debet etiam pluris, quam valeat, minoris tamen, quam si fiat pactum in favorem solius emptoris; ut notat Trull. dub. 14; quia semper majus beneficium est emptoris, quod possit rem, quæ semper est in promptu, restituere ad arbitrium, quam venditoris, quod possit restituere pecuniam, quam non facile habere potest, & ideo vendi posset res decima parte pluris, quam valeat, puta sexaginta sex.

Plures tamen conditiones in hoc contractu requiruntur. Prima, ut habeatur vera intentio emendi, & vendendi, (aliter esset usura palliata) & ideo pretium debet esse iustum; Proinde si Emptor rem illam alteri vendat, non potest primus venditor rem illam sibi vindicare, quia posito quod vendiderit, non habet amplius jus in rem, sed in personam; Secunda, ut fructus rei pertineant ad emptorem, cujus res est, & cui perit, si forte pereat; Proinde potest talis res locari eidem venditori, & tunc fructus pertinerent ad venditorem. Tertia, ut contractus emptionis, & locationis non sit immoderatus, ne sit usura palliata; Proinde non est habenda ratio pecuniæ, videlicet ut quinque, verbi gratia, pro centum exigantur,

sed habenda est ratio fructuum, qui percipi possunt a re empta, & locata, demptis expensis, & molestiis. Quarta, ut non vendatur res pretio rigoroso cum pacto, quod eadem retrovendatur eidem personæ pretio infimo; hic enim contractus, qui dicitur Mohatra, vulgo Stocco, est usurarius, ut dicemus quaestio sequenti. Verum, ut notat Dian. part. 1. tract. 8. resol. 58., & 33. ex Trull. si venditor volens mutuare pecuniam velit vendere rem credito pretio rigoroso, prævidens, quod ille sit retrovenditurus alteri rem pretio infimo pecunia numerata, non peccat contra iustitiam, si ad id illum non obliget, ne implicite quidem.

Ex quibus sequitur, quid dicendum de contractu, qui vulgo dicitur *Godere a godere*, quando scilicet tu das Titio domum valentem centum, & Titius dat tibi centum, itaut ad arbitrium utriusque possit quilibet rem suam reassumere? Procul dubio contractus hic dicitur a Juristis Antichristis esse usurarius, quatenus tradenti pecuniam nullum lucrum cessat, & interim percipit fructus ex ea domo, qua fruitor, ut notat Azor. apud Bonac. punct. 7., & apud Dian. resol. 82.: Nihilominus si per huiusmodi contractum habeatur vera emptio cum pacto retrovenditionis pretio iusto, non haberetur mutuum virtuale, atque adeo nec usura. Et ratio a priori est, quia per contractum venditionis transfertur dominium rei in emptorem, qui subit ejus rei periculum, si forte pereat; unde nil mirum, quod res ea possit eidem domino fructificare; Secus vero si non habeatur venditio, ut dicemus etiam quaest. seq. art. 4. quaest. 6. Debet tamen in hoc, ut diximus, res vendi decima parte pluris, quam valet, verbi gratia, domus valens centum debet vendi centum, & decem, cum majus sit beneficium em-

emptoris, quod possit rem restituere ad arbitrium alterius, quam venditoris, quod possit ad arbitrium alterius restituere pecuniam, quæ non semper in promptu est.

XIII. Quæritur decimo, Utrum venditiones reciprocae ejusdem rei licita sint, quas Hispani vocant Mohatras; Verbi gratia, si Titius indigeat centum aureis, & petat mutuos a mercatore, potestne mercator vendere illi credito, verbi gratia, pannum pretio rigoroso, puta centum & decem, ut illud vendat alteri pecunia numerata pretio infimo justo, videlicet centum, & sic habeat centum aureos, quibus indiget; quod si careat novo emptore, exhibeat se mercator ad iterum emendum idem pannum centum aureis, cum ipse vendiderit centum & decem?

Respondeo cum communi, quod si mercator vendens pannum credito centum & decem ineat pactum cum Titio, ut sibi revendat illud pecunia numerata centum aureis, certe talis contractus sit illicitus, & manifeste usurarius; unde proscripita est ab Innoc. XI. propos. 40. dicens: *Contractus mohaira licitus est etiam respectu ejusdem persona, & cum contractu revenditionis prave inito cum intentione lucri; quam fuisse expendimus in Trutina thesium damnatarum; Si tamen non habeatur pactum retrovenditionis, sed detur a mercatore facultas Titio, ut revendat pannum pecunia numerata cui maluerit, in tali casu putant multi apud Less. cap. 2. dub. 16., quod intercedat usura palliata, quia ea intentione venditur pretio summo, ut retrovendatur sibi pretio infimo pecunia numerata, cum non facile reperiat alter emptor: Less. tamen cum Navar. apud Dian. part. 1. miscel. resol. 58. docet posse in tali casu palliatam usuram non intercedere, si talis contractus retro-*

*Pars IV.*

venditionis ne implicite quidem ineatur, quando scilicet facile poterit emptor habere ab alio pecuniam numeratam, qua indiget; Sic enim mercator justo pretio vendidit, quamvis vendiderit pretio rigoroso, & justo etiam pretio redimit, si sibi offeratur redimendum pretio infimo.

Notat tamen Less., quod quamvis sine injustitia, & usura palliata possit sic vendi pannum, & redimi a mercatore, tamen talis contractus sæpe non vacat culpa. Primo enim peccare potest mercator contra charitatem cogendo miserum ad emendum pannum, quo non indiget cum tanto impendio, cum possit illi succurrere dando mutuum; Secundo, propter malum exemplum, & scandalum, quod datur, cum talis contractus habeat speciem usuræ, & contractus mohatræ ab Innoc. XI. damnati.

#### ARTICULUS IV.

An monopolia, & negotiatio sint illicita?

- I. Monopolium est unius venditio, & quadrupliciter contingere potest.
- II. Si venditores conspirent in pretium justum rigorosum, solum peccant contra charitatem; sicut si emptores conspirent in pretium infimum. Qui tamen malis artibus ad id inducunt mercatores, peccant etiam contra justitiam.
- III. Probabilius contra justitiam peccant, qui omnes merces alicujus generis emunt, ut carius illas vendant. Num peccent, qui hæc emunt postquam cives sibi necessaria paraverunt?
- IV. Injustum est monopolium, quando quis impedit malis artibus merces, ne in Civitatem advehantur, ut carius vendat res proprias; Sicut

G quan-

quando quis rumores disseminat, quod naues mercibus onusta sint submersa, ut pretium mercium augetur; Aut si vendens sub hasta apponit fictos licitatores, qui plus offerant, ut alii in pretio ascendant.

V. Monopolium, quod habetur, quando ex Principis privilegio aliquis solus certas merces vendit pretio iusto, licitum est, si detur causa talis concessionis, & pretium non taxetur ab iis venditoribus; aliter est iniustum.

VI. Negotiatio non est intrinsece mala, sed mali speciem praefert, cum saepe variis culpis annectatur.

VII. Clericis in Sacris, ac Religiosis sub mortali prohibetur negotiatio. Num etiam Beneficiariis? Prohibetur pariter iisdem conducere aliena praedia, ut fructus vendant, necnon emere iumenta, ut ea locent.

VIII. Non est prohibita iisdem negotiatio economica, sed Lucrativa, & Politica. Num tamen possint per alios negotiari?

IX. Qui habet alibi suam pecuniam, & ne patiaturs jacturam cambii, emit ibi res aliquas, quas hic vendat, tunc non dicitur negotiari, quando id facit ad servandum se indemnem, non ad lucrandum.

I. **M**onopolium idem sonat, ac venditio unius, sicut Monopola sonat unicus venditor. Contingit autem monopolium multipliciter; Primo, si venditores conspirent inter se de pretio, itaut non minoris vendant; Secundo, si unus, vel pauci omnes merces emant, ut deinde vendant quanti plurimi, eo quod notabilem inopiam, & caritatem inducant; Tertio, si impediunt, ne aliae merces advehantur, ut ipsi plures vendant merces suas cum damno Reipublicae. Quarto, si Princeps alicui concedat

privilegium, ut solus vendat certum genus mercium.

II. Quaeritur primo; An monopolium primo modo sumptum liceat, videlicet si mercatores conspirent inter se de pretio?

Respondeo, si conspirent in pretium iniustum, seu supra rigorosum, procul dubio peccant contra iustitiam, & tenentur ad restitutionem; Si vero conspirent in pretium iustum, sed rigorosum, non peccant contra iustitiam, ut docent communiter contra Rebell., sed peccant contra charitatem; quia Respublica ob tale monopolium sentit grave incommodum: (Et eadem est ratio, si emptores conspirent in pretium infimum, ut accidere solet in licitationibus,) Si tamen minis, vel fraude mercatores impedirent, ne alii minoris vendant, quam pretio rigoroso, certe contra iustitiam peccarent, quia injuria fieret emptoribus.

III. Quaeritur secundo: An liceat monopolium secundo modo sumptum, quando scilicet unus, vel pauci omnes merces alicujus generis, verbi gratia, vinum, frumentum, coemunt, ut carius vendant?

Respondeo, Molin. disp. 345. putare probabile, quod sic peccetur solum contra charitatem, & contra iustitiam solum legalem, atque adeo sine onere restitutionis: Quam sententiam Less. cap. 21. num. 151. putat probabilem, quia res emitur iusto pretio, ut supponitur, & deinde sine iniustitia res illa supprimitur: Siquidem nemo tenetur ex iustitia vendere. Sed communiter docent peccari contra iustitiam particularem, seu Commutativam, & sic cum obligatione restituendi; quia per fraudem inducitur inopia rerum illarum, & caritas, ac augetur pretium rei: Notat tamen Bonac. apud Dian. loc. cit. resol. 24. & Trull. dub. 18. contra Rebel., Sal-

pro-

probabile esse, quod qui non exercuit monopolium, nec fuit causa, quod pretium rei iustum crederet, possit rem suam vendere eo pretio, quo ab aliis venditur; quia tunc tale pretium est pretium commune, atque adeo iustum, etiamsi auctum sit per fraudem aliorum. Notat secundo, quod secluso monopolio possit regulariter quislibet suas merces suppressere usque ad tempus opportunum, quo eas majori pretio vendat. Notat tertio Trull. ex Salon. non esse damnandos mercatores, qui merces emunt postquam Reipublica cives sibi necessaria paraverunt. Notat quarto Dian. loc. cit. resol. 27. ex Filiuc. excusari ab onore restitutionis transfereutes triticum extra Territorium, etiamsi ob id pretium notabiliter augetur. Notat demum Reginald. lib. 25. num. 328. monopolia licere, quando ideo tantum fiunt, ut merces iusto mediocri pretio vendantur; sic enim nec caritas inducitur, nec Reipublica, aut privati læduntur, sed ea industria mercatores utuntur, ne cogantur pretii vililitatem incogruam subire. Unde juxta hunc Auctorem non dicendi sunt peccare, quando nulli irrogatur injuria. Docet etiam Navar. apud Dian. loc. cit. resol. 76. monopolium non esse iniquum, si fiat, ne alii pretio injusto res vendant, aut etiam pretio rigoroso.

IV. Queritur tertio: An liceat monopolium tertio modo sumptum, quando scilicet impeditur, ne merces aliunde in Civitatem advehantur, ut propriae carius vendantur?

Respondeo cum communi apud Dian. loc. citat. peccari contra justitiam, si id fiat fraude, & minis; peccari vero solum contra charitatem, si solis precibus id obtineatur, quando ob id caritas, & inopia inducitur. Ad hujus generis monopolia revocantur, Primo, quando multi conveniant,

ut opus ab uno inceptum alter non perficiat; Secundo, quando aliqui rumores disseminant, vel literas confingunt, quibus exprimitur, naves onustas mercibus fuisse submersas, ut sic pretium mercium augeatur; Tertio, quando vendens sub hasta apponit fictum licitorem, qui plus offerat, ut alii emptores in pretio ascendat; Quarto, si artifices conveniant, ut non doceant artem, nisi soluto certo pretio.

V. Queritur quarto: An liceat monopolium quarto modo sumptum, quando scilicet Princeps concedit privilegium, ut unus tantum vendat certas quasdam merces?

Respondeo licere, si adfit justa causa talis concessionis, modo venditor non excedat pretium iustum, vel taxatum a Principe, vel taxandum iudicio prudentium. Habetur autem causa justa concessionis, si id fiat in bonum publicum; quando scilicet vel Princeps eget pecunia pro bono publico, vel expedit, ut unus vendat, quia non sunt multi, qui possint tales merces asportare. Sic iuste conceditur bibliopolis, ut alii non possint vendere talem librum, vel quia sine tali privilegio nemo eum imprimeret, & venderet propter proximum periculum pendendi potius, quam lucrandi; vel quia sic reliqui ad laborem animantur. Iuste etiam a dominis locorum conceditur, ut unus, vel duo sint tabernarii in suis locis propter eandem rationem, ut notat Trull. Quod si sine justa causa illud concedatur, injuria fit reliquis volentibus vendere: Unde ad restitutionem damni tenentur, Primo illi, qui tale privilegium impetrarunt, & lucrum reportarunt; Deinde in istorum defectum tenentur, qui privilegium concesserunt. Præterea concedens privilegium inique ageret, si relinqueret pretium taxandum a venditoribus, daretur enim occasio vendendi pretio injusto



justo cum damno Reipublica: Quod tamen intelligendum de mercibus usui humano necessariis, ut sunt panis, vinum, linum, pannus, &c., non de iis, quæ pertinent ad luxum, & delicias, quas nemo cogitur emere, ut sunt picturæ, tapetes sericorum, panni pretiosi, alæ, &c.

VI. Quæritur quinto; Quid sit, & an sit intrinsece mala negotiatio?

Respondeo, Negotiationem idem esse, ac otii negationem, cum Negotiatores curis, & sollicitudinibus abundant: Definitur, quod sit *Emptio rei cum animo eam integram, & immutatam vendendi propter lucrum*; si enim res mutetur, non est negotiatio, sed industria, & artificium. Docet autem D. Th. 2. 2. quæst. 77. art. 4. non esse intrinsece malam, sed indifferentem, cum possit bene, vel male fieri; quamvis habeat speciem mali, tum quia animus lucrandi præferre videtur avaritiam, & quia sæpe exercetur interpositis fraudibus, dolis, mendaciis, monopolis, juramentis, furtis; licet ea vitia negotiatoris sint, non negotiationis.

VII. Quæritur sexto; Quibusnam prohibeatur negotiatio?

Respondeo prohiberi Clericis constitutis in Sacris, & omnibus Religiosis sub pœna excommunicationis, & suspensionis, non quidem latæ sententiæ, sed ferendæ; Unde communissime Doctores docent contra Cajetan., Rodriq., & Michaelem de Palatio apud Dian. loc. cit. resol. 72., istos peccare mortaliter, si negotientur, etiamsi negotiatio non sit turpis, & absit scandalum: Quamvis Lessl., Filliuc., & alii apud eundem Dian. excusent eos a mortali, si semel, aut iterum negotiationem exerceant; quia negotiatio dicit frequentiam aliquam. Ratio cur prohibeatur est, quia ex Apost. 2. ad Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus*; Et 1. ad

Timoth. 6. dicitur: *Habentes alimenta, & quibus regamur, his contenti sumus*. Utrum autem prohibeatur etiam Beneficiariis, qui non sunt in Sacris constituti? Dubitant Doctores; Communiter affirmant, sed aliqui apud Dian. resol. 73. negant.

Notandum tamen primo, Clericis prohiberi tantum negotiationem lucrativam, qua res inmutata venditur majori pretio, non artificiosam, qua res arte mutatur, & venditur; quia hæc artificium potius est, quam negotiatio: Nec prohibetur Clericis usus artis honestæ, cum legamus Actor. 18. Paulum artem scenofactoriam exercuisse: Quare licitum est Clericis seculo scandalo emere jumenta, ut nutrita carius vendant, emere oves, ex quibus vendant agnos, & lactinia; Possunt etiam vendere rem immutatam carius, quam emerunt, nisi ad id emerint. Non possunt tamen conducere aliena prædia, vel similes res fructiferas, ut fructus vendant: quamvis enim hoc non sit negotiari, ut advertit aperte Trull. disp. 19. num. 8., est tamen illis expresse prohibitum *Causa 21. quæst. 3. cap. 1., & 3.*, ut notat Lug. disp. 265. num. 19., & Sal. dub. 2.; Lessl. tamen, & Molin. disp. 347. docent posse id efficere ad suam, suorumque sustentationem, immo in casu necessitatis possunt etiam negotiari, ut notat Sal.: Quamvis autem possint propria prædia, ac jumenta locare, non possunt tamen emere jumenta solum, ut ea locent; quia hoc esset genus negotiationis, ut docent etiam Lessl., & Molin.

VIII. Notandum secundo, triplicem dari negotiationem, aliam Lucrativam, de qua hætenus locuti sumus, aliam Oeconomicam, emendo necessaria ad suam, suorumque sustentationem, & vendendo superflua, & hæc licita est Ecclesiasticis; satis enim est, quod non ematur aliquid ea intentione, ut

carius vendatur immutatum; Tertiam demum Politicam, emendo necessaria exercitui, & civibus; & hæc non decet Clericos, qui debent esse a negotiis secularibus alieni.

Notandum tertio, quod quamvis Clericis prohibitum directe sit tantum negotiari per seipfos, tamen indecens est negotiari per alium, qui totam industriam præstet; ut si pecuniam in societate mercatorum depositam habeant; Quare si non excuset necessitas, putant Less., Molin., Trull. esse saltem veniale per alios negotiari, secluso scandalo; quamvis Dian. loc. cit. resol. 72. cum Turrian. putet, ne veniale quidem esse ex vi prohibitionis per alios negotiari. Verum si Clerici, aut Religiosi negotiarentur per suos famulos, & factores, esset mortale, quia hoc non est negotiari per alios, sed per seipfos, ut notat Trull.

IX. Quaritur demum apud Lug. de Just. disp. 27. sect. 3., & apud Dian. part. 7. tract. 1. resol. 21. An habeatur negotiatio prohibita, si Titius pecuniam, quam ex proprio patrimonio, vel beneficio habet in alia Provincia, non potest habere Neapoli, ubi degit, sine magna jactura cambii, & ideo ne afferatur Neapolim pecunia minus utilis, facit ea pecunia emi in sua Provincia merces aliquas, verbi gratia sericum, quod Neapoli vendat eodem pretio, & fortasse minori?

Respondent laudati Doctores distinguendo; si enim moneta in utroque loco sit ejusdem valoris, unde sericum utrobique vendatur, verbi gratia decem carolenis circiter, non continetur in casu adducto negotiatio prohibita, quando magnum detrimentum in cambio sis passurus, etiamsi sericum illud vendas Neapoli carius, dummodo intentio emendi non sit ad lucrandum, sed ad servandum te indemnum: Contra vero si pecunia plus

valeat Neapoli, quam in tua Provincia, idque facias, non ut serves te indemnum, sed ut lucreris.

## ARTIC. V.

An debeat Venditor aperire vitia rei venditæ?

- I. Defectus rei vendenda vel sunt in substantia, vel in quantitate, vel in qualitate. Alii autem sunt Emptori noxii, alii vero solum reddunt rem inutilem: Istorumque ignorantia potest esse Emptori invincibilis, & potest esse vincibilis.
- II. Contra justitiam peccat, qui rei vendenda defectus in substantia, & quantitate non manifestat. Quid si quis vino prestanti aquam intermiscet?
- III. Rei vendenda defectus occulti in qualitate a Venditore ex justitia debent manifestari, quando Emptor interrogat de certo defectu, & quando res petitur ad certum usum, ad quem res illa est inutilis: Sicut etiam si res sit Emptori nociva.
- IV. Emptor pariter tenetur manifestare ex justitia valorem rei Venditori illum ignoranti; Sed non tenetur, quando talis valor communiter ignoratur.
- V. Validus est Contractus venditionis, quando Venditor ignorat vitium notabile rei venditæ; sed comperta veritate tenetur Emptori damnum resarcire.

I. **N**Otandum primo, vitia, vel defectus rei alia esse in substantia, alia in quantitate, alia in qualitate. Dicuntur esse in substantia, si res aliqua pro alia diversa specie, vel numero tradatur, ut aurichalcum pro auro, equus A. pro equo B.; Sunt vero in quantitate, si res in pondere, aut mensura deficiat, ut si dentur de-

cem libræ, vel ulnæ pro duodecim. Sunt demum in qualitate, si verbi gratia animal infirmum vendatur pro sano, ager sterilis pro fecundo, vinum aqua mixtum pro puro, vestis vetus pro nova.

Rursus defectus rei alii sunt noxii emptori, ut si ematur domus ruinosa pro integra, Equus furiosus pro domito, pharmacum noxium, &c.; Alii reddunt rem inutilem tantum, sed non sunt noxii, ut si ematur vas argenteum habens aliquam rimulam pro integro, pharmacum inutile pro utili, equus fenex pro juveni.

Notandum secundo, ignorantiam talium defectuum in venditore posse esse vel invincibilem, eo quod non teneatur tales defectus cognoscere; vel vincibilem, seu culpabilem, ut si ignoret defectum rei, quem communiter alii ejusdem artis cognoscunt; Sic venditor carniū tenetur agnoscere, an carnes sint bovinæ, vel arietinæ. His positis,

II. Quæritur primo: An teneatur venditor manifestare defectum rei in substantia, vel in quantitate?

Respondeo cum communi affirmati-ve, itaut peccet mortaliter, & ad restitutionem teneatur, qui occultat; Etenim hujusmodi fraus, & dolus in re gravi est peccatum grave contra justitiam; unde tenetur compensare damnum, qui unam rem pro alia vendit, vel qui vendit rem deficientem in pondere, vel mensura. Et quidem ad restitutionem tenetur, Primo, qui frumentum, vel filum sericum ponit in loco humido, ut intumescat, & crescat: Secundo, agricolæ, qui tritico glebulas, aut alia semina intermiscet; quamvis non peccet, qui vendit triticum cum glebulis terreis, quas communiter habet postquam in area expurgatum est; immo si perfecte illud purgarit, non peccat, si iterum admisceat tot terræ glebulas, quot com-

muniter habet triticum, quod venditur: Tertio, qui vino aquam intermiscet; Quod si vino præstantissimo admisceat tenue, itaut fiat simile illi, quod ab aliis eodem pretio venditur, probabiliter ex Lessl. & Bonac. apud Dian. part. 1. tract. 8. resol. 51. non peccat; sicut nec si intermiscet eodem modo aquam, quando emptor tale vinum non est servaturus, sed statim consumpturus (nam vinum aquæ mixtum servari nequit) quamvis, si id frequenter fiat, inferatur injuria venditoribus puri vini, ex Turrian. apud eundem Dian. resol. 80., eo quod mensura puri vini sic minuatur, & ideo in praxi talis sententia consulenda non est, sed omnino rejicienda (quamvis Dianæ videatur probabilis) ne detur occasio avaritiæ, & injustitiæ; Præsertim quia sic venditur vinum pretio summo, quod renuunt universim emptores solvere, & fit injuria aliis venditoribus sincere procedentibus, eo quod emptores facile illos deserant decepti ab eo, qui videtur minoris vendere vinum dilutum.

III. Quæritur secundo: An teneatur venditor manifestare defectus rei in qualitate, & emptor valorem rei ignoratum a venditore?

Respondeo, & dico primo, si emptor interroget, an res habeat certum defectum, vel si res petatur ad certum usum, tenetur venditor ex justitia manifestare vitia occulta; aliter venditio est nulla, & ante judicis sententiam rescindenda; & in foro externo datur actio, quæ dicitur Redhibitoria ad recuperandum pretium, & restituendam mercem, quia dolus dedit causam contractui. Ita Lessl. apud Trull. dub. 11. Quod si emptor tantum interroget in genere, an res habeat aliquem defectum, tunc si res sit utilis ad finem, & defectus alii occultentur, venditio est valida; si vero sit inutilis ad finem, venditio est nulla, &

rescindenda: Sicut etiam si res sit nociva emptori; ut si vendatur equus ferox pro domito, aromata evanida pro recentibus, servus furax, & fugitivus. Ratio est, quia etiam in hoc casu dolus daret causam contractui, & emptor sic interrogans censetur rationabiliter invitus; ut notant communiter apud Dian. part. 1. tract. 8. resol. 39.

Dico secundo: Si emptor non interrogat de vitio rei, sed suo iudicio fidens rem aliquam ex multis deligit, non tenetur venditor manifestare ejus defectus, si sit utilis ad finem, & non nociva emptori; Debet tamen tantum pretium accipere, quantum valet res illa cum vitiis suis; ut si vendatur vas argenteum cum aliqua rimula. Si tamen vitium, quod tacetur est notabile, quo scilicet cognito emptor non emisset, quia scilicet reddit rem illam inutilem, aut nocivam, Contractus est nullus, daturque in foro externo actio redhibitoria, scilicet ad rehabendum pretium, & tenetur venditor refarcire omnia damna. Ratio est, quia dolus daret causam Contractui; quoties autem dolus dat causam Contractui, Contractus est nullus, ex leg. 1. Cod. de Aedilicis actionibus.

IV. Dico tertio: Sicut tenetur venditor manifestare emptori vitia, ita emptor tenetur manifestare rei valorem venditori ignorantibus, verbi gratia, si vendat gemmam pro vitro, aurum pro aurichalco; Si tamen etiam emptor valorem rei ignorat, tenetur comperta veritate illius valorem venditori compensare, ut communiter docent cum Lessi. cap. 11. num. 84. apud Dian. resol. 79.; Quamvis gemmae in eo loco, ubi parvi aestimantur, possint parvi emi, quia emuntur ibi pretio communi, sicut etiam ager habens thesaurum latentem, & fascis herbarum, in quo adsunt herbae magnae virtutis notae solum emptori, emi possunt

pretio, quo communiter aestimantur, ut diximus.

V. Dico quarto: Si venditor ignorans vitium rei notabile rem illam vendidit, Contractus est validus, cum non intercedat dolus, sed cognito vitio debet descendere de pretio rei, itaut tantum accipiat, quantum res cum eo vitio valet; Quamvis non teneatur refarcire damna secuta emptori, si sine culpa lata vitium illud ignoravit, ut notat Bonac. hic.

## ARTICULUS VI.

Ad quem spectant fructus rei venditae?

- I. Fructus pendentes rei vendita spectant ad emptorem, nisi aliter conveniatur.
- II. Pertinent tamen ad venditorem, quamvis res tradita sit emptori, si pretium nondum sit solutum, aut non sit data fides de pretio solvendo.
- III. Quomodo possit sine labe usura emptor, concessa venditori dilatione solutionis pretii, percipere interesse ratione fructuum rei vendita?
- IV. Ex re vendita, & aliena possunt percipi fructus solum ratione lucri cessantis.
- V. Si Contractus venditionis dissolvatur post annum, sive quia fuit conditionatus, & conditio non est purificata, sive quia celebratus fuit per dolum dantem causam Contractui, fructus talis rei eo anno provenientes spectant ad venditorem.
- VI. Spectant vero ad emptorem, si Contractus post annum rescindatur, quia intercessit lesio ultra dimidium iusti pretii.
- VII. Quid si venditio rescindatur ratione pacti de re retrovendenda?
- VIII. Quid si venditio cum pacto additionis in diem, vel cum pacto legis

gis commissoria verbis directis celebrata deinde dissolvatur? Et quid importent hac pacta additionis in diem, & legis commissoria?

*IX. Si venditio rescindatur jure Retractus, seu jure congrui intra annum post venditionem, fructus medii temporis ad emptorem spectant. Explicatur, quid sit hoc jus Congruui, seu Retractus.*

I. **C**ertum est primo ex Bonac., Less. lib. 5. num. 1. dub. 13., & aliis, fructus pendentes tempore venditionis spectare ad emptorem quoad valorem, quem habent tempore venditionis, nisi aliter conveniant contrahentes; Et ratio est, quia censentur esse pars rei emptæ: Et eodem modo si equus vendendus ostendatur emptori cum ornamentis suis, quando decernitur pretium equi, intelligitur cum suis ornamentis, nisi aliter conveniatur.

II. Certum est secundo, quod quando res vendita tradita est emptori, sed pretium nec est solutum, nec est habitum pro soluto, data fide de pretio, tunc fructus rei venditæ pertinent etiam ad venditorem, eo quod res domino fructificat; in tali autem casu dominus rei est venditor, non emptor, quamvis tradita sit emptori; ergo, &c.: Contra vero si pretium est solutum, aut habita est fides de pretio, concessa dilatione ad solvendum, fructus pertinent ad emptorem, eo quod in tali casu dominus rei sit emptor, ut supra diximus; nec tenetur emptor ad interesse pro pretio non soluto, nisi aliter conventum sit.

III. Quæritur tamen primo, An possint isti contrahentes sine labe usuræ convenire, ut quousque pretium rei venditæ solvatur, teneatur emptor ad interesse ratione fructuum?

Respondeo cum Bonac. punct. 7., Molin. contra Less., & Vasq. affirma-

tive. Ratio est, quia in tali casu non teneretur emptor ad interesse ratione dilationis sibi concessæ ad solvendum, quæ est tacita mutuatio, sed teneretur ratione lucri cessantis venditori; venditor enim patitur ex anticipata hac venditione damnum hoc, quod non acquirit fructus rei venditæ; ergo bene potest spectato valore talium fructuum percipere interesse, quoadusque sibi pretium solvatur: Certum tamen est, quod si tale lucrum non cessaret, usura committeretur percipiendo interesse ob dilationem solutionis.

IV. Neque dicas, quod venditor in hoc casu perciperet fructus ex re aliena; Nam quando res facta est aliena per venditionem cum proprio incommodo, possunt percipi fructus ex tali re; Sic quando mutuans transfert mutuatio dominium pecuniæ, quæ sibi lucrum pareret, potest ex tali pecunia aliena percipere valorem fructuum, quos ipse lucraretur, nisi mutuasset. Tutius tamen est, quod venditor in his casibus ineat venditionis contractum sub conditione, quod pretium solvatur, reservato interim sibi dominio rei, quam locat emptori, quousque pretium solvat.

V. Quæritur secundo: Quando Contractus venditionis post annum, verbi gratia, dissolvitur, ad quem spectant fructus, quos illo anno parit res vendita?

Respondeo, & dico primo; Si Contractus, verbi gratia, post annum dissolvitur, eo quod celebratus fuerit sub conditione aliqua, quæ non est impleta, fructus illius anni pertinent ad venditorem, eo quod venditor ante conditionis eventum non transfulerit dominium: Et eadem est ratio, si venditio post annum dissolvatur, eo quod fuerit celebrata per dolum dantem causam contractui; talis enim venditio est invalida, & sic res venditori, qui est dominus, fructificat.

VI. Dico secundo; Si Contractus post annum dissolvitur, eo quod pœniteat contrahentes prioris Contractus, fructus illius anni pertinent ad emptorem, ut patet; quia ille est dominus. Et idem dicitur, si Contractus rescindatur, eo quod venditor deceptus sit ultra dimidium iusti pretii; emptio enim est valida, quamvis rescindenda. Verum tamen est, ut notat Less. num. 122., emptorem teneri defectum pretii supplere, quantum intererat venditoris ipsum non fuisse deceptum.

VII. Dico tertio; Quando fit venditio cum pacto retrovendendi eodem pretio, tunc fructus medii temporis pertinent ad emptorem, qui est dominus, secundum valorem, quem habent usque ad diem retrovenditionis; Si vero venditio dissolvatur variato pretio, quia censetur fieri secunda venditio, quando celebratur hic novus Contractus, ideo fructus, juxta valorem, quem tunc habent, spectant ad secundum emptorem, qui redimit illam rem, eo quod fructus pendentes tempore Contractus censentur esse pars rei emptæ, ut supra diximus, nisi aliter conveniatur.

Hinc sequitur ex Molin., & Less. apud Bonac., quod quando rescinditur venditio, quæ prius celebrata fuit cum pacto retrovendendi eodem pretio, non fit solvendum novum vestigal, quia talis retrovenditio non censetur secunda venditio, sed rescissio primæ venditionis: Contra vero si dissolvatur venditio, quæ non fuerat celebrata cum pacto retrovendendi eodem pretio, aut si cum celebrata fuit cum pacto retrovendendi, verbi gratia, post quinque annos, deinde prorogetur tale tempus; nam rescissio ista cum non fiat vi primi, sed secundi pacti, censetur secunda venditio.

VIII. Dico quarto: Quando venditio cum pacto Additionis in diem,

Pars IV.

vel legis commissoriæ verbis directis celebrata dissolvitur, tunc fructus medii temporis pertinent ad venditorem; Ita ex leg. *Item, De in diem additione*, & ex leg. *Si fundus*, ff. *de lege commissoria*. Ratio est, quia talis venditio habetur pro nulla, eo quod dissolutio venditionis retrahatur ad tempus, quo celebrata fuit; Unde probabilius est ex Less., & Molin. contra Gomez, & Tiraquel. pro tali venditione non esse solvendam gabellam. Dicitur autem venditio cum pacto additionis in diem, quæ fit hoc pacto: *Vendo tibi domum, verbi gratia, ea lege, ut si intra annum reperero emptorem majus pretium pro ea solventem, domus sit inempta*: Dicitur venditio cum pacto legis commissoriæ, quæ fit hoc alio pacto; *Vendo tibi domum hac lege, ut intra annum pretium mihi solvas, aliter sit inempta, & Contractus sit nullus*. Dicitur hic Contractus fieri verbis directis, si verba ostendant Contractum esse irritum, ut si expresse dicatur, quod aliter res sit inempta, & Contractus nullus. Dicitur vero celebrari verbis obliquis, si verba ostendant Contractum esse irritandum; ut si dicatur; *Aliter res ad me redeat, & Contractus dissolvatur, seu ex tunc sit dissolutus*. Dixi proinde, venditiones istas esse nullas, & fructus medii temporis pertinere ad venditorem, si fiant verbis directis; nam si fiant verbis obliquis, fructus medii temporis pertinent ad emptorem; quia venditiones istæ sunt validæ, & solum dissolvendæ.

Ex quo sequitur, quod si fiant venditiones istæ verbis obliquis, & interim res pereat, tunc pereat in damnum emptoris, cum res domino pereat; facta autem hac venditione valida, & facta traditione rei, jam translatum est ejus dominium in emptorem: Si vero venditiones istæ fiant verbis directis, res periret venditori.

H IX.

IX. Dico demum: Si rescindatur Contractus venditionis intra annum jure Retractus, seu jure Congruui, fructus talis medii temporis spectant ad emptorem, eo quod validus fuerit Contractus. Sciendum autem, jus Retractus, seu jus Congruui competere consanguineo, vel vicino redimendi, ac ad se retrahendi rem immobilem a te alteri venditam, restituta illi suo pretio; quod jus etiam in veteri testamento fuit lege declaratum Levit. 25., Congruui autem jus competit consanguineo proximiori, si concurrat cum remotioribus, & duret per annum, & diem, quo elapso cessat tale jus. Quod si intra hoc tempus ab emptore fuerint factae expensae in re illa immobili empta, qui vult uti jure hoc congrui, debet praeter pretium compensare illi expensas necessarias, ac utiles, non tamen voluptuarias; potest tamen, ut diximus, fructus interim perceptos emptor, utpote dominus, sibi retinere.

#### ARTICULUS VII.

Utrum res vendita pereat, vel deterior fiat in damnum emptoris, an venditoris ante, vel post traditionem?

- I. Res, qua venditur, potest esse aut determinata, aut indeterminata; & potest vendi ad corpus, aut ad mensuram.
- II. Res vendita, si sit determinata, & pereat post venditionem, & traditionem, perit emptori, qui est dominus. Ex jure autem positivo etiam perit, & fit deterior, aut fit melior emptori ante ejus traditionem.
- III. Res vendita, qua sit indeterminata, si ante traditionem pereat, perit venditori; pretium vero crescit, aut decrescit emptori.

IV. Hinc si vendatur dolium vini ad corpus, & ante traditionem pereat, perit emptori, & eidem fit deterior, aut melior. At si vendatur ad mensuram, perit venditori; fit tamen deterior, aut melior emptori.

V. Si fundus determinatus vendatur, & ante traditionem alluvione absumatur, perit emptori, eidemque crescit, si per alluvionem crescat.

VI. Quid si vinum, verbi gratia, vendatur ad mensuram, & emptor differat illud mensurare?

I. **N**Otandum, quod res, quae venditur, vel est determinata in individuo, ut hic equus; vel indeterminata, ut centum oves mei gregis, centum modii tritici, &c., Rursum vel potest vendi res ad corpus, ut si unico pretio vendatur totum corpus, verbi gratia totum dolium vini quinquaginta aureis; Vel potest vendi ad mensuram, ut venditur fundus decem jugerum quinquaginta aureis pro singulis jugeribus. His positis

II. Quaeritur primo: Cuiam res vendita pereat, si sit determinata, ut equus?

Respondeo, & dico primo, si res vendita pereat post traditionem, perit emptori. Ratio est, quia res regulariter domino perit; atqui post traditionem rei emptor evasit dominus; ergo illi perit.

Dico secundo: Si res vendita pereat, vel deterior fiat post venditionis Contractum perfectum, & absolutum, sed ante traditionem, etiam res perit, & fit deterior emptori, (dummodo tamen non adsit culpa, vel mora venditoris in re tradenda, nec expressum sit in Contractu, quod periculum ad venditorem pertineat) Ita communiter apud Bonac. punct. 8., Less. cap. 11. dub. 12.. Ratio autem non est, ut putat Sylvest., quia emptor ante traditionem fit dominus, sed quia  
ita

ita Jura disponunt, ex leg. 1., *Cod. de periculo, & commodo rei vendita*, & alia, quæ fuse congerit Molin. disp. 366., *Lessi. cap. 22. dub. 12.* Quare sicut in damnum emptoris res fit in tali casu deterior, ita fit melior in bonum ejusdem emptoris.

III. Quæritur secundo: *Cuinam pereat ante traditionem, aut deterior fiat res vendita, si sit indeterminata, ut centum modii tritici?*

Respondeo perire venditori; pretium vero accrescere, aut decrescere emptori. Ratio est, quia contractus non censetur absolutus, sed conditionatus, si scilicet mensus fuerit tot modios tritici, si tradideris tot oves. Quamvis autem in tali casu res pereat venditori, utpote illius domino, tamen fit deterior, vel melior emptori; Unde si res in pretio crescat, aut decrescat, lucrum, aut damnum pertinet ad emptorem, quippe qui non est rei dominus; sed jus habet ad illam rem conditione purificata. Ita Molin. loc. cit., Bonac. punct. penult., Salon., *Lessi. cap. 11. dub. 12.*, & alii.

IV. Hinc sequitur primo, quod si dolium vini vendatur ad corpus, & effundatur ante traditionem, effundatur in damnum emptoris, quia venditio est rei determinata. Si vero vendatur ad mensuram idem dolium, videlicet tribus carolenis ad singulas mensuras, & ante traditionem effunda-

tur, pereat venditori, quia talis Contractus non est absolutus, sed veluti conditionatus, si scilicet reus mihi fueris ejus mensuras. Si vero pretium istarum mensurarum interim crescat, vel decrescat, id spectat ad emptorem; sicut etiam si deterior, vel melior fiat.

V. Sequitur secundo, quod si vendatur fundus determinatus, & ante traditionem alluvione absumatur, pereat emptori; Si vero per alluvionem aliquid illi accrescat, etiam accrescat emptori; par enim est, ut ad quem spectat incommodum, spectet etiam commodum.

Sequitur tertio, quod si ex certo numero ovium una vage sit vendita, & interim multæ oves pereant, adhuc una debeatur ex superstilibus emptori; Si vero omnes pereant, una ex illis perit in damnum emptoris.

VI. Sequitur quarto, quod si de communi consensu constitutus sit terminus ad mensurandum, verbi gratia, vinum venditum tot aureis in singulas mensuras, periculum rei vendita ad illum pertinet, qui est in mora. Si vero nullum tempus est constitutum, venditor potest coram testibus monere emptorem, ut intra certum tempus accedat ad mensurationem, quo elapso periculum pertinebit ad emptorem, ex leg. *Si quis vinea*, ff. *De periculo, & commodo rei emptæ.*



## Q U Æ S T I O III.

### De Mutuo, & Usura.

**P**lurima fusc diximus de Usuris in quarto ex Opusculis Theologico moralibus typis jam dato. At quia tractatus hic de Contractibus mutilus esset, nisi in eo de hoc præcipuo Mutui contractu ageretur, idcirco post explicatam rationem Mutui, paucis hic perstringemus, quæ spectant ad Usuram, & ad purgandos alios Contractus a labe Usuræ. Discutiemus itaque primo, Quid, & Quotuplex sit Mutuum; Et quibus in casibus deobligetur Mutuatarius a restituenda re mutuo accepta? Secundo, Quid sit Usura, & Quotuplex? Tertio, An quælibet obligatio imposita Mutuatario sit Usura? Quarto, Qua via possit sine labe Usuræ aliquid ultra sortem exigi? Quinto, Expedientur ea quæ pertinent ad Usurarium.

#### ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Mutuum? Et quinam a restituenda re mutua deobligentur?

*I. Quid sit Mutuum, & in quo differat a commodato, & aliis Contractibus?*

*II. Si pecunia commodeur ad ostensionem, potest commodans aliquid percipere a Commodatario propter talem usum: At si pecunia detur mutua, nihil potest accipi propter ejus usum.*

*III. Mutuum potest esse tacitum, seu implicitum, ac virtuale; ut si vendatur res pluris, quam valeat propter dilationem solutionis.*

*IV. Ex juris privilegio, saltem pro foro externo, non tenetur filiusfamilias restituere pecuniam mutuo acceptam etiam post mortem Patris, si non habeat bona Castrensia, vel quasi Castrensia.*

*V. Pariter deobligantur Ecclesie, & loca pia, ac Oppida, nisi constet pecuniam conversam esse in eorum utilitatem. Quid de Pupillis & Minoribus?*

**I.** Quæritur primo, Quomodo Mutuum definiatur?

Respondeo, Mutuum prout distinctum a Commodato, Locato, Pignore, Hypotheca, Deposito, & aliis Contractibus, est *Traditio rei, seu pecunie, ut statim fiat accipiens, qui postea restituat tantumdem ejusdem rationis, & qualitatis.* Convenit proinde cum Commodato, &c. quia in utroque Contractu habetur traditio rei, sed differt ab illo, quia per mutuum, & non per Commodatum dominium rei transfertur in mutuatarium; Hinc enim talis Contractus appellatur Mutuum, quia per illud, quod est meum, fit tuum. Ex quo sequitur, quod incrementum, aut decrementum valoris rei mutuo data cedere debeat Mutuatario, utpote domino rei, & si res mutuo data pereat, eidem Mutuatario perire debet, quia res domino perit: Contra vero si res commodata casu pereat, non perit Commodatario, sed Commodanti, qui est dominus.

Præterea restitui debet a Mutuatario non eadem res in individuo, ut in commodato, (esto possit ea reddi,) nec res alterius speciei, quia est

set Permutatio, sed ejusdem speciei, & bonitatis. Ex quo etiam fit, quod mutuum sit de iis rebus, quæ functionem recipiunt, seu quarum una substitui potest loco alterius, ut vinum pro vino, pecunia pro pecunia, &c. ad differentiam Commodati, & locationis, qui sunt de iis rebus, quæ functionem non recipiunt.

II. Quare si pecuniam quis accipiat ad ostentationem, & pompam, non ad illam expendendam, atque adeo cum obligatione reddendi eandem, non intelligitur celebratus Contractus Mutui, sed Commodati, ut proinde si casu pereat, ipsi Commodanti pereat; unde aliquid posset ab eo accipi propter usum talis pecuniæ, qui est pretio æstimabilis; Non secus ac quando commodantur vasa argentea; Quod in mutuo fieri non potest, ut infra dicemus, quia si ex mutuo aliquid acciperetur a mutuante, hic lucrum reportaret, & ditesceret ex miseriis mutuatarii, qui cogitur ex sua miseria mutuum accipere; Qui vero vult pecuniam ad ostentationem commodatam, non cogitur ad id a sua miseria, unde non est mirum, quod commodans possit ex commodatione pecuniæ lucrum reportare: Præterquam quod usus rei commodatæ est pretio æstimabilis, & spectat ad dominum, unde commodans pecuniam ad ostentationem aliquid percipit ex usu rei suæ: At usus rei mutuatæ non spectat ad mutuantem, eo quod per mutuum transtulit ejus rei dominium in Mutuatarium, unde si quid acciperet propter talem usum, acciperet aliquid ex usu rei non suæ, quod est iniquum.

III. Quæritur secundo: Quotuplex sit Mutuum?

Respondeo, aliud esse expressum, seu formale, ut quando datur pecunia mutuo; aliud esse tacitum, seu implicitum, & virtuale, ut quando venditur domus majori pretio propter dilatio-

nem solutionis; tunc enim censetur virtualiter mutuari pecunia usque ad tempus præfixum solutionis.

IV. Quæritur tertio: An omnes obligentur ad restituendam rem mutuo acceptam?

Respondeo, jure naturæ omnes obligari, sed in quibusdam casibus privilegio juris positivi filii familias, Ecclesiæ, Civitates, & Minores possunt non restituere mutuum, & obligationem elidere exceptione. Nam primo filii familias, qui sub patria potestate est, nec habet bona Castrensia, vel quasi Castrensia, nec publice creditur esse juris sui, si absque Patris consensu accepit pecuniam mutuam, non tenetur illam restituere, etiam post mortem Patris, ex leg. 1., Cod. ad Macedonianum, saltem pro foro externo; Immo Molin. disp. 30., & Less. cap. 20. num. 6. apud Trull. contra Rebell., Reginald., & alios communius putant, quod neque in foro conscientiæ teneatur, si velit uti privilegio talis legis idcirco latæ, ne filii hac occasione ad pecuniam persolvendam machinarentur mortem Patris. Notandum tamen, quod lex loquatur de sola pecunia mutuo accepta, non de aliis rebus, puta vino, oleo, &c.: Si tamen filius juravit se soluturum, tenetur vi juramenti; quamvis possit a Prælate petere relaxationem, aliter lex facile redderetur inutilis, ut notat Trull.

V. Secundo, Ecclesiæ, & loca pia, sicut etiam Oppidum non tenentur restituere pecuniam mutuam, nisi creditor probet conversam esse in eorum utilitatem: Et idem dicas de Pupillo, & Minore, si eorum nomine Tutor, vel Curator mutuum accepit, ut communiter notant Doctores. Verum si Prælatus cum consensu Capituli mutuum accepit nomine Ecclesiæ, & possit solvere sine alienatione rerum immobilium, debet solvere, ut notat Trull. ex Less. cap. 20. num. 11.

A R.

## ARTICULUS II.

Quid, & Quotuplex sit Usura, & quo Jure prohibita?

- I. Usura est lucrum immediate proveniens ex Mutuo: Unde non potest Mutuatario imponi, quod ponat, qua alias debet ex alia virtute a justitia; Nec potest aliquid ab eo exigere tanquam debitum ex gratitudine, praevio pacto saltem implicito.
- II. Usura alia est mentalis, alia realis, alia manifesta, alia palliata.
- III. Non est Usura mentalis mutuari cum spe, & intentione lucri, dummodo non interveniat pactum; Sicut nec est simonia Officium recitare intendendo distributiones.
- IV. Nec est Usura sperare ex Mutuo amicitiam; At probabilius hac non potest in pactum deduci.
- V. Non licet excitare Mutuatarium ad remunerationem tanquam debitam pro mutuo; licitum tamen est excitare illum ad aliquid omnino liberaliter donandum. Sed in praxi periculosum.
- VI. Quid si dubites, an Mutuatarius aliquid omnino tibi liberaliter donec?
- VII. Jure Civili, Canonico, & Naturali prohibetur Usura.

I. **U**SURA definitur, quod sit lucrum ex mutuo immediate proveniens. Dicitur primo *Lucrum*, hoc est acquisitio rei supra sortem indebita; ut si mutuans centum recipiat centum & unum: Quare non erit usura, si mutuem tibi, ut definas nocere, ut reddas depositum, vel debitum, &c., quia sic nullum lucrum reporto, seu non acquirō ultra sortem nisi id, quod alias erat mihi debitum ex justitia; Contra vero erit usura, si mutuem, ut praestes ea, ad quae te-

neris ex Charitate, aut ex Religione, aut ex Obedientia, aut ex Fidelitate, ut communiter docent apud Bonac. punct. 3. num. 15. contra Medin., Petrum Navar., & Valent. Ratio est, quia sic imponitur gravamen, ratione cuius tenetur Mutuatarius ad damna subsecuta, ad quae non tenetur, si omitteret, quae debet ex charitate, aut ex alia virtute distincta a justitia. Dicitur secundo, *Proveniens ex mutuo*, nam si proveniat lucrum ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, vel aliunde, non erit usura. Dicitur tertio *Immediate*, nam si lucrum mihi proveniat non immediate ex mutuo, sed ex amicitia, vel gratitudine, non erit usura; ita tamen ut antecederet ne implicate quidem id sit deductum in pactum, nec exigatur tanquam debitum; proscripta enim est ab Innoc. XI. propos. 42. dicens: *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigatur tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam debitum ex justitia*; Et sensus est, quod si aliquid ultra sortem exigatur tanquam debitum ex benevolentia, & gratitudine, & ex his titulis in pactum deducatur, procul dubio sit usura: Sicut pariter est simonia accipere pro re sacra aliquod temporale titulo gratitudinis, si id in pactum deducatur, ut ostendimus in Trutina thesaurum damnatarum exponendo thesaurum 45. ab Innoc. XI. proscriptam.

II. Quæritur primo; Quotuplex sit Usura?

Respondeo, dividi primo in Realem, seu Externam, & Mentalem, seu internam; Illa habetur, quando intervenit pactum saltem implicitum reddendi aliquid supra sortem; Mentalis vero habetur, quando mutuans intendit lucrum tanquam debitum ex mutuo, quamvis nullum pactum imponat. Unde fit, usuram, tribus modis accipi apud Doctores, Primo pro lucro di-

dicto supra sortem. Secundo pro Contractu, quo aliquid promittitur supra sortem vi mutui. Tertio pro ipsa voluntate lucrandi propter mutuum.

Dividitur secundo Usura in Manifestam, & Palliatam, seu implicitam; Illa habetur, quando manifeste intenditur lucrum; Hæc habetur, quando intentio lucri palliatur, & coloratur colore alterius Contractus; ut si venderem credito centum aureis rem, quæ numerata pecunia valet octoginta; idem enim hoc esset ac mutuare octoginta, ut reddantur post annum centum.

III. Rogabis, an semper sit usura mentalis mutuare cum spe, & intentione, quod aliquid supra sortem reddatur; cum dicatur Luca 6. 31. *Mutuum date nihil inde sperantes.*

Respondeo cum Molin., Less., & aliis apud Bonac. punct. 2., tunc committi usuram, quando speratur, vel intenditur lucrum immediate ex mutuo, tanquam debitum ex iustitia, seu si speretur lucrum non ex liberalitate Mutuatarii, sed tanquam pretium ex mutuo: Contra vero si speretur lucrum ex mutuo non immediate, sed mediante amicitia, vel gratitudine, vel liberalitate, & non tanquam pretium mutui, non committitur usura, sive huiusmodi lucrum minus principaliter speretur, sive principaliter, si ve sit causa impulsiva, sive finalis mutui. Ratio est, quia non committitur usura, nisi aliquid accipiatur ultra sortem ex mutuo ab eo, qui dat invite, & involuntarie mixte; quæ autem abque prævio pacto etiam implicito dantur ex amicitia, gratitudine, vel liberalitate, libere, & omnino voluntarie dantur. Præterea sicut committit simoniam Canonicus, quando Divinum officium recitat, ut percipiat distributiones tanquam pretium Divini Officii, non vero si Officium recitet, ut percipiat distributiones tanquam

quid annexum Divino Officio ad sui sustentationem, licet illas principaliter intendat; ita committit usuram, qui ex mutuo immediate intendit lucrum tanquam pretium mutui, non vero qui intendit mediante amicitia, quamvis causa finalis mutui sit lucrum. Non negaverim tamen, quod inordinate operaretur, tam qui recitando Divinum Officium principaliter tenderet lucrari distributiones, quam qui mutuando principaliter intenderet lucrum ex gratitudine; at sicut ille non committeret Simoniam, ita neque hic Usuram. Neuter autem peccaret, si principaliter ille recitaret Divinum Officium propter cultum Divinum, & minus principaliter, ut lucretur distributiones, & hic mutuando principaliter intenderet subvenire indigenti, & minus principaliter lucrum forte proveniens ex gratitudine mutuatarii.

Hinc sequitur primo, quod non committatur usura ab eo, qui mutuatur indigenti, sperans illum gratum, & liberalem fore; esto non esset mutuaturus, nisi id sperasset: Sicut non committit Simoniam, qui inservit Episcopo sperans ejus amicitiam, & ea occasione Beneficium; quamvis non inserviret, nisi id lucraretur, ut docet Navar., Reginald., Bonac. loc. cit. contra Salon., & Bagn. Committitur tamen usura, si lucrum speretur tanquam debitum ex iustitia, sicut etiam si deinde mutuans exigat aliquid ultra sortem tanquam debitum ex gratitudine, vel benevolentia, ut diximus ex definitione Innoc. XI. damnantis propos. 42., quæ habet: *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigatur tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam ex iustitia debitum.*

IV. Sequitur secundo, non committi usuram ab eo, qui ex mutuo sperat amicitiam; quia amicitia est aliquid honestum, nec est pretio æstimabilis;

est

est enim extra pretium, ideoque ut notat Reginald. lib. 21. num. 189. suapte natura nec venditur, nec emitur, cum consistat in affectu voluntatis, quæ non cogitur relate ad huiusmodi actus; ad usuram autem spectat, ut aliquid ex mutuo immediate speretur, quod de se sit pretio æstimabile.

Utrum autem possit in mutuo deduci amicitia in pactum, itaut non imponatur alia obligatio? Concedunt Sot., Navar., Azor., Reginald. loc. cit. lib. 25. num. 189. Sed verius negant Salon., Valent., Bonac. loc. cit., quia ex mutuo nulla potest imponi obligatio ex iustitia ponendi id, ad quod mutuarius alias non tenetur; atqui si in pactum deduceretur amicitia, & signa amicitia, mutuarius vi pacti ad hæc teneretur ex iustitia; ergo non potest sine labe usuræ in pactum deduci.

V. Sequitur tertio, eum, qui excitat Mutuarium ad aliquid sibi tradendum in remunerationem mutui, esse acriter reprehendendum, cum usura sit exigere lucrum ex mutuo; Usuram tamen non committit, qui allicit, & excitat Mutuarium ad aliquid sibi ex liberalitate tradendum, quando verosimiliter credit illum ex liberalitate, & plene voluntarie tradere: Et idem docet Less. cap. 24. dub. 27. de famulo, qui sponte domino infervit non petens stipendium, ut hac ratione alliciat dominum ad procurandum sibi Beneficium, quamvis id in praxi periculofum sit; Idemque dicendum de eo, qui tradit munera, ut hac ratione trahat ad benevolentiam, & sic ex benevolentia obtineat, quod petiturus est.

VI. Quod si dubites, Num Mutuarius plene voluntarie, & ex liberalitate aliquid tibi tradat, an potius involuntarie mixte ex verecundia, & timore, ne alias deneges mutuum? Bonac. cum Less. cap. 20. num. 45. pu-

tat, quod non possis quicquam accipere, quia teneris cavere etiam periculum usuræ; quamvis præsumendum sit, quod libenter tradat, si tradit animo hilari, & sponte sua, qui ceteroqui gratus, & liberalis est. Tambur. etiam V. *Mutuum* docet, quod si dubium sit, an aliquis Contractus sit usurarius, non potes lucrum accipere, quia possessio stat pro mutuuario, qui est certus dominus suæ pecuniæ, cum interim mutuans dubium titulum habeat eam retinendi.

VII. Quæritur tertio; Quo jure prohibita sit Usura?

Respondeo, prohiberi non solum jure Canonico in Clement. de Usuris, & jure Divino apud Lucam 6. *Mutuum dantes, & nihil inde sperantes*, & Psalm. 14. *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram*, &c.; sed etiam jure naturali, non secus ac furtum. Ratio est, quia contra rectam rationem est accipere plus, quam res valeat; atqui centum, quæ mutuantur, non pluris valent, quam centum; ergo si plus accipiatur, contra rationem accipiuntur. Neque enim vendi potest usus pecuniæ. Nam in mutuo usus rei non distinguitur ab ipsa rei substantia, quia usus talis rei est translatio domini in Mutuarium, & veluti consumptio substantiæ rei, (quod non habetur in commodato,) translato autem dominio, usus ejusdem rei pertinet ad Mutuarium dominum, unde non potest vendi a mutuante.

Neque dicas, Deuteronom. 22., usuras permitti. Nam sicut permittuntur meretrices ad vitandum majus malum, ita aliquando jure Civili permittuntur usuræ, non tamen proinde licent; nisi forte Deus ex suo dominio absoluto vellet donare illas mutuanti: Sicut enim Israelitæ spoliantes Ægyptum ex ordinatione Domini non commiserunt furtum, ita in casu nostro.

ARTICULUS III.

An quævis obligatio imposita Mutuatario sit Usura?

- I. Usuraria est omnis obligatio ex iustitia Mutuatario imposita, ad quam aliunde non tenebatur; non vero si obligetur ad id, quod alias ex iustitia erat debitum.
- II. Quid si imponatur illi onus, ad quod solum ex charitate tenebatur?
- III. Non sine usura imponitur mutuatario, quod præstet munus a lingua, aut ab obsequio, aut a manu, aut quod tibi quamvis digno officium, vel Beneficium conferat.
- IV. Quid si quis mutuare velit, nisi alter remutuet? Aut nisi ad suam scholam, molendinum, aut apothecam veniat?
- V. Probabiliter non est usurarius, qui vendit merces pretio iusto riguroso pecunia credita, quas venderet pretio infimo pecunia numerata.
- VI. Num debens centum post annum possit nunc dare quinquaginta cum pacto, quod alia quinquaginta post biennium solvantur?
- VII. Quid si mutuetur triticum vetus cum pacto, quod post annum restituantur novum?
- VIII. Estimatio valoris rei mutuata desumenda est ex eo quod ea valebat in loco, ubi fuit mutuata.

I. **Q**uaritur primo, Quænam obligatio imposita Mutuatario sit usuraria; Quænam vero licita?

Respondeo cum communi, omne pactum, per quod imponitur mutuatario onus, & obligatio ex iustitia, ad quam alias non tenebatur, labem usuræ continere. Ratio est, quia talis obligatio est pretio æstimabilis, (eo quod tollat alteri, nempe mutuatario, libertatem, & obliget illum ad damna

Pars IV.

secuta,) & supra sortem acciperetur: Contra vero licitum est pactum, per quod imponitur obligatio ad id, ad quod alias ex iustitia mutuataris tenebatur, puta ad reddendum depositum, ad reddendum debitum antiquum, &c.

II. Molin. disp. 309. putat non esse usuram mutuare cum pacto, quod fiat id, quod ex charitate aliquis teneretur præstare; verbi gratia quando Medicus sub reatu culpæ mortalis teneretur iusto pretio mederi, &c. Et ratio est ex Tambur. cap. 8. §. 2., quia cum medicus hic absolute teneatur, non censetur superadditum novum onus obligando illum ex iustitia. Sed communius id negant, quia si ex iustitia teneretur, obligaretur ad resarcienda damna secuta; unde novum onus ex mutuo confurgeret.

III. Hinc sequitur primo, usuram committi ab eo, qui mutuat cum pacto, ut mutuataris præstet munus aliquod vel a lingua, vel ab obsequio, vel a manu; Dicitur autem Munus a lingua alloqui Regem, verbi gratia canere, laudare, &c.; Dicitur Munus ab obsequio aperire alteri caput, comitari dominum, signa amicitia, & officia particularia exhibere; Munus demum a manu est colere agrum, domum conducere, vel locare, & his similia.

Sequitur secundo, committi usuram, si mutues cum pacto, quod mutuataris conferat tibi, quamvis digno, aliquod Officium, vel Privilegium, vel Beneficium; Immo in hoc casu usura esset Simoniaca, cum ineatur pactum rei temporalis pro spirituali: Unde fit, quod si cum damno mutuantis aliquod officium temporale acceptum sit, debeat tale damnum resarciri, & Beneficium sic acceptum dimittendum est, & fructus percepti vel in pios usus erogandi, vel dandi sunt Cameræ Apostolicæ; nisi cum illa fiat compositio: Quare non est audien-

I

dien-

diendus Petrus Navar. apud Bonac., qui putat non committi usuram ab eo, qui non vult mutuare, nisi mutuarius sibi, vel alteri conferat in presenti Beneficium aliquod, vel Officium.

IV. Sequitur tertio, usuram committi ab eo, qui mutuat sub conditione, ut mutuarius statim, vel in posterum remutuet; Obligatio enim remutuandi, quæ imponitur, est pretio æstimabilis. Verum quidem est, posse utrumque se obligare ad mutuandum pro certo tempore, quia sic utriusque contrahentis par est onus, & obligatio. At non videtur licitum imponere mutuuario obligationem remutuandi, ut docent Rebel., Azor., Bonac. punct. 9. contra Petrum Navar., Molin. disp. 308., Lefs., Sal., qui putant licitum esse nolle mutuare, verbi gratia pecuniam, nisi mutuarius in presenti remutuet aliquod, quo mutuans indiget. Id tamen in praxi est periculosum.

Illud certum est, non esse usuram, si quis videns Titium non habere animum mutuandi in presenti, aut in futurum, cum cateroqui possit sine incommodo, nolit illi quicquam commodare; nam in tali casu non habetur mutuum cum obligatione remutationis, sed solum non vult ille remutuare, quia videt Titium ingratum esse, ut notat Trull. dub. 6., & Dian. part. 1. tract. 8. resol. 10.

Sequitur quarto, committi usuram ab eo, qui mutuat cum pacto, ut ille ad suam scholam, vel molendinum, vel apothecam veniat; necnon ab eo, qui mutuat cum pacto non reperendi mutuum, donec mutuarius frequentet molendinum, &c.: Quamvis possit absolute nolle mutuare, immo possit etiam speculative loquendo velle repetere mutuum, si videat mutuarium ingratum nolentem frequentare suum molendinum, cum possit sine suo

incommodo. Quod si tale pactum intercessit, tenetur mutuuario refarcire damnum ex tali pacto secutum.

Sequitur quinto, committi usuram ab eo, qui mutuat pecuniam, vel vinum verbi gratia, cum pacto, quod restituatur mutuum in re diversæ rationis, puta in tritico tempore messis, quia imponit obligationem ex iustitia pretio æstimabilem, ad quam ille non tenebatur: Potest quidem iniri contractus emptionis solvendo pecuniam anticipato pro tritico dando tempore messis pretio tunc taxado juxta estimationem communem; sed in tali casu pecunia debet dari irrevocabiliter; ubi contra pecunia, quæ mutuatur gratis nullo præfixo tempore, potest ad libitum revocari. Eodem modo possum anticipata solutione conducere operas coloni, & volenti meum agrum colere mutuare illi pecuniam, ut boves emat, & alia necessaria; sed non possum illi non parato ad colendum agrum meum mutuare cum pacto, quod vendat mihi suas operas, emendo boves, & colendo agrum meum, quia sic onus ex iustitia indebitum ex mutuo consurgeret. Similiter possum anticipata solutione emere operam Medici, vel Advocati per annum verbi gratia; at non possum mutuare illis cum pacto, quod vendant mihi operam suam, & iusto pretio medeatur, & causam defendatur.

Sequitur demum, non committi usuram ab eo, qui novam obligationem ex iustitia non imponit mutuando; verbi gratia ab eo, qui mutuat cum pacto, quod mutuarius det pignus, vel hypothecam pro securitate mutui. Non tenetur enim mutuator mutuare cum periculo amittendæ fortis: Nec committitur usura ab eo, qui mutuat cum pacto, quod mutuarius restituat sibi depositum debitum, aut quodcumque ex iustitia debet; Non vero si in eatur pactum, quod ponat mutuarius,

rius, quod ex charitate, vel obedientia tenetur ponere. Nec est usura mutuari ad redimendam vexationem injustam sive propriam, sive alienam: Verbi gratia, mutuare inimico, ut condonet injustam satisfactionem, quam exigit: Et probabiliter, ut notat Rebell. hic., si quis mutuet cum pacto, quod solvantur sibi legata non pia in minus solemniter testamento relicta, non committit usuram, sequendo eam opinionem, quod ea debeantur in conscientia; fecus vero si quis sequatur opinionem oppositam probabiliorum. Præterea nec committitur usura ab eo, qui mutuat sperans, & intendens remissionem rancoris, aut amicitiam, & ea mediante liberalem condonationem pænæ debitæ; quia immediate non acquiritur aliquid pretio æstimabile.

V. Probabiliter non est usurarius, qui iusto pretio, licet rigoroso, vendit credito merces suas, ut plures attrahat ad emendum, ut docet Molin. disp. 309. num. 51., & Sal. contra Sylvest. apud Bonac., quia quamvis vendens credito virtualiter mutuet, tamen vere iusto pretio vendit res suas, ut diximus cum de Venditione art. 3. num. 7. ex Lug. de Emption. num. 104., & ex Dian. part. 1. tract. 8. resol. 21. Quamvis enim non possit mutuans exigere aliquod supra fortem eo titulo, quod pecunia numerata, & præfens pluri æstimetur, quam numeranda, juxta propos. 41. damnatam ab Innoc. XI., potest tamen vendi credito merx pretio iusto rigoroso, etiam si cum pecunia numerata venderetur infimo; quia utrumque pretium est iustum, & libere celebratur contractus ab emente.

Adde, nec committi usuram ab eo, qui obligat se ad mutuandum alteri, quancumque sibi libuerit, & pro tali obligatione exigit pretium moderatum; Sicuti nec est usura aliquid moderatum exigere pro fidejussione,

qua fidejussor obligat se ad debiti solutionem in defectum principalis, ex Salon. apud Trull. dub. 6.; quia periculum solvendi est pretio æstimabile; Ex quo inferunt aliqui, quod si potest fidejussor aliquid exigere pro fidejussione, possit etiam, saltem speculative loquendo, mutuans subire vices fidejussoris, & pro eo titulo exigere id, quod fidejussori distincto solvendum esset: In tali enim casu mutuans lucrum reportaret non præcise ex mutuo, sed ex periculo amittendæ fortis, ratione cuius potest fidejussor aliquid accipere; itaut quo minus est tale periculum, eo minus solvi pro eo debeat, ut videtur est apud Bonac. punct. 5. Ubi notat, quod si nullum sit periculum, nihil accipi possit, & quod non possit mutuans cogere mutuatarium ad suscipiendum seipsum pro assicuratore.

VI. Quæritur secundo; Si Titius debens centum Cajo post annum, det illi quinquaginta nunc cum pacto, quod alia quinquaginta solvantur post biennium, committiturne usura?

Respondeo, Lessl., Sal., Trull., Dian. part. 1. tract. 8. resol. 63., Tambur. lib. 7. tract. 3. cap. 7. §. 8. num. 8. putare, quod non committatur usura, quia unum mutuum datur pro alio: Bonac. tamen putat usuram committi, quia Titius dando quinquaginta anticipato revera mutuatur hæc per annum, imponendo Cajo obligationem, quod remutuet alia quinquaginta; Diximus autem quod mutuare imponendo obligationem remutuandi sit usura; Quia tamen non committitur usura, quando uterque contrahens obligatur ad mutuandum, ideo in hoc casu probabiliter non habetur usura; quia qui debet centum post annum obligat se, & vere dat quinquaginta per annum, dummodo ille veluti alia quinquaginta mutuet per alium annum,



unde contentus sit eā accipere post biennium.

VII. Quæritur tertio: An sit usura mutuare verbi gratia triticum vetus, ut post annum restituatur novum?

Respondeo certum esse, quod solutio mutui facienda sit juxta valorem, quem res habebat tempore Contractus, nisi aliter conventum sit, quia secus non servatur æqualitas inter datum, & acceptum: Quare sicut si mutuaveris decem tarenos, & deinde moneta crescat in valore, itaut novem tarenis æquivalent decem illis acceptis, non debent restitui decem, sed novem; ita si mutuaveris decem modios tritici valentes decem aureis, & deinde crescat, vel decrescat valor tritici, non debent restitui decem, sed solum quantum æquivalent in valore illis decem: Dixi, nisi aliter sit conventum; potest enim accidere, quod qui mutuat decem modios tritici valentes centum, æque se exponat periculo perdendi, & lucrandi, si post annum restituendi sint decem modii, quantumque tunc valeant, & in tali casu restitui debent decem modii, vel pecunia, qua decem modii tunc emi possint. His præmissis resolvitur quæsitum; Nam si post annum triticum novum, quod restituitur, tanti valeat, quanti valebat tunc triticum vetus, & nunc vetus triticum valeat minoris, potest iniri pactum, quod restituatur novum. Si vero triticum vetus tanti valebat tunc, quanti nunc, non potest tale onus ex justitia imponi mutuatario, ut reddat triticum novum, si ejusdem valoris, & bonitatis est triticum vetus, quod accepit, & quod reddit.

Dices: quamvis sit ejusdem valoris, tamen diuturnius conservari potest triticum novum; mutuans autem nisi mutuasset, potuisset tunc vendere triticum vetus, & eodem pretio emere nunc triticum novum, & confer-

vare diuturnius; ergo æquum est, ut restituatur novum.

Respondeo procul dubio debere restitui novum, si mutuans habuisset talem animum, & manifestasset mutuatario; nam ratione damni emergentis procul dubio posset mutuatarium talem obligationem subire, ut dicitur art. sequenti; Si vero talem animum non haberet, quando mutuavit, quare debet restitui triticum novum, quod cum diuturnius conservari possit, eo ipso melioris est qualitatis, etiam si eodem pretio vendatur, quia communiter emitur, ut edatur, non ut conservetur?

VIII. Dubium est: Utrum æstimatio rei mutuatae judicanda sit tempore solutionis juxta valorem, quem res habet, in loco, ubi fit solutio, an potius juxta valorem, quem res habet in loco, ubi mutuum fuit acceptum?

Respondeo, faciendam universim esse solutionem juxta æstimationem, quam habebat res in loco, ubi fuit mutuata, itaut si aliter conveniatur, debeat spes lucri cum periculo damni compensari; aliter conventio esset usuraria, nisi propria sponte mutuatarium aliud offerat, quod sit utile mutuanti, sibi vero non damnosum.

#### ARTICULUS IV.

Quotupliciter potest aliquid ultra sortem exigi citra usuram?

- I. Potest mutuator aliquid ultra sortem exigere ratione damni emergentis, aut periculi damni.
- II. Num debeat moneri mutuatarium, ut teneatur damnum emergens compensare?
- III. Potest ab initio pacisci mutuans de compensando lucro cessante, dum modo adsint quatuor conditiones.
- IV. Spes lucri tanti æstimanda, quantum quis eam venderet alteri, aut ipse ab alio emeret.

V. Ratione periculi non quidem remoti, sed proximi amittendi sortem potest aliquid a mutuario exigi.

VI. Nihil potest accipi pro obligatione non repetendi mutuum usque ad certum tempus.

VII. Contractus trium, videlicet Societatis, Assecurationis sortis, & venditionis lucri, non continet usuram, si vere pecunia ad negotiationem implicetur.

VIII. Non solum est immunis a labe usura venditio rei fructifera, cum pacto retrovenditionis, & locatione ejusdem ipsi Venditori, sed etiam emptio census sive realis, sive personalis, sive mixti, quamvis utrinque redimibilis. Servandum tamen hac in re jus positivum.

IX. Usurarius est Contractus Godere a Godere, si non sit emptio cum pacto retrovenditionis.

X. Num possit, & sub quibus conditionibus dari mutuum cum pacto, quod si Mutuarius praefixo tempore mutuum non restituat, teneatur aliquid solvere in poenam mora culpabilis? Et an talis poena debeat in conscientia ante sententiam iudicis?

XI. An sit usura apponere in Contractu mutui poenam legis commissoria? Et quid ea sit?

XII. Quandonam possint fructus pignoris dari mutuanti non computari in extinctionem sortis?

XIII. Quomodo ab usura excusentur Montes pietatis accipiendo, verbi gratia sex in singulos centenarios a mutuariis? Et quomodo excusentur, qui in iis suam pecuniam deponunt accipiendo quatuor pro centum?

XIV. Qui bona fide celebravit Contractum usurarium, poteritne lucrum retinere ex eo, quod procul dubio Contractum licitum celebrasset, si advenisset illum esse usurarium?

XV. Num possit quis pecuniam ultra sortem acceptam bona fide retinere, si deinde dubitet, an Contractum licitum celebraverit?

I. **Q**uæritur primo: An possit mutuator pacisci in principio Contractus, quod aliquid supra sortem solvendum sit ratione damni emergentis (puta quia cogitur solvere pro proprio debito interesse, dum mutuatur pecuniam suam,) vel etiam ratione periculi damni?

Respondeo cum communi affirmative; æquitas enim postulat, ut damnum non patiatur mutuans, eo quod mutuet. Tres tamen conditiones requiruntur, ut mutuarius teneatur compensare damnum emergens mutuanti; Prima, ut tempore Contractus deducatur in pactum damnum, quod revera accidit, vel quanti æstimatur periculum talis damni; aliter non teneatur mutuarius illud compensare; nisi forte fuerit in mora solvendi tempore præfixo; Ratio est, tum quia mutuarius forte non accepisset mutuum cum tanto onere compensandi damnum; tum etiam quia eo ipso, quod mutuator non in pactum de damno emergente, censetur illud condonare mutuatio; Et idcirco non debetur, si non sit in mora restituenti tempore præfixo. Secunda conditio est, ut non deducatur in pactum aliquid supra damnum emergens, vel ultra id, quod æstimatur periculum damni. Tertia, ut revera damnum sequatur, & emergat præcise ex causa mutui, itaut non potuerit mutuator illud commode vitare: Quare si vel ex sua culpa, vel aliunde patitur tale damnum, non potest petere a mutuario compensationem.

II. Dubium est, An mutuarius, qui tempore præfixo non restituit mutuum, teneatur solvere mutuanti damnum emergens, etiamsi nullum pactum de illo præcesserit?

Re-

Respondeo cum Less., Molin., & aliis communiter apud Bonac., quod qui sine sua culpa tempore praefixo non restituit mutuum, verbi gratia ex impotentia, non teneatur compensare damnum emergens; quia neque ex re accepta, neque ex injusta acceptance, neque ex vi Contractus ad id tenetur: Contra vero si sit in mora culpabili, tenetur; quia quoties praefigitur terminus solutionis, censetur tacite iniri pactum de compensando damno emergente ex defectu restitutionis, ex *leg. 2. §. Non utique*, Idque verum est, etiamsi mutuator elapso termino non petat solutionem; nam dies definita interpellat pro creditore, ex *Cap. fin. de Eocato, & Conducto*, ut communiter docent contra Azor. apud Dian. part. 1. tract. 8. resol. 87., & Tambur. cap. 8. §. 3., qui putant esse monendum, ut sic teneatur, seu ut debitor ponatur in mora; quia forte si de novo hoc onere moneatur, omnibus viis illud extinguere sataget. Quod si nullus sit constitutus terminus solutionis, non videtur mora esse graviter culpabilis, nisi quando creditor ob timorem, vel impotentiam, vel oblivionem non petit; unde videtur dilationem concedere, & sic non tenetur ad compensandum damnum emergens, ut communiter docent apud Bonac. disp. 1. quaest. 6.

Ex dictis sequitur, quod qui pactum iniit de compensando damno emergente, non teneatur aliquid supra sortem restituere, si revera nullum damnum sequatur mutuanti ex mutuo: Qui vero pactum iniit de solvendo, verbi gratia, aliquid supra sortem pro periculo damni imminens, tenetur illud solvere, si revera fuerit periculum, & tanti illud aestimetur, etiamsi nullum damnum mutuanti sequatur.

III. Queritur secundo: An etiam ratione lucri cessantis liceat in mutuo aliquid ultra sortem exigere, & ab

initio pacisci, ut mutuarius solvat lucrum cessans causa mutui?

Respondeo cum communi affirmative; quia mutuator non tenetur mutuare cum suo detrimento, seu cum iactura lucri sui. Et hoc verum est, etiamsi mutuans offerat se ad mutuum, ut multi docent contra Conrad. apud Sa. Ex quo fit, ut mutuarius eodem modo teneatur compensare lucrum cessans, ac damnum emergens, quando scilicet est in mora culpabili solvendi praefixo tempore.

Requiruntur autem ad id quatuor conditiones. Prima, ut vere mutuatio sit causa, cur cesset lucrum, quod habebatur in spe certa, vel probabili: Quare si quis mutuet mille, quod destinaverat negotiationi, non potest quicquam accipere ratione lucri cessantis, si habeat aliam pecuniam otiosam, quam possit commode substituere negotiationi, ut communiter docent contra Molin. disp. 316.; quia non videtur pati ullum damnum ratione mutui. Secunda conditio est, ut non tantum exigatur, quantum est lucrum cessans, sed quanti aestimatur spes lucri cessantis, spectatis circumstantiis, detractis expensis: Immo detrahenda est aestimatio laborum, & molestiarum, quas subjisset mutuans negotiando, ut communiter censent contra Bann., & Sal. apud Bonac.; qui verius putat detrahendum esse quantum mutuans libenter dedisset pro redemptione laboris, & molestiarum in negotiando; itaut si nihil remisisset pro redemptione laboris, sed optasset laborem in negotiando sustinere potius, quam quicquam dare ad illum redimendum, nihil pro aestimatione laboris detrahi possit. Tertia conditio, ut lucrum non statim exigatur: Quare qui ratione lucri cessantis exigit quinque pro centum, non potest solum dare mutuatario nonaginta quinque. Ratio est, quia pro nonaginta quinque datis acci-

ciperet in fine anni quinque, non vero pro centum, ut patet. Quarta conditio, ut moneatur mutuarius de lucro cessante; & ut pretium lucri cessantis, vel ejus spei aut taxetur initio Contractus, aut relinquatur taxatio facienda deinde arbitrio prudentis viri, ita ut sicut incertum est lucrum, pariter incertum sit pretium pro eo solvendum, quod deinde inspecto lucro, quod cessavit, & detractis expensis taxandum sit.

IV. Notat hic Dian. part. 1. tract. 8. resol. 64. pro praxi Confessariorum, spem lucri tanti aestimandam esse, quantum remanet de lucro sperato, dempto eo, quod alteri daretur pro assecuratione: Verbi gratia, si quis mutuans centum speret demptis expensis pro lucro quindecim, & libenter daret alteri sex, ut assecuret novem, quæ supersunt, non nisi novem potest pro lucro cessante accipere; quod est dicere, tanti aestimandam esse spem lucri, quanti venderetur a mutuante alteri, vel quanti ipse emeret illam ab alio.

Notandum secundo, lucrum cessans ex solo Contractu licito compensandum esse, non vero ex Contractu illicito, puta ex Cambiis fictis, & fictis, ex usura, &c.

Notandum tertio, quod si mutuarius tempore præfixo non possit mutuum restituere inculpabiliter, non tenetur ad damnum emergens, & lucrum cessans, nisi quando a principio conventum sit de interesse proveniente ex mora, ut notat Dian. part. 1. tract. 8. resol. 43., & tract. 15. resol. 49. contra Molin.

Ex dictis sequitur, quod quando Judices præcipiunt debitoribus, ut solvant aliquam pecuniam pro interesse ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, quando sunt in mora, isti non teneantur in foro conscientiae illam solvere, si non sint in mora culpabili, nec a principio conventum sit de interesse: Immo nec tenentur, si sint in mora culpabili, vel a principio conventum sit de interesse, quando revera lucrum nullum cessavit, nec damnum emerit; quia sententia illa nititur falsæ præsumptioni, quod lucrum cessarit; quamvis tenerentur vitare scandalum. Si tamen ab initio conventum sit de interesse non ratione damni, sed ratione periculi damni, aut spei lucri, si revera tale periculum fuit, vel talis spes, tenentur in conscientia tantum solvere, quanti periculum illud, & spes aestimatur, etiamsi non sint culpabiliter in mora, Demum si Judicis sententia de solvenda pecunia ratione moræ lata sit tantum in pœnam, non vero ratione lucri cessantis, Primo certum est, pœnam non deberi ante sententiam, ut infra dicemus; Secundo probabiliter, ut notat Dian. loc. cit., neque tenetur in conscientia solvere talem pœnam, qui ex impotentia inculpabili omisit restituere tempore debito.

V. Quæritur tertio; An liceat aliquid ultra sortem exigere ratione periculi fortis amittendæ, vel difficultatum, & expensarum in ea recuperanda?

Respondeo, Sor., Rebel., Tolet., & alios apud Dian. part. 1. tract. 8. resol. 37. negare, quia tale periculum non est quid separatum a mutuo, atque adeo gratis subeundum est; Nec est eadem ratio de fidejussore, qui potest aliquid accipere pro fidejussione, eo quod hæc sit pretio aestimabilis ratione obligationis civilis ab eo susceptæ. Sed Sal., Bonac., Filliuc., & Dian. probabiliter affirmant, quia hoc pertinet ad indemnitate mutuatoris; qui tamen non debet id facere cum gravamine mutuatarii, quale esset, si volente mutuatario tradere pignus, aut adducere sufficientem fidejussorem, id recuset.

Ex hac ratione deducitur ex Salon, apud

apud Trull., quod possit quis vendere credito rem aliquam supra justum pretium illius nude sumptæ, accipiendo supra justum pretium rei tantum, quanti æstimatur periculum amittendi pretium. Et ratio a priori est, quia sicut est pretio æstimabile suscipere obligationem fidejussoris, ratione periculi, cui hic se exponit, ita etiam in mutuante est pretio æstimabile conjicere se in idem periculum; Præsertim si mutuat homini non satis noto, aut dubiæ fidei; unde sicut mutuator potest exigere, ut detur sibi vel pignus, vel fidejussor, ita ipse accipere potest, quod fidejussori dandum esset, eo quod idem periculum ipse subeat. Notandum tamen, quod non plus exigatur ratione periculi, quam ipse mutuans alteri vellet dare pro talis periculi redemptione, ut justum pretium illius assignetur. Ad id, quod objicitur, respondetur, falsum esse, quod mutuo fit de se annexum periculum grave amittendæ fortis; solum est illi annexum periculum remotum, quale habetur, si detur mutuum viro magnæ fidei, & magnarum opum; unde pro tali periculo nihil exigere potest, cum nec tu quicquam alteri dares pro eo redimendo.

VI. Quæritur quarto: An liceat aliquid ultra sortem exigere pro obligatione non repetendi sortem usque ad certum tempus?

Respondeo negative, ut constat ex propos. 42. damnata ab Alex. VII. quæ habet: *Licitum est Mutuanti aliquid supra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.* Ratio est, quia talis obligatio non est pretio æstimabilis, quando revera nullum damnum subis, nec ullum lucrum tibi cessat ex carentiâ pecuniæ usque ad tale tempus; Quod si damnum aliquod subires, eo quod prives te opportunitate lucrandi, &c., tunc vel potes mutuare sine obligatio-

ne non repetendi ad longum tempus, vel poteris obligare mutuatarium ad compensandum damnum, quod es subiturus; vel ab initio pacisci, ut ultra sortem detur tibi tantum, quanti æstimatur periculum talis damni, spectatis omnibus circumstantiis: Nam, ut diximus, si periculum sit remotum, non est pretio compensandum, si vero proximum potest pretio compensari, & sic præcise propter illam obligationem nihil accipi potest. Neque dicas cum nonnullis apud Trull. disp. 12., Bonac. punct. 6., Dian. resol. 48. posse aliquid exigere pro fidejussione, necnon pro obligatione mutuandi mille ad libitum mutuatarium suscepta per annum; ergo etiam pro obligatione non repetendi mille per annum. Nam primæ illæ obligationes sunt pretio æstimabiles ratione periculi, cui se exponit fidejussor, & qui se obligat mutuare; at in calu nostro supponimus, quod nulli periculo, nisi remoto se exponat mutuans, & consequenter nihil pro eo accipere potest, sed gratis debet tali periculo se exponere, si vult mutuare. Præterquamquod, ut communiter docent, obligatio non repetendi mutuum per aliquod tempus est essentialiter annexa mutuo, itaut ad illam teneatur, qui vult mutuare; ergo si ex mutuo nihil potest accipi, consequenter nec potest aliquid accipi ex tali obligatione: Quod si non potest aliquid accipi ex obligatione non repetendi, verbi gratia per duos dies, neque potest accipi ex obligatione non repetendi per plures, & plures dies, nisi forte ratione lucri cessantis id exigeretur: Econtra obligatio mutuandi, quæ est pretio æstimabilis, est onus, ad quod simpliciter nemo tenetur; ergo pro illa potest aliquid accipi.

VII. Quæritur quinto: An possit Titius dare mercatori centum, & ab eo accipere, verbi gratia septem, vel

vel sex, aut octo pro ratione negotiatio-  
nis quotannis, quousque illa centum  
restituatur; idque ratione Contractus  
trium, seu ex vi Contractus comple-  
ctentis tres Contractus, videlicet So-  
cietatis, Assècurationis capitalis, &  
Venditionis lucri incerti majoris pro  
lucri certo minori? si scilicet Titius  
init cum mercatore Contractum Socie-  
tatis, dando illi centum, & vendit,  
verbi gratia, lucrum (quod speratur  
pro ipso fore viginti) pro duodecim  
certis, & ut assècuret capitale, remittit  
quatuor ex his duodecim, unde solum  
accipit octo quotannis.

Respondeo affirmative cum commu-  
niori contra Sot., Rodriq., & alios,  
dummodo vere talis negotiatio mer-  
catoris apta sit fructificare quadragin-  
ta, verbi gratia, mercatori scilicet viginti,  
& danti pecuniam ad nego-  
tiandum pariter viginti, itaut iusto pre-  
tium pro spe incerta illorum viginti pos-  
sint accipi, verbi gratia, duodecim,  
& assècurationis capitalis spectato pericu-  
lo possit solutione quatuor iuste emi;  
aliter erit usura palliata. Ratio est,  
quia cum tres isti contractus possint  
iuste, & licite celebrari cum tribus  
personis diversis, non est ratio, cur  
non possint etiam cum eodem celebra-  
ri, dummodo mercator ad illos non  
cogatur.

Neque est verum, quod mercator  
assècurando capitale virtualiter accipiat  
mutuum. Nam si esset mutuum, eo ip-  
so mercator evaderet dominus illius  
Capitalis, & sic posset emere prædium,  
verbi gratia; quod tamen est falsum,  
quia tantum debet uti pecunia ad nego-  
tiandum, ne sit usura palliata. Præ-  
terea si esset mutuum, eo ipso quan-  
do mercator fieret impotens solvere  
suis creditoribus, non posset socius,  
qui tradidit ea centum, quamvis ex-  
tarent, ea sibi extrahere ante omnes  
creditors, quod pariter est falsum;  
quia cum socius sit dominus, illi de-

*Pars IV.*

bentur, & si pereunt, illi pereunt,  
quamvis mercator teneatur ea resar-  
cire ex vi assècurationis; Molin. disp.  
326. docet, quod si parva pecunia  
usuraria permisceretur cum magna  
pecunia usurarii, hic efficeretur do-  
minus totius cumuli, ex *Instit. De  
rerum divisione*; mutuator tamen ha-  
bet jus in re, ut sibi ante omnes cre-  
ditores detur ex illo cumulo pars sua;  
& eo consumpto remanet illi actio per-  
sonalis in Usurarium; Quod si duo  
de communi consensu misceant pro-  
prium pecuniam, uterque est dominus  
illius acervi pro rata dividendi, & u-  
trique pari ratione detrimentum con-  
venit.

Oppones, quod Sixtus V. in Bulla  
incipiente *Detestabilis avaritia* damnet  
Societatem, in qua periculum capita-  
lis non remanet apud illud apponen-  
tem. Sed ut docent Bonac., & Regi-  
nald. contra Azor., & Rebell., da-  
mnatur a Pontifice talis societas, quan-  
do periculum sortis stat penes accipien-  
tem per solum Contractum societatis,  
non vero si periculum rejiciatur in ac-  
cipientem per Contractum licitum as-  
sècurationis, cum non intendat Pon-  
tifex damnare Contractum hunc jure  
naturæ licitum, ut patet ex decisione  
Rotæ apud Farinac. decis. 137., & 180.  
Hic autem notat Hurtad., non esse  
opus, quod hic Contractus trium ex-  
plicitè fiat, sed satis est, quod fiat  
implicite; ut regulariter accidit, quan-  
do dantur mercatori centum, ut quot-  
annis solvat sex salvo capitali, inten-  
dendo id efficere eo modo, quo fie-  
ri potest; vel quia creditur id licite  
posse fieri: Debet tamen mutuans ad-  
vertere, quod revera mercator in nego-  
tiatione sic lucrosa tale capitale im-  
pendat, ne pallietur usura: Ex quo  
fit, ut possit plus exigi, quo nego-  
tiatione majus lucrum affert; debeat ve-  
ro exigi minus, si negotiatio sit mi-  
nus lucrosa.

K

VIII.

VIII. Queritur sexto: An præter venditionem rei cum pacto retrovendendi, (de qua locuti sumus quæst. 2. art. 3. quæst. 9.) addendo Contractum locationis cum ipso venditore, immunis etiam sit a labe usuræ emptio census (seu juris ad fructus) sive realis, sive personalis, sive mixti utrinque redimibilis, hoc est cum pacto retrovenditionis, sive in favorem solius emptoris, sive in favorem solius venditoris, sive in favorem utriusque?

Respondeo, & dico primo, licitam esse, ut diximus loc. cit., venditionem rei cum pacto retrovenditionis, itaut si emptori tradatur res, quæ illi fructificet, & illi pereat, si perit, possit emptor eandem rem, puta domum, locare eidem venditori.

IX. Dico secundo, Illicitum esse Contractum dictum *Godere a Godere*; ut ibi diximus, nisi res vendatur, & emptori fructificet, & pereat. Ratio est, quia aliter mutuanti fructificaret, & periret mutuuario, quando est injustum.

Dico tertio cum Molin., Valent., Less., & aliis apud Hurtad. disput. 4. difficult. 5., emptionem census redimibilis ex natura sua esse licitam, dummodo statuatur justum pretium, juxta ea, quæ diximus cum de venditione cum pacto retrovendendi loc. laud.; Ratio est, quia emens censum cum tali pacto non dat pecuniam pro pecunia reddenda, in quo consistit mutuum, sed dat pecuniam pro jure, seu dominio utili ad annuam pensionem fundato in re, seu in persona fructifera pensionis, cum pacto, quod possit postea revendi eidem primo venditori; In quo casu non habetur mutuum, sed emptio, quæ licita est, si justo pretio fiat.

Confirmatur, quia si in tali casu haberetur mutuum, & usura, sequeretur, quod remaneret obligatio census ad pensionem, etiamsi periret res, in

qua census fundatur; atqui obligatio census cessat eo ipso, quod res, aut persona, in qua fundatur, fiat inutilis, & infructifera pensionis; ergo, &c. Non inficior tamen, quod etiam pereunte tali re, vel persona, possit remanere alia obligatio ad eandem pensionem, orta ex annexione hypothecæ facta ad securitatem solutionis, quæ pariter obligatio superaddita jure naturali est licita ex Less., & Filliuc. apud Hurtad. loc. cit. diff. 6. contra nonnullos, dummodo tale onus venditori appositum augmento pretii compensetur; quia scilicet uti potest emptio fundata in persona fructifera, adeo ut pereunte tali persona, vel reddita inutili, cesset omnis obligatio in vendente, ita potest emi etiam pensio fundata in persona fructifera, cum pacto, quod si talis persona reddatur inutilis, pensio solvenda sit ex alia re fructifera ejusdem venditoris: Et sic universim in emptione census, præter hypothecam specialem alicujus agræ, verbi gratia, solet dari hypotheca generalis omnium bonorum ejusdem venditoris; Sed huic oneri, quod additur, debet fieri compensatio cum augmento pretii, ut explicabimus cum de censibus, advertendo ea, quæ requiruntur jure positivo, præsertim ex Bulla 80. Pii V., ut licite census ematur.

Notat hic etiam Hurtad. ex Less., Laym., Becan., quod qui pro centum postea reddendis ad arbitrium sive creditoris, sive debitoris, accipit quotannis aliquam summam, verbi gratia quatuor, (quamvis non a mercatore,) possit aliquando excusari ab usura, si eos centum det, & alter accipiat in censum personalem ex utraque parte redimibilem; Et sic censendi sunt efficere indocti, qui intendunt contrahere eo modo, quo licite fieri potest, quamvis utantur nomine mutui. Præterea sicut potest fieri emptio cum pacto

Et retrovenditionis tam quodocunque, quam V. G. infra decennium; ita jure naturæ potest emi census, qui sit redimibilis, vel quodocunque, vel tantum infra annum, vel nonnisi post quinque annos, vel simpliciter irredimibilis, dummodo pro diversitate operis diversum sit pretium. Quoniam autem pretium justum census difficile est ab indoctis decerni, ideo illud censere debent esse justum, secundum quod communiter in patria propria a timoratis celebratur.

X. Quæritur septimo: An sit usura mutuare cum pacto, quod si mutuarius statuto tempore non restituat mutuum, solvat aliquid in pœnam suæ moræ?

Respondeo cum communi contra Aragon, & alios affirmative. Et ratio est, quia mutuarius non restituens tempore debito peccat contra justitiam; unde dignus est aliqua pœna; ergo sicut potest talis pœna a superiore imponi, ita potest imponi ex conventionione partium: Plures tamen conditiones ad id requiruntur: Prima, ut pœna non apponatur in fraudem usuræ, ut accideret, si mutuans pœnam apponeret, verosimiliter credens mutuarium non fore potentem ad solvendum tempore præstituto: Secunda, ut mutuarius vere sit in culpabili mora; si enim nulla culpa præcessit, non tenetur luere pœnam: Quare si non solvat propter impotentiam, non tenetur ad pœnam; dummodo impotentia non fuerit causata ex alia culpa, videlicet quia commestationibus, & ludis rem consumpserit, prævidens se futurum impotentem ad solvendum: Tertia, ut pœna sit moderata juxta mensuram culpæ; sicut enim id requiritur in pœna judiciali, & legali, ita etiam in conventionali: Quarta, ut mora sit notabilis, nam dilatio etiam viginti dierum ex Dian. part. 1. tractat. 8. resol. 29. non dicitur notabilis.

Dubium est, An talis pœna debeat in conscientia ante sententiam Judicis? Affirmant multi apud Dian. loc. cit.; quia hæc est differentia inter pœnam legalem, & conventionalem, quod illa non debeat ante sententiam judicis, hæc vero debeat; quia universim quod debetur ex contractu, ante sententiam judicis debetur. Sed Sanch. lib. 1. de Matrim. disp. 37., Less., Suar., Vasq. apud Bonac. punct. 7. negant; quia hæc videtur esse intentio contrahentium, ( nisi aliud exprimant, ) quod possint condemnari ad pœnam, si fidem non servent; condemnatio autem supponit sententiam judicis. Quod si exprimant Contrahentes se velle obligari ante sententiam judicis, certe obligantur, cum pacta, & conventiones vim, & robur habeant a Contrahentium voluntate. Illud advertit Bonac. ex Navar., & Salon., quod non teneatur mutuarius pœnam hanc solvere, nisi expresse, vel tacite petatur; quia si non petatur, cum facile possit peti, præsumere potest, quod mutuans velit illam condonare, & cedere juri suo.

XI. Quæritur octavo; An sit usura apponere pactum legis commissoriæ in pignoribus pro mutuo acceptis; ita scilicet, ut si mutuarius non solvat debitum statuto tempore, pignus pro eo datum fiat mutuantis, & sic debitor incidat in commissum, seu amittat jus rei suæ propter culpam commissam?

Respondeo, per se loquendo esse usuram; quia accipitur aliquid ultra sortem: Quod si tale pactum apponatur in pœnam sub conditionibus s. superiore explicatis, non est illicitum. Immo ex Molin., Salon., Rebel. apud Bonac. punct. 8., nec committitur usura, si apponatur pactum in mutuo, ut nisi restituatur intra tale tempus, pignus vendatur justo pretio, aut maneat justo pretio venditum. Ratio est,

K 2 quia



quia hoc non fit in gravamen mutuatarii, sed ut mutuans seipsum reddat indemnem, sicuti cum apponitur pœna. Equidem tamen puto, quod cum se habeat tale pactum, sicut pactum de solvenda pœna, easdem conditiones requirere debeat; aliter consultius esset emere, quod tradendum est in pignus cum pacto, quod ad arbitrium venditoris possit retrovendi intra illud tempus, quod esset terminus mutui; si enim vendatur, eo ipso transit in dominium emptoris, & illi perit, si casu pereat; secus vero si detur in pignus.

XII. Quæritur nono: An sit usura percipere fructus ex pignore dato mutuanti in securitatem, & illos non computare ad extinguendam sortem?

Respondeo affirmative; nisi fructus accipiantur ratione lucri cessantis, vel damni, vel periculi fortis, vel pœnæ conventionalis, vel expensarum, quæ forte fiunt in conservando pignore. Ratio est, quia per pignorationem non transfertur dominium; res autem debet domino fructificare. Unde qui agrum sterilem, quem dominus non colebat, accepit in pignus, & inde sua diligentia fructus percipit, tenetur illos deductis expensis in sortem referre; Quod si pignus iusto pretio emerit cum pacto de retrovendo, poterit fructus accipere, quin referat in sortem; quia per emptionem pignus factum est emptoris, qui sicut subit illius rei periculum, si forte pereat, ita ejus fructus percipit.

In duobus tamen casibus accipiens pignus non tenetur fructus in sortem computare: Primo, si dominus directus accipiat in pignus a suo debitore rem sibi feudalem, ex *Cap. 1. De feudis*; quia scilicet cum tali onere venditur feudum; Et idem dicas si emphyteuta det pignori domino directo rem emphyteuticam. Secundo, si detur marito pignus fructiferum, donec solvatur dos, ex *Cap. Salubriter, De*

*usuris*; conceduntur enim tales fructus ad levanda onera matrimonii, & ad alendam uxorem.

XIII. Quæritur decimo; An excusentur ab usura Montes, qui recepto pignore, accipiunt, verbi gratia, sex pro singulis centenariis ab iis, quibus pecuniam mutant? Et an excusentur ab usura, qui ponunt pecuniam in iis Montibus, accipiendo quatuor pro singulis centenariis?

Respondeo, tuse hac de re nos discepsasse in quarto ex Opusculis Theologico-Moralibus. Breviter hic dicimus, certum esse, Montes pietatis declarari a Leon. X. in Concil. Lateran. sess. 10., quod nullam speciem mali præferant, si tantum absque ullo lucro accipiant, quod requiritur ad solvendas Ministrorum impensas, & ad rerum conservationem: Quare dubium non est, quod possint aliquid a mutuario accipere ad sui indemnitate, non vero ad ipsos Montes augendos. In dubium jure merito revocatur, An possint aliquid a Montibus pietatis accipere, qui pecuniam suam in iis reponunt, cum non omnibus cesset lucrum ullum, aut damnum emergat, nec supponatur haberi in his Montibus redditus sufficientes, ut census constituantur. Pelliz. in Man. reg. putat id licere ex eo præcise, quia summus Pontifex, utpote supremus Princeps, potest in bonum Communitatis bona venius alteri dare; & sic ut homines alliciantur ad deponendam pecuniam in his Montibus in bonum pauperum, liberaliter donat iis quatuor, verbi gratia, pro singulis centenariis; Hac itaque de causa a pauperibus exigunt Montes V. G. sex pro singulis centenariis, ut scilicet quatuor dent deponentibus pecuniam, & alia deserviant ad expensas necessarias.

Ex quo sequitur, quod liceat quidem privatæ personæ Montem instituire, ut ex ea pecunia aliis mutuetur, exi-

exigendo tantum, quæ ad expensas necessarias requiruntur, non tamen exigendo id, quod requiritur, ut liberaliter donetur deponentibus in eo pecuniam, ut ad id alliciantur. Ratio est, quia solius Supremi Principis est posse in bonum Communitatis bona unius alteri erogare. Num autem possit ab his Montibus aliquid exigi ultra sortem, & ultra expensas necessarias, ut possit Mons augeri in subsidium pauperum? Expendimus fusc in Opusculo laudato, commendando praxim Montium frumentariorum, quos in singulis Oppidis summa cum laude erexit Eminentissimus Ursinus in sua Archidicæsi Beneventana.

XIV. Quæritur undecimo: An qui bona fide celebravit contractum iniustum, & usurarium, putans esse justum, possit retinere lucrum, quod acquisivisset, si celebrasset Contractum justum, verbi gratia, societatis trium, vel Censuræ, vel Cambii, &c., quem procul dubio celebrasset, si scivisset, Contractum celebratum esse usurarium?

Respondeo, certum esse, quod si mala fide illum celebravit, non possit ullum lucrum retinere; nam non satis est, quod celebrasset Contractum justum lucrosum, ut possit actu lucrum percipere, ut communissime docent contra Verricel. tract. 4. quæst. moral. 2. num. 3. apud Tambur. cap. 8. §. 3.: Si tamen bona fide illum celebravit, Azor., Salon., Sylvest., & alii apud Dian. part. 1. tract. 8. resol. 47. propter eandem rationem putant, quod nec possit lucrum ullum retinere; Præsertim quia forte mutuarius nollet in alium Contractum consentire. Sed oppositum probabiliter sentiunt Sà, Tanner., & alii apud Dian. part. 2. tract. 5. resol. 92., quia qui bona fide celebrat Contractum usurarium, putans illum esse justum, implicite vult justum titulum, & intendit lucrari eo modo, quo licite

potest; videturque mutuarius in id consentire implicite ad non fraudandum mutuantem lucro, quod licite posset acquirere. Idque præsertim est verum, si Mutuator dicat expresse se velle lucrari, verbi gratia, sex in singulos centenarios eo modo meliori, quo potest. Quam formulam solent Notarii addere Instrumentis, quia talis censetur esse mens contrahentis bona fide, quando res ipsis est obscura, & vident passim a timoratis similes Contractum celebrari.

XV. Rogabis, An obligetur ad restitutionem, qui mutuata alteri pecunia lucrum bona fide accepit, & deinde dubitat, an inierit Contractum licitum; vel dubitat, an habuerit intentionem absolutam saltem implicitam ineundi Contractum licitum, in quo dubio adhuc perseverat post diligentiam adhibitam?

Respondeo negative cum Medin., Valent., Bonac. punct. 11.; quia in dubio melior est conditio possidentis, præsertim in materia iustitiæ.

## ARTICULUS V.

Expediuntur, quæ spectant ad Usurarium.

- I. Non acquirit Usurarius dominium rerum per usuram acceptarum, si extant in individuo. Quod si res istas vendiderit, jure positivo fit dominus pretii, quamvis Emptor non fiat dominus rerum illarum.
- II. Si res per usuram accepta misceantur cum aliis rebus usurarii, hic fit dominus illarum: Mutuarius tamen habet tunc actionem personalem adversus usurarium, & probabiliter habet jus in re relate ad illum cumulum.
- III. Usurarius restituere debet res per usuram acceptas, earumque fructus naturales, ac mixtos, necnon lucrum.

- erum cessans, ac damnum emergens, eo prorsus pacto, quo fur. Quid si Officium, aut Beneficium usurarie accepit?
- IV. Tenentur pariter ad restitutionem, qui ad usuras cooperati sunt ex parte mutuantis, non tamen si id fecerint in bonum mutuatarii.
- V. Usurarii manifesti vel ob notorietatem facti, vel ob sententiam iudicis sex gravibus poenis in jure mulentur.
- VI. Num punitio hujus delicti ad iudicem etiam secularem spectet, an ad Ecclesiasticum dumtaxat?
- VII. Licitum est petere mutuum ab Usurario ob indigentiam. Num etiam id liceat, si pecunia petatur mutua ad negotiandum?
- VIII. Num peccet mortaliter, qui petit ab Usurario mutuum, ut eo ad vana, & inutilia utatur?
- IX. Si Usurarius sit habitualiter paratus ad dandum mutuum sub usuris, probabilius peccat mortaliter, qui illud petit ad usus vanos, aut malos. Si vero sit paratus actualiter, probabiliter solum peccat venialiter; quia illud petit sine ulla causa honesta.

I. **Q**uæritur primo: An usurarius acquirat dominium usurarum? Respondeo, & dico primo cum communi apud Molin. disp. 326., Less., Trull. disp. 17.; Si res usuraria extat in individuo, quin sit permixta cum aliis rebus usurarii, itaut discerni nequeat, tunc dominium non est translatum in usurarium; atque adeo fructus rei pertinent ad mutuatarium, qui est dominus, & illi res perit, si fortuito pereat, eodem modo prorsus, ac res furtiva. Ratio est, quia non satis est mera traditio rei ad transferendum dominium, nisi etiam habeatur titulus justus, sive sit liberalis donatio, sive venditio, &c., ex leg. *Nunquam*, §.

De acquirendo rerum dominio; atqui in casu nostro non habetur titulus justus; ergo dominium non transfertur. Verum tamen est, quod si usurarius vendat rem acquisitam per usuram, fit dominus pretii, quando emptor bona fide emit, etiamsi emptor non fiat dominus rei; idque verum est non quidem jure naturali, sed jure Cæsareo, ex leg. *Si in emptione*, ff. *De contrahenda emptione*.

II. Dico secundo: Si res usuraria sine voluntate mutuatarii misceatur cum aliis similibus rebus usurarii, itaut discerni nequeat, ut frumentum cum frumento, tunc rei illius transfertur dominium in usurarium, itaut mutuatario tantum competat actio in personam, non in rem, ex leg. *Si alicui*, ff. *De solutionibus*. Notat tamen Trull. lib. 7. cap. 11. dub. 3. ex Less. cap. 20. num. 157. valde probabile esse, & juri naturali conforme, quod mutuatarius habeat etiam jus in re relate ad talem cumulum, itaut ante alios illi debeat ex tali cumulo satisfieri; Immo potest ex illo sibi occulte accipere, quod suum est. Dixi, si sine voluntate mutuatarii misceatur, nam quando duo de communi consensu miscent rem aliquam, tunc uterque est æque dominus cumuli, ut notat Molin. disp. 326.

III. Quæritur secundo; Quid debeat usurarius restituere?

Respondeo, restituendam esse, Primo rem scænebrem, seu acquisitam per usuram; Secundo, ejus fructus jam perceptos, etiamsi domino res illa non fructificasset, dummodo sint fructus rei, non industriæ; si enim cum pecunia scænebri usurarius negotiatus esset, non tenetur lucrum restituere, ut communiter docent de future, quia esset fructus meræ industriæ; fructus tamen naturales, & mixti restitui debent deductis expensis; quod etiam concedunt, qui docent dominium

nium rei scenebris transferri in usurarium, ut notat Trull. dub. 18. ; Tertio, lucrum cessans, & damnum emergens; Quarto, si Contractus est usurarius præcise propter obligationem superadditam, non ex eo quod damnum ullum sequatur mutuuario, (verbi gratia, si mutuasti cum obligatione, ut ille frequentet tuum molendinum dando solitum pretium,) tunc ad restitutionem satis est, ut talis obligatio tollatur, nec debet quicquam restitui pro obligatione imposta; Quinto, qui mutuavit cum pacto, ut sibi conferatur officium, quod gratis conferri solet, debet officium resignare; quamvis non teneatur restituere fructus perceptos, si tali officio erat dignus, quia illi debentur ob justum stipendium laborum; si vero esset indignus, & cum damno vel Republicæ, vel particularium illud administravit, debet tale damnum compensare, nec tenetur quicquam mutuanti dare, si nullum illi damnum secutum est: Demum, qui mutuavit cum pacto, ut sibi Beneficium conferatur, debet tale Beneficium resignare, & fructus perceptos in pios usus erogare, nisi utatur Bulla Compositionis.

IV. Tenentur autem ad restitutionem non solum usurarii, sed etiam qui ad usuram cooperantur ex parte mutuantis; non vero qui agunt partes mutuarii. Sicut enim non peccat mutuarius accipiendo mutuum ad usuram, ita nec qui ejus partes agunt. Quare tenentur ad restitutionem Judices, qui compellunt solvere usuras, vel nolunt audire mutuarios volentes repetere usuras. Similiter qui illas consulunt, vel exigunt, aut aliter sunt causa efficax illarum, ut sunt testes, & Notarii concurrentes ad instrumentum usurarium, & proxenetæ, qui quærunt mutuarios egentes, ut ad usurarios adducant, si ad instantiam mutuantis id agant proxenetæ; Secus vero si ad in-

stantiam Mutuarii, aut si se teneant ex parte mutuantis, & non sint causa efficax usurarum; ut sunt, qui notant rationes dati, & expensi.

V. Quæritur tertio: Quænam sint usurariorum pœnæ?

Respondeo, usurarios, qui vel sunt manifesti proprio facto, dantes palam ad usuram, itaut nulla tergiversatione celari possint; vel sunt iudicis sententia de hoc crimine condemnati, Primo esse infames infamia juris, atque adeo irregulares, & Beneficii incapaces; Secundo, ad communionem altaris non esse admittendos; Tertio, nec ad Sacramentum Pœnitentiæ, donec satisfecerint, vel dederint cautionem sive pignoratitiam, sive fidejussoriam Creditoribus ipsis, si sint præsentis, vel Episcopo, aut Vicario, aut Parocho, coram testibus, vel Notario habenti mandatum Episcopi, ex Cap. *Quamquam, de Usuris lib. 6.*; Vel si id non possint, debent jurare, se non posse, sed facturos quod poterunt; Quarto, nec ad sepulturam Ecclesiasticam admittendi sunt, & illos sepelientes sunt excommunicati; Quinto, testamenta eorum sunt irrita; Sexto, Ecclesiastici tenentur e suis Terris usurarios alienigenas, (id est qui ibi nati non sunt,) intra tres menses expellere.

VI. Utrum autem punitio hujus delicti pertineat ad Judicem Ecclesiasticum dumtaxat, an etiam ad sæcularem? Aliqui putant contra Tuscum, & Clarum, judicem sæcularem posse inter sæculares de usura cognoscere, sive de jure, sive de facto.

VII. Quæritur ultimo; An liceat petere mutuum ab usurario parato?

Respondeo, probabiliter nunquam licere petere mutuum expresse sub usuris; quia sic peteretur aliquid intrinsece malum, quod non licet. Ita Vasq., & alii apud Dian. part. 5. tract. 7. resol. 8. contra Sanch., Valent., Mo-

Molin.; qui putant posse sic peti; quia sensus talis petitionis est conditionatus, & permissivus, videlicet, da mihi mutuum, & si aliter nolis dare, quam sub usuris, illas tibi promitto. Verum petere mutuum promittendo usuras, cum sit inducere proximum ad peccatum, non licet sine causa sufficienti, quia tenemur peccata proximi etiam impedire, quoties commode possumus: Quare si petamus mutuum ob indigentiam, non peccamus permittendo peccatum usurarii; Si vero petamus non propter indigentiam, sed propter utilitatem, videlicet ad negotiandum, ut lucremur, putant communiter contra Rebell., quod nec peccemus, quia habemus justam causam permittendi peccatum usurarii.

VIII. Difficultas est, Utrum mortaliter peccet, qui petit mutuum ab usurario ad vana, & inutilia, puta ad epulas superfluas, ad ludos otiosos? Sanch. lib. 3. Sum. cap. 8. num. 23. apud Bonac. putat, quod peccet venialiter ob finem venialiter malum; quia peccatum usurarii non est impurandum petenti mutuum, sed malitiae mutuantis: Sicuti si femina domo egrediatur sciens se ab adolescente impudico concupiscendam, probabiliter juxta plurimum sententiam apud Dianam p. 3. tract. 7. resol. 31. venialiter tantum peccat. Verum Suar., Molin., Valent., Rebell., & Bonac. punct. 13. putant peccare mortaliter, etiamsi usurarius sit paratus, (quod tamen negat Sal. de Usuris disp. 48.) Ratio est, quia sine causa non possumus cooperari in mortale peccatum proximi, sed tenemur illud vitare ex charitate; qui autem petit mutuum non ob necessita-

tem, vel utilitatem, sed ob vana, & inutilia, nullam videtur habere causam cooperandi peccato usurarii; ergo mortaliter peccat.

IX. Demum Dian. part. 5. tract. 7. resol. 8. apud Tambur. lib. 5. cap. 2. ex Petro Hurtad. docet probabile esse, sine scrupulo peccati mortalis peti posse ab usurario parato; Sicut etiam peti posse Sacramenta a parato ministrare illa sub mortali; & suppeditari cibos parato frangere jejunium; quia usurarius non cadit in peccatum occasione alterius, sed ex insigni, & depravatissima malitia sua. Ita etiam Armill., Sot., Tolet., Cajet., Sa<sup>o</sup> apud Sal., qui sic distinguit; Vel usurarius est habitualiter, vel solum actualiter paratus dare sub usuris; si actualiter, putat, quod peccet venialiter propter scandala, quatenus petit mutuum sine causa honesta, etiamsi illud petat ob finem mortaliter malum, puta ad fornicandum. Ratio est, quia quando ille est paratus actualiter dare sub usuris, quamvis physice repetat actum peccaminosum, moraliter tamen non repetit, sed in eodem actu manet, ipsumque continuat, & solum opere externo consummat; hoc autem videtur esse modicum damnum spirituale; & ideo qui est occasio illius, petendo sine causa honesta mutuum, praebet occasionem modici damni spiritualis, unde venialiter peccat: Si vero ille non esset actualiter, sed habitualiter paratus dare sub usuris, probabiliorem putat sententiam, quod peccet mortaliter, quam quod solum venialiter, si sine fine honesto petat mutuum.

## Q U Æ S T I O IV.

### De Censibus, seu Redditibus annuis.

**N**omen Censur sumitur a censendo, seu æstimando, nam pro æstimatione bonorum uniuscujusque solvi debebant Principi tributa; Unde factum est, ut Censur sumatur pro ipso tributo, seu pensione, quo pacto sumitur Matth. 22., quando dicitur: *Licet Censur dare Casari, an non?* Sed in casu nostro sumitur Censur pro jure ad annuos redditus ex re alterius percipiendos: Et de hoc quærendum Primo, Quid, & Quotuplex sit? Secundo, Quænam conditiones requirantur jure naturæ, ne Censur sit usurarius? Tertio, Quænam conditiones requirantur jure positivo Canonico? Expediuntur demum, quæ supersunt de Censibus discutienda.

#### ARTICULUS I.

##### Quid, & Quotuplex sit Censur?

- I. *Definitur Censur, quod sit jus exigendi annuam pensionem ex re fructifera alterius. Nomine autem rei venit hic etiam Persona, qua possit lucrari.*
- II. *Ratione modi dividitur Censur in Reservativum, & Consignativum. Per illum transfertur res, reservato jure ad pensiones. Per istum retinetur res sua, & consignatur alteri jus ad pensiones.*
- III. *Ratione rerum Consignativus subdividitur in Realem, Personalem, & Mixtum. Quamvis singuli ex his Censibus jure natura sine licitè servatis debitis conditionibus; ac spectata Bulla Piana solum licitus est Censur Consignativus Realis fundatus in sola re immobili.*
- IV. *Dividitur etiam Censur in Fructuarium, & Pecuniarium: Ille importat jus ad fructus, hic ad pecuniam.*
- V. *Ratione durationis dividitur etiam in Temporalem, Vitalium, & Perpetuum. Rursus in Redimibilem, & Irredimibilem; hic tamen a Pio V. prohibetur; juxta conditiones Bullæ Piane celebrandus est Censur, ubi ea Bulla sit recepta; secus juxta consuetudinem receptam regionis.*

VI. *Censur personalis probabilis non est usurarius, si debita conditiones serventur.*

#### I. Q U æ R I T U R p r i m o : Q u i d s i t C e n s u s ?

Respondeo, esse jus exigendi annuam pensionem ex re fructifera alterius: Unde Censur non est ipsa annua pensio, nec res Censui subjecta, nec ipse Contractus, quo tale jus acquiritur, sed est ipsum jus, quod est in acquirente illud, qui dicitur Censualista, vel Censitor; cui juri correspondet obligatio solvendi dictam pensionem in altero, qui dicitur Censuarius: Quamvis autem jus ad annuam pensionem possit haberi ex aliis Contractibus, puta ex donatione, locatione, commutatione, emptione, &c., dicitur tamen Censur, si tale jus ematur, & fundetur in re fructifera alterius; Nomine autem rei comprehenditur etiam Persona, & nomine rei fructifera intelligitur qualibet res

L uti-

utilis, ut ager, pecunia, persona potens lucrari, aut sperans bona, aut potens vendi, & in servitutem trahi, &c.

II. Quæritur secundo: Quotupliciter Census dividatur?

Respondeo dividi primo ratione modi in Reservativum, & Consignativum. Reservativus dicitur, quando quis transfert in alterum rem suam donando, vel vendendo illam, reservato sibi jure ad annuam pensionem super eadem re. Consignativus vero dicitur, quando quis super bonis suis, quæ sibi retinet, consignat, seu dat alteri jus ad annuam pensionem: Quare hoc jus consignatum dicitur Census consignativus, sicut jus reservatum dicitur Census reservativus.

III. Subdividitur Census consignativus ratione rei, super qua fundatur, in Realem, Personalem, & mixtum. Realis est, quando fundatur super re condistincta a persona, verbi gratia super vinea, qua pereunte ipse Census perit. Personalis fundatur super sola persona fructifera, seu quæ habet, vel sperat bona, vel potest ex suo labore aliquid acquirere; itaut ad ejus mortem pereat census, nisi huic contractui censualitio personali superaddatur in securitatem solutionis alia res tanquam hypotheca, ad hoc ut ex ea percipiatur annua pensio, quando non potest percipi a persona, sive quia redditur impotens, sive quia moritur, prout conventum fuerit; Quamvis hæc hypotheca superaddita, cum sit nova obligatio, compensanda sit pretio suo. Demum dicitur Mixtus, qui fundatur immediate super re simul, & persona, itaut quamvis res pereat, non pereat Census, sed persona debeat illum solvere vel ex aliis bonis suis, vel ex ipsa persona sua, quæ potest aliquid suo labore acquirere, prout etiam fuerit conventum. Triplex hic Census consignativus jure naturæ licitus est,

concurrentibus debitis conditionibus; quamvis ex Bulla Pii V. solum permittatur Census realis, & quidem fundatus in sola re immobili, ut dicam.

IV. Secundo dividitur census in Fructuarium, & Pecuniarium: ille est jus ad fructus, puta ad vinum, oleum, &c.; hic est jus ad pecuniam.

V. Tertio dividitur ratione durationis in Temporalem, puta ad decennium; Vitalitium, qui scilicet durat tempore vitæ unius, vel plurium; & Perpetuum; Et hic subdividitur in Redimibilem, qui fit cum pacto de redimendo, itaut possit censuarius, quando libuerit, restituere pretium acceptum a Censualista, & extinguere census; & Irredimibilem, cui scilicet nullum pactum redemptionis adjicitur; & hic etiam a Pio V. prohibetur: Quare ubi recepta est Bulla ista Piana, celebrandus est juxta conditiones Bullæ; vel si Bulla recepta est juxta aliquas tantum conditiones, juxta illas celebrandus est; ubi vero ea Bulla non est recepta, celebrandus est juxta consuetudinem locorum, dummodo talis consuetudo juri naturali, aut Divino non repugnet.

VI. Dubitatur, An census personalis sit usurarius? Affirmant Navar., Lopez, Molin. disp. 387., & alii apud Pal. punct. 11. Sed communissime negant, quia quamvis videatur esse mutuum palliatum, inquantum intenditur lucrum ultra sortem, tamen revera habet rationem contractus venditionis, & emptionis juris ad annuas pensiones. Quod probatur Primo, quia sicut olim Ecclesiæ debebantur decimæ personales, ex labore scilicet, aut ex negotiatione personæ provenientes, ita possunt pensiones personales deberi ratione emptionis: Secundo, si potest emi jus ad pensiones annuas super re frugifera, quidni etiam super persona frugifera, & industriosa? Quod si ad securitatem exi-

gatur hypotheca, certo pretio majori tale jus emi deberet.

ARTICULUS II.

De Conditionibus jure naturali requisitis, ut Census sit licitus, & non usurarius.

- I. Jure naturali requiritur ad contractum census, quod pretium sit justum spectatis spectandis; quod sit super re fructifera, & quod fundetur in re propria non habente jus impeditum.
- II. Census perpetuo irredimibilis jure natura non est illicitus, dummodo majori pretio ematur.
- III. Potest censuarius obligari, ne vendat alteri rem censui subjectam, dummodo tale onus compensetur.
- IV. Tributum, quod ex fundo debetur Principi, solvendum est a Censuario; at expensa pro scriptura census solvenda sunt a censitore.
- V. Potest pariter jure natura fieri census, cum pacto, quod pereunte hypotheca speciali, succedat alius fundus, aut ipsa persona censuarii, compensato tamen hoc onere.
- VI. Si tota domus, super qua fundatus est census, corruat, census extinguitur est, quamvis ea reedificetur; secus vero si corruat per partes.
- VII. Usus receptum est, quod censuarius assecuret Censitorem, non quidem pro casibus fortuitis, sed, ut si forte res censui subjecta deprehendatur esse alterius, tunc altera succedat; Sicut etiam si fuerit Censuarius in mora ad solvendum, aut reddatur impotens.
- VIII. Num possit in censu apponi poena legis commissoria, sicut apponitur in Emphyteusi?
- IX. Quomodo possit esse justus, & ex natura rei licitus census redimibilis ex parte emptoris? Si Census

fit utrinque redimibilis, majus est onus compensandum in emptore, quam in venditore.

- X. Census vitalitius personalis quonam pacto ex natura rei sit licitus? Num, & quanam via prohibeatur a Bulla Piana?
- XI. Num sit licitus ex natura rei tam Census realis, quam personalis ex utraque parte redimibilis?

I. **C**ertum est apud Doctores, Primo requiri ad valorem Census ex natura rei intentionem contrahentium, quod scilicet ematur, & vendatur tale jus. Secundo, requiri pretium justum, quod scilicet lege taxatum est, vel communi prudentium aestimatione, spectato periculo, & incommoditate exigendi pensiones, vel quod pereat res, super qua fundatur, spectato etiam incommodo, quod emens subire potest, si sibi restituatur pretium. Quare sicut quando res emitur cum pacto de reemendo ad arbitrium solius venditoris, potest res emi quarta parte minoris, quam valet, ut supra diximus ex Hurtad., & aliis, ita in Censuratione talis tantum oneris in e mente, quando ager valens centum fructificat quotannis quatuor, potest centum aureis emi jus ad quinque quotannis, seu potius octoginta aureis potest emi jus ad illa quatuor. Nec potest res censita ferre regulariter minores fructus, demptis expensis, quam sit pensio; potest tamen majores fructus reddere, ut ostendit consuetudo; possum enim emere decem tantum a fundo, qui reddit quindecim. Tertio requiritur jure naturæ, ut Census in re fructifera fundetur. Quarto debet fundari in re propria non habente jus impeditum, cum nemo possit alteri tradere jus, quod non habet, vel habet impeditum; Unde Maritus non potest subijcere censui dotem uxoris absque



illius consensu; quia non est illius dominus; Nec uxor id potest, quia dotis dominium habet impeditum, cum eius administratio spectet ad maritum. Quinto, ut si res censita pereat, vel fiat sterilis absque culpa censuarii, cesset census ad ratam; nam res domino perire debet. Demum, ut quodcumque novum onus venditori imponitur, debita mercede compensetur.

II. Quæritur nunc primo: An census perpetuo irredimibilis sit iure naturæ illicitus?

Respondeo cum communi negative, dummodo majori pretio ematur, cum tollatur a censuario facultas redimendi suam obligationem: Quare sicut res, quæ valet centum, cum pacto de retrovendendo in favorem venditoris potest emi quarta, vel tertia parte minoris, videlicet septuaginta quinque, & sine hoc pacto potest emi centum, quantum valet; ita census, qui quando est redimibilis ad arbitrium censuarii, emitur verbi gratia septuaginta quinque, si constituatur irredimibilis, debet emi centum, propter onus additum venditori, ut notat Bonac. num. 40.: Qui etiam advertit, quod quando censuarius vult redimere censum, debet id manifestare Censitori per duos menses antequam redimat, qua manifestatione facta, potest censitor intra annum dumtaxat repetere pretium census a censuario licet invito, cum ea sit juris dispositio.

III. Quæritur secundo: An possit censuario imponi onus, ne vendat rem censui subjectam?

Respondeo, posse id ex natura rei fieri, modo tale gravamen compensetur ad æqualitatem; censuarius enim, cum sit suæ rei dominus, non prohibetur ex vi census, ne suam rem alienet, itaut transferat alteri dominium simul cum obligatione solvendi ex illa annuas pensiones; Unde si obligatur

ex pacto ad non alienandum, debet tale onus compensari; Non secus ac si obligaretur ad solvendum censitori laudemium, seu quinquagesimam, vel aliam partem rei, quoties voluerit illam alienare; Sicut obligatur solvere laudemium Emphyteuta domino proprietario in recognitionem domini directi, quoties alteri vendit jus suum emphyteuticum, quod in re proprietarii habet, ut suo loco dicemus.

Notandum hic etiam, quod si censuarius vult aliis vendere rem, debet prius monere censualistam, an velit illam sibi eodem pretio emere, eumque aliis præferre debet; Quod si censuarius de hoc non admonet censualistam, potest hic ex Azor. annuam pensionem ab Emptore exigere, vel rem emere sibi; par enim est, quod possit illam exigere ab emptore, cum quo nullum inicit contractum.

Quod si rem censuarius vendidit divisim pluribus, admonito censualista, dubium est apud Doctores, an hic exigere possit pensiones a singulis in solidum, an vero pro rata? Bonac. putat, quod pro rata, cum Rebel., & aliis; Navar. vero cum Molin., quod in solidum, quia æquitas non postulat, quod Censitor reportet incommodum exigendi censum a multis.

IV. Notandum etiam, quod onus solvendi tributum, quod ex fundo solvi consuevit Principi, spectet ad Censuarium, qui est dominus fundi; onus vero solvendi expensas pro scriptura census, & eius expeditione pertineat ad censitorem; quia scriptura fit in commodum emptoris ad ostendendam, & comprobanda jura illius, & ideo apud ipsum remanet.

V. Quæritur tertio: An licitus sit census cum pacto, quod censuarius teneatur ad pensionem, etiam perente, vel reddita inutili re, super qua fundatus est?

Re-

Respondeo cum Sal. disp. 33. jure naturæ esse licitum hoc pacto, ut fiant quasi duo contractus, alter census, alter Assecurationis; itaut pereunte re, obligatio ad annuas pensiones remaneat in aliis bonis; immo etiam in ipsa persona, unde census realis evadat personalis: Ratio est, quia sicut potest census imponi cum pacto, quod pereunte una re succedat alia res, ita potest etiam succedere persona: Requiritur tamen Primo, ut persona sit fructifera, itaut aliquid sua industria lucrari possit: Secundo, ut talis obligatio justo pretio compensetur.

VI. Advertendum etiam, quod si res pereat culpa Censuarii, hic tenetur ad restitutionem, ut patet; Si vero sine sua culpa corruat, verbi gratia, domus, super qua fundatus est census; Vel corruit tota, & extinctus est census, non facta assecuratione dicta; quamvis ex eadem materia reedificetur altera domus, quia non est amplius eadem: Vel corruit domus per partes, & per partes reedificatur, & quia perseverat eadem moraliter, debetur pensio ex illa.

VII. Quæritur quarto; An possit censitor petere fidejussionem, seu assecurationem census empti, itaut si res vendita sit aliena, vel alteri censui sit subjecta, res posterius supposita cedat in locum prioris, & si venditor census sit hic & nunc impotens, vel in mora ad solvendum, possit emptor ad alia bona se convertere?

Respondeo affirmative, quia hoc spectat ad servandum emptorem indemnem, & usu receptum est, ut notat Rebel. & Salon., quod hujusmodi fidejussio fiat non aucto pretio, quamvis pactum fidejubendi sit pretio æstimabile. Ratio est, quia censitor habet jus consulendi suæ indemnitati per fidejussores; Nec est eadem ratio obligare censuarium ad casus fortuitos, ita ut re pereunte, vel facta

infrugifera, teneatur ad pensiones; hæc enim est quædam obligatio, ad quam nullum jus habet censitor.

VIII. Quæritur quinto: Utrum possit censui addi pactum legis commissoriæ, seu quod si censuarium pensionem non solvat per biennium, vel triennium, incidat in commissum, seu rem censui subjectam amittat in penam negligentia?

Respondeo negative, nam, ut supra diximus, pœna debet esse proportionata culpæ; in hoc autem casu etiam si censuarium non solveret pensionem culpabiliter, adhuc pœna hæc esset excessiva; ergo non licet, ut advertunt Trullenc dub. 7., & Bonac. num. 38.: Esto in emphyteusi verum sit, quod si per biennium non solvatur culpabiliter pensio, amittatur res emphyteutica Ecclesiastica; & laica amittatur, si per triennium non solvatur pensio, ut notat Hurtad. diff. 13. Et quidem probabilius ante sententiam judicis; idque ratione conventionis talis contractus. Nihilominus ex natura rei, & seclusa lege positiva potest fieri pactum de solvenda aliqua pœna proportionata, si culpabiliter pensiones non solvantur; sicut etiam de solvendo damno emergente: Immo tale onus amittendi rem censui subjectam, si non solvantur pensiones, potest etiam ex natura rei apponi, dummodo justo pretio compensetur, ex Hurt. diff. 7. Quare universim, ut contractus census sit licitus ex natura rei, nihil aliud requiritur, quam æqualitas inter censum, & pretium; & quod si in contractu census superaddatur novum onus emptori, illud compensetur diminutione pretii, si vero imponatur venditori, compensetur augmento pretii.

IX. Unde sequitur, verum esse, quod docet Less., Laym., Molin. contra Sot., Rebel. apud Hurtadum, videlicet licitum esse, & non usurarium ex natura rei

rei Censum redimibilem etiam ex parte emptoris; itaut possit emptor etiam nolente venditore cedere illi jus ad pensiones, & repetere pretium suum; dummodo pretio majori ematur ad compensandum tale onus venditoris, quod est extra naturam Censui: Sicut etiam quando Census ex parte solius venditoris est redimibilis, (ut debet esse ex Bulla Pii V.) compensari solet tale onus emendo pretio minori: Quod si ex parte utriusque est redimibilis, pretio medio emendum est; Advertendo tamen, quod in hoc casu majus est onus venditoris, quod non semper habet paratum pretium ad illud restituendum, quam emptoris, quippe qui semper potest jus ad pensiones cedere; unde tale onus pretio majori compensandum est. Si demum sit ex utraque parte irredimibilis, onus videtur esse majus in emptore, quam in venditore; quia emptor patitur difficultates in exigendis pensionibus, praesertim si vendatur alicui Magnati res subiecta Censui, quam ipse nolit emere; quae difficultas non habetur ex parte venditoris, quippe qui ex pretio census, quod sibi restituitur, poterit aliquod praedium emere.

X. Queritur sexto: An Census personalis vitalitius sit validus jure naturae?

Respondeo cum Bonac. num. 17. esse licitum concurrente justo pretio, ita scilicet ut Censuarius vel ad vitam suam tantum, vel ad vitam alterius teneatur solvere pensiones, & non amplius: Ad eum modum, quo potest stabiliri in Censu, quod pensiones solvantur ad determinatum tempus, puta ad decennium, vendendo Censum, seu jus ad pensiones minoris, quam si esset perpetuus, seu augendo jus ad pensiones; nam si emitur centum, verbi gratia, jus ad decem quotannis in perpetuum, jus ad decem quotannis per decennium tantum, deberet, verbi gratia emi sexa-

ginta, itaut pro centum ematur jus ad sexdecim quotannis. Quare eadem ratione potest stabiliri Census vitalitius, taxando pretium, perinde ac si Censuarius in vita deberet perdurare dimidium temporis, quo potest moraliter ejus vita perdurare: Verbi gratia, si debeat stabiliri Census super persona habente quadraginta annos, & hic probabiliter usque ad sexaginta annos possit vivere, debet dividi hoc tempus viginti annorum, & ita stabiliri Census, perinde ac si deberet perseverare onus solvendi pensiones per decennium tantum: Hoc pacto uterque exponitur aequo lucro, & damno; atque adeo si quando Census est perpetuus, potest pro centum emi jus ad decem, ad hanc proportionem instituentus erit Census vitalitius; & ideo habens quadraginta annos, probabiliter victurus usque ad sexaginta, si velit constituere Censum personalem vitalitium, potest pro centum emere jus ad sexdecim, quoad vixerit, juxta opinionem Molin. apud Bonac.

Nec placet opinio aliorum apud eundem, qui putant cum Covar., univrsim posse stabiliri Censum ad rationem unius pro sex, & cum Garz. ad rationem unius pro septem, & cum aliis ad rationem unius pro decem; quia debet examinari, num vita talis hominis sit probabiliter multum, an parum perduratura, & major debet esse pensio, quo brevius est perduratura.

Notat hic Hurtad; diff. 8. ex Filliuc, etiam post Bullam Pii V. prohibentis Censum personalem, posse hujusmodi Contractum vitalitium celebrari, itaut non habeat rationem Censui, sed sit Contractus innominatus, quo persona pro pecunia sibi data obligetur ad aliquam summam quotannis pro sua vita, non tanquam ad pensionem ex persona fructifera, sed tanquam ad partem solutionis summae acceptae, at-

attento periculo solvendi plusquam accepit, vel minus, ob incertitudinem vitæ personæ assignatæ; Ut si persona, quæ potest vivere probabiliter viginti alios annos, det alii centum cum onere, quod solvat decem, vel duodecim (idque ratione lucris cessantis) quoad vixerit, immo posset etiam quatuordecim, verbi gratia, vel quindecim, si pariter etiam ineat Contractum trium cum mercatore.

XI. Quæritur septimo: An licitus sit Census utraque ex parte redimibilis? Respondeo, multos cum Sot. Navar. negare apud Dicastil. & Trull., quia videtur habere rationem mutui; Alii tamen concedunt cum Less., Valent., Molin. disp. 377. apud Sal. dub. 25.; quia pereunte re censita perit jus ad pensiones, & ad repetendum debitum; quod non haberetur, si esset mutuum: Quare Census realis utrinque redimibilis videtur esse similis Contractui, qui dicitur *Godere a Godere*; quando scilicet, ut diximus quæst. 3. art. 2. num. 12. fit emptio, verbi gratia, domus cum pacto retrovenditionis, & deinde eadem domus locatur eidem venditori: Si vero Census hic utrinque redimibilis sit personalis, est pariter licitus, sed non consulendus propter periculum usuræ; non est tamen revera usurarius, quia pereunte persona non potest pretium suum Censitor ab hæredibus repetere, sicut posset, si esset mutuum, ut ostendimus quæst. 3. de Usura art. 4. num. 7.

### ARTICULUS III.

De Conditionibus jure positivo requisitis ad Contractum Censuum.

- I. Olim Martinus V., & Calixtus III. plura requirebant circa Contractum Censuum, prout in Germania solebat institui.
- II. Nicolaus V. approbavit hunc Con-

tractum, prout in Regno Neapolitano, & Sicilia celebratur, sub quatuor præsertim conditionibus.

- III. At Pius V. in celebri sua Bulla decrevit usurarium esse talem Contractum, si deessent decem conditiones. Et communius docent etiam in foro conscientia esse invalidum, & usurarium deficientibus his conditionibus, ubi Bulla est recepta.
- IV. Debet primo constitui Census super re fructifera, & certis finibus designata, qua pereunte Census extinguatur; quamvis alia bona soleant tanquam hypotheca generalis addi solum ad securitatem solutionis.
- V. Debet secundo pretium Censuum solvi pecunia numerata coram Notario, & Testibus. Quid si in pretio detur lesio, num debeat diminui pensio, an debeat pretium augeri?
- VI. Debent tertio pensiones in pactum deduci, quæ aut in fine anni, aut singulis semestribus solvantur; Et in loco ubi fuerit convenium, dummodo non addatur novum onus Censuario.
- VII. Debet quarto deobligari Censuarium a casibus fortuitis, nec obligari, ut reddita infructifera aut totaliter aut partialiter hypotheca speciali, alia substituantur. Quid si talis hypotheca specialis nonnullis dumtaxat annis fructum non ferat?
- VIII. Debet quinto non posse impediri Censuarium, quominus alteri vendat rem Censui subjectam; Nec si vendat, debeat landemium solvere.
- IX. Debet sexto Censuarium, si velit rem censitam vendere, monere Censitorem, & per mensem illum expectare, ut deliberet, si velit aliis præferri.
- X. Debet septimo excludi pactum, quo Censuarium non solvens præfixo tempore pensiones obligetur ad interesse. At expensa necessaria ad exten-

gendas pensiones à debitore culpabiliter moroso exigere poterunt; Sicut etiam probabiliter lucrum cessans intrinsecum, quamvis non extrinsecum.

- XI. Debet octavo ex pensionibus non solutis non posse novus Censui fundari, aut idem augeri.
- XII. Debet nono Censui esse redimibilis, dummodo antea per bimestre denunciatur Censitori, quod Censui redimendus sit. Putant nonnulli, Censui irredimibiles non vetari, si majori pretio emanant, Censui redimibilis emi poterit tertia, vel quarta parte minoris, quam valeat. Non vetatur in Bulla pactum, quod Censui non possit per partes redimi.
- XIII. Debet denique pretium ab initio statutum Censui non posse a Censitore vendi minori pretio, nisi forte census evaserit illiquidus, aut non facile exigibilis.
- XIV. Universim pretium Censui iustum desumendum est ex praxi timoratorum cujuscumque regionis.

I. **T**res extant Bullae circa Contractum Censui. Prima est Martini V. pro Germania approbata a Calixto III., in qua decernit Pontifex, Primo, quod Censui constituatur super certa re, quae sola maneat obligata ad pensiones; Secundo, quod solvatur pretium Censui pecunia numerata; Tertio, quod possit libere venditor redimere Censum etiam per partes; Quarto, quod re illa casu perente pereat Censui; Quinto, quod pensiones solvenda non superent fructus rei Censui subiectae. Notat tamen Hurtad. cum Less., Molin., Sot., contra Lopez, & Mirand., quod dicti Pontifices in ista Bulla nihil prohibeant, aut praecipiant, sed solum approbent Censum sic institutum in Germania.

II. Secunda Bulla est Nicolai V., quae ex Hurtad. eodem modo approbat Censum institui solitum in Regno Neapolitano, & Siciliae cum iis quatuor conditionibus; Primo, quod Censui constituatur super re certa specialiter, & generaliter super omnibus bonis; Secundo, quod apponatur pactum de retrovendendo eodem pretio. Tertio, quod non fiat ultra decem pro centum; Quarto, quod pro securitate possint apponi pacta, & poenae.

III. Tertia Bulla est Pii V., quae habetur apud Molin. disp. 389., statuentis plures condiciones in Censui, itur sine illis celebratus habendus sit usurarius in iis Provinciis, ubi ea Bulla est recepta. Aliqui tamen cum Dian. part. 1. tract. 8. resol. 44., Sal., Navar., Less., Azor., Molin., Tambur. hic putant, solum in foro exteriori reputandos esse usurarios, si non desint ea, quae jure naturali requiruntur, quia ex praesumptione fraudum eas condiciones Pontifex apposuit; Unde cessantibus omnibus fraudibus, & dolis, cessat obligatio in conscientia talis legis. Sed communius Hurtad. diff. 8., Trull. dub. 3., Faustus, Salon., Bonac. num. 43., & alii apud eundem Dian. loc. cit. putant, etiam in foro conscientiae talem Contractum sine iis conditionibus celebratum esse invalidum, & foeneratitium; unde pensiones computandae sint in extinctionem fortis principalis; Et ratio est, quia quamvis non sit injustus, & usurarius ex natura rei, est tamen talis ex jure positivo illum prohibente ob periculum usurae, & iniustitiae: Praeterquam quod omnis Contractus celebratus sine forma substantiali a jure requisita invalidus est, & in foro conscientiae non obligat; ut communius Doctores docent: Condiciones a Pio V. requisitae sunt hujusmodi.

IV. Prima est, ut constituatur Censui

sus super re immobili fructifera ex natura sua, & certis finibus designata. Unde excluduntur Censui personales, etiam si cum hypotheca celebrentur, (quicquid in contrarium dicant Navar., & Lopez apud Hurtad., putantes loqui Pontificem tantum de Censu reali, quod scilicet debeat super re immobili fundari, & praescindere a Censu personali.) Notandum tamen, reputari rem immobilem non solum agrum, domum, &c., sed etiam vectigalia, & officia perpetua, & Censui perpetuos irredimibiles; immo etiam redimibiles, ex Hurtad., Bonac., Rebel. contra Molin., & Azor. disp. 189. Notandum etiam, quod quamvis res immobilis debeat esse nominatim designata, ut excludantur Censui institui super omnibus bonis, hoc tamen non tollit, quominus praeter rem, aut res nominatim designatas, possint etiam addi omnia alia bona tanquam hypotheca ad securitatem solutionis pensionis. Quamquam pensio non duret, nisi quousque durat hypotheca specialis, seu res, super qua nominatim est imposita.

V. Secunda conditio est, quod Censui ematur pecunia numerata, praesentibus Testibus, & Notario: Unde si pars tantum pretii solvatur numerata pecunia tempore Contractus, pars tantum pensionis correspondens debetur.

Dubium est, Num qui laesus est in pretio justo Censui, verbi gratia accipiendo quinquaginta pro Censu valente centum, teneatur solvere tantum partem pensionis, verbi gratia quinque, an vero integram pensionem, puta decem, ita tamen ut Censitor teneatur supplere, seu restituere defectum pretii, & omne lucrum cessans, & damnum emergens Censuario ex defectu iusti pretii?

Respondeo, Molin., & Sal. putare, quod teneatur tantum ad partem;

*Pars IV.*

Less. vero, Bonac. num. 22., & alii putant, quod possit Censualista integram pensionem percipere, quia non laesit Censuarium in pensionibus, sed in pretio Censui, atque adeo solum tenetur hoc ad aequalitatem reducere; sicut qui emit agrum pretio diminuto, fit dominus totius agri, quamvis teneatur pretium ad aequalitatem reducere. Neque dicas; ita se habet totum ad totum, uti pars ad partem, ex leg. *Qua de toto*, &c.; Nam haec lex intelligenda est, quando pars tantum pretii, de quo fuerat conventum inter contrahentes, fuerit diminuta, non vero quando pretium conventum fuit diminutum.

VI. Tertia conditio, quod pensiones in pactum deducantur, & quod non obligetur Censuarium ad solvendas pensiones anticipato; non enim ad id tenetur ex natura Contractus: Quare debet pensiones solvere aut in fine anni, aut pro rata temporis, vel ut moris est, ex Sal. disp. 42., singulis semestribus.

Rogabis, Ubinam solvenda sit pensio?

Respondeo non posse obligari Censuarium, ut suis expensis solvat pensionem in domo Censitoris; cum id etiam sit onus extra naturam Contractus: Quare Censuarium tenetur pensionem solvere in loco, ubi fuerit conventum, modo conventio non fuerit onerosa, ut fuit Bonac. disp. 1. quaest. 5. de Restitutione.

VII. Quarta, ne obligetur Censuarium ad casus fortuitos, hoc est ne obligetur ad pensionem, si res Censui subjecta praeter suam culpam evadat infructifera: Quamvis enim possit Censitor petere assecurationem, vel fideiussionem, itaut si una res Censui subjecta reperiat aliena, succedat alia; non potest tamen petere, ut si una res evadat infructifera sine culpa Censuarii, succedat alia; nec potest petere,

M

tere,

tere, quod si evadit res infructifera, aut perit secundum partem, adhuc integra pensio solvatur.

Dubium tamen est, An iis annis, quibus res censita nullos fructus affert ex casu fortuito, adhuc teneatur Censuarius solvere integram pensionem: Verbi gratia, si domus, in qua Censu est collocatus, propter pestem, aut bellum non possit habitari aliquo anno?

Respondeo, Molin. disp. 390. cum Less. putare, quod iis annis non debeat pensio: Ratio est, quia Censu realis est emptio juris ad recipiendam partem fructuum, quos res censita quotannis reddit; ergo pereuntibus aliquo anno fructibus vel totaliter, vel partialiter, perit eo anno pensio vel totaliter, vel partialiter. Sed communius censent cum Bonac. num. 27., Rebel., Navar., quod debeat pensio, nisi res censita multis annis sit infructifera; quia ea est communis praxis; & quia Censu non est jus ad ipsos numero fructus; alioquin semper pensio deberet esse ejusdem rationis cum fructibus illius anni, nec posset Censuarius vendere fructus invito Censitore; sed est jus ad pensionem ex fructibus, quos solet res censita producere. Quod si culpa Censuarii pereat res, aut reddatur infructifera, adhuc tenetur hic pensionem solvere, ut putant Bartol., & Medin.; Vel, ut putat Navar., Rebel., Sal., Less., tenetur Censuarius solvere pretium, & interesse lucri cessantis, & damni emergentis, cum non debeat pati damnum Censitor ex culpa Censuarii.

VIII. Quinta conditio, ut non privetur Censuarius facultate vendendi, aut donandi rem censitam; nec si vendat, teneatur solvere Censitori laudemium; quod alicubi est quinquagesima, alibi trigesima, & in aliis locis alia pars rei alienatae.

IX. Debet tamen, ( ut habetur in

sexta conditione, ) Censuarius volens vendere rem censitam monere Censitorem, num velit ipse illam emere eodem pretio, ut aliis praferatur, expectarique debet ejus deliberatio per mensem ex Bulla.

X. Septima, ut non fiat pactum, quo Censuarius existens in mora, seu non solvens pensionem constituto tempore teneatur ad interesse lucri cessantis, vel ad Cambium, vel ad aliam poenam, nec ad salaria, seu expensas medio juramento creditoris liquidandas. Ratio est, quia vult Pontifex tollere occasionem damni, & injuriae, qua opprimuntur Censuarii non potentes solvere. Verum, ut notat Molin. disp. 390., & Hurtad., non prohibet Pontifex exigere expensas rationabiles, & moderatas factas ob moram debitoris culpabilem a creditore ad recuperandam pensionem; quia hoc debetur jure naturae, sed solum vetat exigere quicquam aliud virtute pacti superadditi: Nec vetat exigere interesse lucri cessantis intrinseci; ut si pensio solvenda esset in tritico, tempore, quo valebat duos aureos, & erat tunc vendendum a creditore, deinde solvatur tempore, quo valet unum aureum; Etenim hoc interesse lucri cessantis intrinseci ex natura rei debetur; solum vetat exigere interesse lucri cessantis extrinseci, ut si mercator pensionem illam negotiaturus esset.

XI. Octava conditio, quod ex pensionibus non solutis, aut non solvendis non augeatur Censu, nec novus creetur: Quamvis non prohibeat Pontifex, quod ex pensionibus jam solutis possit numerata pecunia novus Censu creati, aut idem augeri.

XII. Nona, quod nunquam possit Censitor repetere pretium, sed semper liberum sit Censuario Censum redimere, restituto pretio: Quamvis debeat id Censitori antea per bimestre denunciare, qua denunciazione facta potest

potest Censitor intra annum compellere Censuarium ad pretium solvendum, redimendumque Censum. Navar. tamen, Valent., Less., & alii apud Bonac. contra Rebel., & Sal. putant non prohiberi Censum irredimibiles, dummodo majori pretio emanentur; alioquin damnandi essent innumeri Prælati Ecclesiastici, qui percipiunt Censum perpetuos, in quibus constituti, & fundati sunt tituli Beneficiorum; ut notat Bonac.: Qui addit, Censum redimibiles emi posse quanti res valet, detracta tertia, vel quarta parte ob gravamen redimendi in gravamen venditoris appositum; Verbi gratia, si res censita valeat centum quinquaginta, & reddat quotannis septem, vel octo aureos, potest creari super illa Censum redimibilis centum aureorum, vel centum & decem; Si tamen Censum esset irredimibilis, debet res censita emi, quanti valet, videlicet centum quinquaginta; aliquando tamen minoris, verbi gratia centum quadraginta; quia revera plus est habere plenum rei dominium, quam habere solum jus percipiendi certam pensionem, quam res illa reddit. Notatque pariter hic Bonac. ex Molin., Sal., Reginald., & aliis contra Navar., posse ex vi Bullæ in Censu apponi pactum, quod non redimetur per partes; alioquin emptor damnus pateretur recipiendo pretium per partes, immo majus damnus pateretur, quam Censuarius ob gravamen suum.

XIII. Decima, quod pretium semel Censui constitutum non possit minui, vel augeri ob varias temporum, aut contrahentium qualitates; Sed reddendum est emptori æquale pretium illi, quo ab initio fuit emptus. Non videtur tamen negandum, quod Censum, qui non est liquidus, nec potest absque laboribus exigi, possit pretio minori emi, ex Less., Molin., Bonac.; Solum enim prohibetur, quod Cen-

sus emptus, verbi gratia, centum aureis, deinde aliis vendatur alio pretio, idque ad vitandas oppressiones, quas Censuum emptores facere solent, emendo Censum vili ab indigentibus pecunia, & illos revendendo majori pretio.

XIV. Pretium autem Censum in Regno Castellæ statutum a Philippo II. anno 1563. apud Sal. dub. 12. est pro uno quatuordecim, atque adeo nonaginta octo pro septem singulis annis: In Regno utriusque Siciliæ statuit Nicolaus V., ne minoris ematur, quam decem pro uno, seu non pluris solvantur quam decem pro centum: Philippus tamen Secundus videns crevisse sic emptores, statuit pro Sicilia quinque pro centum. Pro Germania etiam Carolus V., & Clemens VIII. pro statu Ecclesiastico auxerunt pretium Censum. Videndum tamen quid in unaquaque Regione statutum sit, quidque ferat praxis, & judicium prudentium, & timoratorum.

In Italia, ut habet Sal. dub. 22. ut plurimum septem emuntur pro centum, & nunc temporis minoris; In Gallia octo cum dimidio; Et undecim, & duodecim pro centum, ubi viget negotiatio; quia pecunia præsens ibi multum æstimatur, & Censum minoris; unde hujus pretium vilescit.

A R T I C. U L T.

*Expediuntur, quæ supersunt de Censibus.*

- I. *Pii V. Bulla non obligat, ubi non est recepta. Num in Regno Neapolitano recepta sit?*
- II. *Præscriptio militat etiam in Censibus adversus jus, quod habet Censitor exigendi pensiones.*
- III. *Immemoralis continuatio solvendi pensiones vim habet causæ, & tituli, itant debeant continuari.*

M 2 VI. Ia



IV. In dubio num res sit censuaria, an emphyteutica, censenda potius est esse censuaria.

V. Si dubitatur vero, num Census sit redimibilis, an irredimibilis, censendus redimibilis.

I. **Q**uæritur primo: An Bulla Pii V. omnes obliget?

Respondeo illam non obligare, ubi non est recepta; Nam in Cap. *Si quando, De rescriptis*, dicitur, Quando mandata, aut literæ Apostolicæ ad aliquorum Prælatorum, vel Principum manus pervenerint, integrum esse, si aliqua incommoda judicentur continere, Pontifici indicare, ut sua revocatione, & moderatione providere dignetur; Si autem taceat, censetur revocare, quia petitioni annuere, & consentire videtur. Sal. autem dub. 6. docet, in Regno Neapolis citra, & ultra Pharus non esse receptam: Nec est recepta Matrili; Rex enim dixit in comitiis habitis Matrili anno 1583. non esse receptam hanc Bullam, sed instantias necessarias Pontifici factas esse: Sicut autem per desuetudinem leges non amplius obligant, ita per non acceptationem; quamvis peccet qui sine causa illas non acceptat; proscripta siquidem est ab Alex. VII. thesis 28., quæ habet: *Populus non peccat, si absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam*. Verum quidem est, quod Pontifex possit omnes obligare lege sua, etiam si ea non acceptetur; cum non a Communitate, ut Principes civiles, & Reges, sed a Christo Domino habeat vim condendi leges; Suavitas tamen Ecclesiæ postulat, ut nolit Pontifex populum obligare, quando legem ex justa causa non acceptat; Et hac de causa in Gallia non obligat Tridentinum quoad leges positivas ibi non acceptatas, quam-

vis non possit non obligare omnes quoad dogmata, quæ in eo continentur.

II. Quæritur secundo: An in Censibus præscribi possit contra jus, quod habet Censitor exigendi pensiones; i-taut si spatium, verbi gratia, quadraginta annorum non sit soluta pensio bona fide, non amplius debeatur?

Respondeo cum Vega, & aliis apud Sal. dub. 45. affirmative. Ratio est, quia ex leg. *Omnes*, Cod. de *Præscriptione triginta, vel quadraginta annorum* habetur, quod omne jus sive publicum, sive privatum præscriptione extinguitur quadraginta annorum spatium, & intervallo; quod etiam in reditibus annuis procedit, ex leg. *Eos*, Cod. de *Usuris*.

III. Eodem modo solutiones factæ a tempore immemoriali, quamvis nullam causam contineant, jure præscriptionis inducunt obligationem, ut in posterum fiant; quia illa immemoralis continuatio vim habet causæ, & tituli ex Covar.: Si vero sint factæ per tempus non immemorabile, non valent ad inducendam obligationem titulo præscriptionis saltem in foro animæ; quia forte datæ sunt ex benevolentia, vel ex alia causa, quæ non parit præscriptionem.

IV. Quæritur ultimo: Quid dicendum, quando dubitatur, sitne res censuaria, an emphyteutica? Sitne Census redimibilis, an irredimibilis?

Respondeo ad primum, censendam esse rem censuariam; quia Census minus gravat, quam emphyteusis; Nam res emphyteutica amittitur non soluta pensione per certos annos.

V. Ad secundum vero dico, censendam esse redimibilem, propter eandem rationem, quia odia restringi debent, & in ambiguis, quod minus est, eligitur.

## Q U Æ S T I O V.

### De Emphyteusi , Feudo , & Libello .

**Q**uærendum primo, Quid, & Quotuplex sit Emphyteusis, & Feudum, & in quo differant a Libello, & aliis Contractibus? Secundo, Quænam sint conditiones horum Contractuum? Tertio, Quinam possint dare, & accipere, & succedere in Feudum, & Emphyteusim? Quarto, Quando, & quomodo amittatur Feudum? Nam Emphyteusim temporalem amitti per lapsum temporis præfixi certum est; Sicut etiam omnis Emphyteusis amittitur per hoc, quod non solvatur pensio, ut dicemus.

#### ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Emphyteusis, Feudum, & Libellus?

- I. *Emphyteusis idem est, ac Plantatio; estque Contractus, quo res immobilis conceditur alicui quoad dominium utile pro pensione reali solvenda.*
- II. *Feudum dicitur a Fidelitate exhibenda; Est quippe Contractus, quo Inf feudator dat Feudatario rei alicujus immobilis dominium utile, cum onere præstandi obsequium personale in recognitionem domini directi.*
- III. *Libellus, seu Contractus Libellaticus est Contractus subfeudalis, aut subemphyteuticus, quo quis rem in feudum, aut emphyteusim acceptam alteri tradit pro pensione sibi solvenda; Et quidem cum consensu domini directi, si detur ultra decennium.*
- IV. *Feudum, & Emphyteusis in multis differunt inter se.*
- V. *In multis pariter differunt a Locatione; Necnon a Venditione, & Usufructu.*
- VI. *Emphyteusis dividitur in Perpetuam, & Temporalem, Ecclesiasticam,*

*& Communem, Novam, & Veterem, Hereditariam familiarem, Non Hereditariam, & Hereditariam mixte.*

VII. *Dividitur etiam Feudum in Regale, & non Regale, in Nobile, & Ignobile, Francum, & non Francum. Aliud pariter est Ecclesiasticum, aliud Novum, aliud Masculinum, aliud Hereditarium, aliud Indivisibile.*

I. **Q**uæritur primo: Quid sonet hoc nomen Emphyteusis? Et quid importet?

Respondeo Emphyteusim Græce idem esse, ac latine Plantationem, quia olim in emphyteusim dabantur solum terræ incultæ, ut plantationibus, & cultura fertiles evaderent. Nunc tamen quælibet res immobilis datur in emphyteusim; itaut qui dat in emphyteusim, retineat rei illius dominium directum, & proprietatem, unde dicitur Dominus directus, seu proprietarius; Et ille, cui datur res in emphyteusim, acquirat ejus dominium utile, unde Emphyteuta dicitur dominus utilis: Hic autem tenetur quotannis domino directo pensionemolvere in recognitionem domini directi: Quare Emphyteusis definitur, quod sit Contractus, quo res aliqua immobilis

lis ad longum tempus conceditur alicui quoad dominium utile pro pensione reali solvenda, ex leg. 1. Cod. de Jure Emphyteutico.

II. Quæritur secundo; Quid sonet, & quid importet Feudum?

Respondeo, Feudum denominari a fide, seu fidelitate exhibenda; Est enim Contractus, quo quis tradit Feudatario, seu Vassallo rem aliquam immobilem quoad dominium utile, retento dominio directo, itaut in recognitionem domini directi teneatur illi præstare obsequium, seu servitutem personalem: Quare qui dat in feudum, dicitur Infeudator, & dominus fundi; qui accipit, dicitur Feudatarius, & Vassallus.

III. Quæritur tertio: Quid sit, & quid ferat Contractus Libelli?

Respondeo nomine Libelli venire Contractum subfeudalem, seu subemphyteuticum, quo scilicet quis rem acceptam in feudum, vel emphyteusim alteri tradit pro pensione sibi quoque solvenda: Potest enim res feudalis, vel emphyteutica alteri tradi in emphyteusim, vel locari, vel vendi servatis debitis conditionibus, de quibus mox.

IV. Ex dictis sequitur primo, differre Emphyteusim a feudo, quia in emphyteusi conceditur dominium utile pro pensione reali; in feudo vero pro servitio aliquo personali, saltem contento in forma fidelitatis servandæ oblata sub juramento. Potest aliquando feudo addi aliqua pensio realis, & in tali casu, quamvis sit mixtum ex feudo, & emphyteusi, habet tamen rationem feudi, quamvis non nobilis, nec stricti.

Notandum etiam, quod Emphyteusim constitui debeat in sola re immobili, non vero in re, quæ cum immobilibus computatur, ut in annuis redditibus; Feudum tamen etiam in his constitui potest: Præterea dominus

directus feudi, seu rei feudalis habet jurisdictionem in feudatarios quoad controversias feudales inter ipsos; non tamen dominus directus emphyteusis, seu rei emphyteuticæ. Item femina non potest succedere in feudum, nisi in institutione id exprimatur; fecus in Emphyteusi: Feudatarius non cogitur præstare obsequium non exigente domino, Emphyteuta vero tenetur ad pensionem, quia dies exigit, seu clamat pro domino: Feudatarius potest absque consensu domini se feudo abdicare; non tamen Emphyteuta: Feudatarius non potest rem feudalem appignora, donare, aut aliter transferre, bene tamen potest Emphyteuta.

V. Sequitur secundo, differre Emphyteusim, sicut etiam Feudum, a Locatione; quia per locationem non transfertur dominium utile in conductorem, ut quando locatur equus; Et quamvis transferatur dominium utile pro certa pensione solvenda, quando locatio est ad longum tempus, ut notat Bonac., at locatio potest etiam constitui in re mobili. Præterea potest locatio fieri ad breve tempus, ubi Emphyteusis non potest fieri minus decennio, ex leg. 1., ff. de Superficiebus: Locatio demum fit pro pensione proportionata fructui rei, cum sit quædam venditio fructuum rei locatæ: Emphyteusis vero fit pro pensione minore, quam sit valor fructuum rei, eo quod fiat in recognitionem domini directi.

Sequitur tertio, differre hos Contractus a venditione, quia per venditionem transfertur non solum dominium utile, sed etiam directum; Differunt etiam ab usufructu, quia usufructus potest etiam in rebus mobilibus constitui; & quia usufructus finitur morte usufructuarii; non tamen feudum, aut Emphyteusis, nisi res sit concessa solum in vitam Emphyteuticæ.

aut

aut Feudatarii; Demum quia Emphyteuta, & Feudatarius possunt vendere, & donare jus suum, (quamvis Feudatarius non absque licentia domini directi;) Usufructuarius autem nequit jus suum alteri transferre.

VI. Quæritur secundo: Quotuplex sit Emphyteusis?

Respondeo, dividi primo in Perpetuam, qua scilicet datur res emphyteutica sine ullo termino, & Temporalem, qua datur ad tempus; quod tamen non potest esse brevius decennio; Aliquando tamen datur ad unam, vel plures vitas, vel ad plures generationes. Secundo dividitur in Ecclesiasticam, cujus scilicet dominium directum spectat ad locum pium; Et communem, seu profanam, cujus dominium habet laicus, vel clericus. Tertio, in Novam, quæ scilicet nondum transcendit primum Emphyteutam; & Veterem, quæ scilicet jam transcendit primum. Quarto, dicitur Hæreditaria; quæ scilicet datur Titio verbi gratia, & ejus hæredibus, quamvis extraneis; dicitur Familiaris, quæ datur Titio, verbi gratia, & aliis, qui sunt de familia, juxta pactum positum in investitura; Dicitur non Hæreditaria, quæ datur vel Titio soli, vel aliis etiam, quos ipse nominare voluerit; Dicitur Hæreditaria mixte, quæ scilicet datur Titio, & aliquibus tantum, non omnibus hæredibus.

VII. Quæritur tertio: Quotuplex sit Feudum?

Respondeo, dividi primo, ut notat Hurtad. diff. 16. in Regale; quod scilicet conceditur a supremo Principe cum jurisdictione, & titulo honorifico, puta Ducis, Marchionis, Comitum, &c.; & Non regale, quo præter jurisdictionem titulus honorificus non conceditur. Secundo, in Nobile, quod scilicet accipientem facit, vel ostendit nobilem, ut contingit, quando conceditur ab Imperatore, vel Rege; & I-

gnobile, quod non est hujusmodi, eo quod datur a privatis hominibus. Tertio, Francum est, quod scilicet est liberum ab omnibus obsequiis, & servitiis, exceptis iis, quæ continentur in forma fidelitatis, per quam Feudatarius jurat domino se futurum fidelem contra quemlibet, vel nullo excepto, & tunc dicitur Legitimum; vel excepto supremo Principe, & tunc dicitur Non legitimum; Non Francum vero est, quod non est liberum ab obsequiis, & servitiis; Nunquam autem censetur esse francum, nisi id exprimat in institutione ipsius. Quarto, est Ecclesiasticum, quod scilicet ab Ecclesia, vel Clerico, ut Clerico conceditur; est vero Sæculare, quod conceditur a Principe civili. Quinto dicitur Novum, quod non transcendit primum Feudatarium, seu non obtinetur successione, sed prima institutione; dicitur Paternum, quod scilicet cœpit obtineri a parentibus usque ad quartum gradum inclusive; Dicitur Antiquum, quod cœpit obtineri a majoribus supra quartum gradum, videlicet non solum a patre, vel matre, Avo, Abavo, Atavo, sed etiam a Tritavo. Sexto dividitur in Masculinum, quod scilicet tantum masculis conceditur; & Fœmininum, quod etiam fœminis. Septimo, in Hæreditarium, quod scilicet ad hæredes, quamvis extraneos, potest transmitti, & Non hæreditarium, quod scilicet ad Agnatos transmitti debet, etiamsi non sint hæredes. Octavo, in Indivisibile, quod nequit dividi, ut Ducatus, Marchionatus, &c.; & Divisibile, quod scilicet dividi potest, ut sunt, quæ dignitatem non continent.

## ARTICULUS II.

## De Conditionibus Feudi, &amp; Emphyteusis.

- I. Ut Feudi Contractus celebretur, sex conditiones requiruntur; praesertim quod fiat in re immobili, & cum debitis solemnitatibus. Nec potest Feudum oppignorari, sicut oppignorari potest res emphyteutica.*
- II. Emphyteusis etiam varias conditiones requirit; praesertim (sicut in Feudo,) quod Emphyteuta transferatur dominium utile, & concedatur possessio naturalis, & physica rei illius immobilis; non tamen possessio civilis.*
- III. Quid requiritur, ut possit Emphyteuta ius suum utile alteri donare, aut rem emphyteuticam legare, permutare, hypothecare, aut oppignorare? Et quando laudemium solvendum sit?*
- IV. Emphyteuta incidit in commissum, quando pensionem non solvit per duos annos, si res Emphyteutica sit Ecclesiastica; aut per tres, si sit laica. Et quando hac re dedit ad proprietarium citra culpam Emphyteute, huic melioramenta utilia, & gravia compensanda sunt.*
- V. Pensio non est solvenda, si citra culpam Emphyteuta res pereat. Quid si deterior fiat?*
- VI. Qui incidit in caducitatem, poterit moram purgare celeritate solutionis intra decem dies.*
- VII. Si res emphyteutica transeat in manus mortuas, solvi debet domino directo quindennium.*

**I.** **Q**uæritur primo: Quanam conditiones requirantur ad Contractum Feudi?

Respondeo requiri, Primo, ut in re immobili, puta in agro, vel in re pu-

tata immobili, ut in redditibus perpetuis, constituatur. Secundo, quod talis rei transferatur in Feudatarium solum dominium utile, & concedatur proinde possessio naturalis, retento apud Infeudatorem dominio directo, & possessione civili; cum non possideat illud Feudatarius nomine proprio, sed nomine domini directi. Tertio, quod Feudatarius investiat, seu mittatur in possessionem ab Infeudatore, & illi juret fidelitatem. Quarto, quod feudum concedatur solum propter obsequium personale, si scilicet a domino directo exigatur; aliter incidat in caducitatem, seu feudum amittat: Quamvis aliquando soleat concedi etiam ob pensionem realem, tunc autem non est purum feudum. Quinto, quod Feudatarius non possit sine consensu domini feudum alienare; & si alienet, alienatio sit irrita, & feudum amittat: Immo nec potest illud oppignorare, sicut potest oppignorari res emphyteutica; Et disparitas est, quia aliquando ad solvendam pensionem emphyteusis opus est rem emphyteuticam oppignorare; at ad solvendum obsequium personale Feudatarius oppignoratione non indiget. Sexto, ut Investitura, seu missio in possessionem fiat cum debita solemnitate coram testibus, & in conspectu rei in feudum data.

**II.** Quæritur secundo; Quanam conditiones ad Emphyteusim requirantur? Respondeo requiri jure communi, Primo, quod instituat in rebus immobilibus fructiferis, & solo adherentibus, ut in agris, domibus, &c. Secundo, quod transferatur in Emphyteutam dominium utile, atque adeo concedatur possessio naturalis, & physica, non vero civilis; nam dominus directus possidet illam civiliter, seu nomine proprio: Unde fit, quod Emphyteuta solum possit praescribere quoad dominium utile, non quoad dire-

directum; cum ad præscriptionem requiratur possessio civilis, quam Emphyteuta non habet relate ad dominium directum.

III. Tertio, quod nequeat Emphyteuta jus suum utile alteri vendere non admonito prius proprietario, ut si velit, possit illud intra duos menses emere; alias illud amittit. Potest tamen Emphyteuta jus utile suum alteri donare, verum rogando proprietarium, ut investiat, seu in possessionem rei mittat donatarium; quod tenetur intra duos menses propriarius efficere, si persona sit talis, ut possit facile ab illo obtinere pensionem. Præterea potest Emphyteuta simili modo rem emphyteuticam legare, permutare, locare etiam ad decennium, hypothecare; & si non sit res Ecclesiastica, etiam oppignorare, rogato etiam proprietario, ut intra duos menses in possessionem mittat, ubi est necessaria possessio, alias rem amittit. Ubi notandum, quod si Contractu res alienetur, scilicet venditione, donatione, legatione, permutatione, & locatione ad minus ad decennium, tunc solvendum sit laudemium pro pretio a novo Emphyteuta ob laborem mittendi alium in possessionem: Quod tamen non est solvendum, si res detur filix in dotem, aut si hæres necessarius illam accipiat titulo hæreditatis: Laudemium autem solvendum est ex Trull. dub. 8. in conscientia, etiamsi non petatur, domino directo ab eo, cui res venditur, vel donatur, vel oppignoratur, quod in Regno Valentino est decima pars pretii, si vendatur; vigesima vero si oppignoretur.

IV. Quarto requiritur, ut Emphyteuta obligetur solvere proprietario quotannis, aut alio præfixo tempore certam pensionem, seu canonem, aut in pecunia, aut in fructibus, prout convenitur: Hæc autem regulariter

*Pars IV.*

debet esse minor, quam valeant fructus rei; quia non solvitur ad lucrum, sed in recognitionem domini directi: Quod si pensio non solvatur per duos annos, quando res emphyteutica est Ecclesiastica, vel per tres, quando est laica, Emphyteuta incidit in caducitatem, seu in commissum, hoc est rem illam amittit cum melioramentis, etiamsi sit superior pii loci: Quamvis pio loco concedatur deinde restitutio in integrum, sicut Minori. Quando vero res emphyteutica redit ad proprietarium sine culpa Emphyteutæ, vel quia finitur emphyteusis, vel aliter, tunc melioramenta utilia gravia, quæ magnis expensis emphyteutæ accreverunt rei, solvenda sunt Emphyteutæ secundum valorem, quem tunc habent; non vero non utilia, aut non gravia, aut quæ casu accreverunt, &c.

V. Notandum tamen primo, quod si absque culpa Emphyteutæ res pereat, liber hic sit ab obligatione pensionis, ( nisi forte se obligavit ad casus fortuitos, ) quia res domino perit: Si tamen pars rei supersit, non potest cedere emphyteusi, ut notat Bonac. num. 16., sed debet adhuc integram pensionem solvere, dummodo non sit magna; tunc enim ex æquitate videtur diminuenda: Quod si res fiat notabiliter deterior ex culpa etiam levi Emphyteutæ, potest hic illa privari, ut notat Hurtad. diff. 13.; Quamvis nonnulli id negent de re emphyteutica laica.

VI. Notandum etiam, quod qui culpabiliter omisit solvere pensionem per biennium in Ecclesiastica emphyteusi, aut per triennium in laica, tunc rem amittit, quando propriarius declarat se velle Emphyteutam in eam amissionem incidisse; & probabiliter ad id tenetur ante sententiam judicis; Potest tamen Emphyteuta purgare moram celeritate solutionis intra decem dies.

N

VII.

VII. Notandum demum ex Trull. dub. 8. quod quando res emphyteutica transit ad manus mortuas, verbi gratia, in Ecclesiam, Universitatem, Collegium, quæ nunquam pereunt, tunc ne dominus directus privetur laudemio, quod haberet, si res emphyteutica sit in manu privati, qui facile moritur, debet illi solvi quinquennium; hoc est decimoquinto anno solvi debet domino directo tanta pecunia, quanta correspondeat quantitati ultimi laudemii, ut docet Riccius punct. 43.

## ARTICULUS III.

Quinam possint in feudum, vel emphyteusim dare, aut accipere, & succedere? Et quando feudum amittatur?

- I. In feudum, ac emphyteusim dare possunt, qui liberam habent bonorum administrationem; Unde nequeunt Pupillus, Minor, Furiosus, Prodigus habens Curatorem.
- II. Episcopo id prohibetur, nisi relate ad bona, quæ solita sunt dari in emphyteusim, aut in feudum: Quænam autem dicantur sic solita dari?
- III. In feudum accipere, ac succedere possunt, qui instituuntur, si nullo jure excludantur.
- IV. Fœmina non succedit, nisi feudum sit fœmineum, ita ut expresse admittatur.
- V. Sine culpa Feudatarii potest quinque modis feudum amitti.
- VI. Potest etiam feudum amitti ob culpam Feudatarii; præsertim ob gravem ingratitude[m] erga dominum directum, aut si alium proditorie occidat. Num feudum transeat ad Fiscum ob crimen heresis, aut læsa majestatis?
- VII. Amisso feudo quænam melioramenta debentur domino directo, qua-

nam vero debentur ipsi Feudatario?

I. **Q**uæritur primo: Quinam possint res suas immobiles in feudum, & in emphyteusim tradere?

Respondeo, in feudum, & in emphyteusim dare posse omnes, & solos, qui suorum, vel alienorum bonorum liberam habent administrationem; quandoquidem per hos Contractus habetur quædam species alienationis; cum dominium utile aut in perpetuum, aut per longum tempus transferatur: Unde fit, quod Pupillus, Minor, Prodigus habens Curatorem, ac Furiosus cum non habeant liberam suorum bonorum administrationem, non possint in feudum, aut in emphyteusim dare.

II. Nec possunt Episcopi, & alii Prælati inferiores, quamvis habeant liberam administrationem bonorum suorum Ecclesiasticorum; quia id iis prohibetur in *Extravag. Ambitiose, de Rebus Ecclesie non alienandis*. Excipiuntur tamen bona, quæ solita sunt dari in emphyteusim, aut in feudum; quia ea dari similiter possunt in evidentem Ecclesiarum utilitatem. Dicuntur autem solita dari, quæ bis saltem data sunt, vel si elapsi sint quadraginta anni, quamvis semel sint data.

III. Quæritur secundo; Quinam possint in feudum accipere, & succedere?

Respondeo, posse in feudum accipere eos omnes, qui ex una parte instituuntur in Contractu feudi successoris, & ex alia parte nullo jure excluduntur a successione.

IV. Unde fœmina, quia ad servitium personale est minus apta, non solet succedere, nisi quando feudum est fœmineum; seu quando expresse admittitur.

V. Quæritur tertio: Quibus de causis feudum amittatur?

Respondeo posse feudum amittitum

tam per culpam, quam sine culpa Feudatarii: Sine culpa amittitur quinque modis: Primo, lapsu termini præscripti in institutione: Secundo, morte Feudatarii: Tertio, renunciatione feudi. Quarto, professione in Religione incapaci: Quinto, præscriptione triginta annorum, quibus alter feudum possederit bona fide tanquam Feudatarius.

VI. Ob culpam vero amittitur, Primo ob gravem ingratitudinem in dominum directum, ratione cujus sit dignus privatione feudi; videlicet si Feudatarius fugit deserendo dominum in bello periclitantem, quando eum poterat juvare sine amissione suæ vitæ; Vel si sciens parari domino insidias, eum non faciat certiore; Aut si ipse hostiliter dominum infecutus est; Vel si filius, aut vassallus Feudatarii offendit dominum, & Feudatarius admonitus a domino non adducit illum ad petendam veniam; Vel si turpiter lusit cum uxore, filia, aut nepte domini; Vel si Feudatarius vocatus ad Curiam contemnit venire; Vel si domino exigente obsequium debitum neget se esse Feudatarium illius; Vel si abutatur jure feudi alienando illud sine consensu; ( traditione tamen secuta ) Vel si dominum detulit apud ju-

dicem etiam ex jussu, excepto crimine hæresis; Vel demum si hæres Feudatarii non petit investituram intra annum post adeptionem feudi, aut si ipse feudatarius post obitum domini directi non petit intra annum renovationem investituræ; Secundo, amittitur feudum ob culpam Feudatarii contra alium a domino directo; videlicet si occidat fratrem suum, aut si occidat aliquem proditorie: Feudum autem nunquam transire ad Fiscum docent non pauci apud Azor., & Hurtad.; Aliqui tamen putant transire ob hæresim, vel crimen læsæ Majestatis, si feudum sit novum; transit vero ad dominum directum, si ob ingratitudinis culpam amittatur.

VII. Quæritur quarto: Ad quem pertineant melioramenta, quando feudum transit ad dominum directum?

Respondeo, melioramenta, quæ ex industria Feudatarii accreverunt, & sunt a feudo inseparabilia, ut ædificium, jurisdictio, aut alia servitus, ea deberi Feudatario secundum æstimationem, quam habent tunc, quando feudum amittitur: Alia melioramenta, quæ casu, aut naturaliter accreverunt, debentur domino: Vide de his Azor. lib. 10. cap. 20., Julium Clarum, & alios Jurisperitos.



## Q U Æ S T I O VI.

### De Cambiis .

**E**Xaminabimus primo, Quid, & Quotuplex sit Cambium? Secundo, Quid ferat Cambium minutum? Tertio, Quid Cambium locale? Quarto discutiemus conditiones a Pio V. requisitas ad Cambium locale. Demum, Quodnam sit Cambium ficcum, & Usurarium?

#### ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Cambium?

*I. Cambium est Permutatio lucrosæ pecunie pro pecunia diversa, sive quoad materiam, sive quoad pondus, sive quoad locum.*

*II. Campsor tradens pecuniam Campsario, non transfert illius dominium, nisi sequatur traditio alterius pecunie facta a Campsario.*

*III. Dividitur Cambium in verum, & fictum, seu ficcum; in Minutum, & Locale, quod etiam triplex est.*

*IV. Quodnam dicatur Cambium Custodia?*

*V. Ut taxetur pretium iustum Cambiorum, attendenda præsertim est translatio, & affectuatio pecunie, ac proinde distantia locorum, & periculum viarum, necnon copia, aut inopia Campsorum, & Campsarium.*

**I**dem sonat Cambium, ac Permutatio rei pro re; Cambire enim, & commutare sunt synonyma; Verum Cambium stricte sumptum definitur, quod sit *Permutatio lucrosa pecunie pro pecunia diversa*; sive sit diversa quoad materiam, sive quoad pondus, sive quoad locum, &c.; Aliqui cum Cajet. reducunt Contractum Cambii ad emptionem, & venditio-

nem; nam pecunia præsentis emitur pecunia absens, (eo quod absens potest habere rationem mercis) tum ratione materiæ, quia melior est, vel deterior; tum ratione commoditatis conservandi, vel transportandi, vel numerandi; tum ratione distantie localis: Alii reducunt Cambium ad Contractum locationis, & conductionis operum: Alii ad Contractum permutationis, itaut sit species permutationis pecuniam pro pecunia permutare, esto id fiat ex intentione lucri.

**II.** Petes, an Campsor dans pecuniam Campsario transferat illi dominium per traditionem?

Respondeo non transferre dominium absolute, sicut transfertur in mutuo, sed transferre sub conditione, quod Campsarius tradat aliam pecuniam; nam usque ad secundam hanc traditionem non habetur perfecta permutatio. Ubi notandum, officium Campsoris vetitum esse Clericis, quibus prohibetur negotiatio.

**III.** Porro dividitur Cambium, Primo in Verum, seu Reale, & Fictum, seu Ficcum. Verum est, quando sine ulla simulatione habetur permutatio, & solutio pecuniæ. Fictum est, quando finguntur mitti literæ campsoriæ, ut alibi fiat solutio, quamvis revera aut non mittantur literæ, aut non fiat alibi solutio, sed in eodem loco; Unde pro dilatione alicujus hebdomadæ ad restituendam pecuniam accipitur lu-

erum; quod est proprie mutuuum, & usura: Dicitur tale Cambium siccum, quia caret titulo ad lucrum, & sic caret humore ad fructificandum.

Dividitur secundo in Minutum, & Locale, seu per literas; Minutum est permutatio pecuniæ diversæ speciei, vel rationis, ut aureæ cum argentea, hujus cum ærea, numismatum majorum cum minoribus, arrosorum cum integris, antiquorum cum novis, patriorum cum externis, vetitorum cum legitimis, &c. Locale Cambium, seu per literas est, quando permutatur pecunia præsens cum absente, quod per literas fieri solet.

Hoc autem Locale Cambium tripliciter fieri contingit, Primo, si Campsor prior accipit pecunias a Campsario, ut ei illas restituat in loco distante; Secundo, si e contra Campsarius prior accipit pecunias a Campsore, ut illas ei restituat in loco distant. Tertio, si Campsor tradit hic, verbi gratia Neapoli, pecuniam Campsario, quam postea recipiat hic etiam post recambium.

IV. Datur demum cambium custodia, quod est improprie Cambium, & consistit in hoc, quod Campsor, seu nummularius, vel trapezita, seu bancarius, vel depositarius custodiat pecunias apud se depositas; habetque rationem dati, & accepti, & paratus est semper restituere; Pro hac tamen custodia exigit aliquod lucrum, seu stipendium: Quia tamen regulariter non restituitur eadem ratio moneta, ideo talis custodia habet rationem Cambii, ut videre est apud Sal. dub. 20.

V. Universim circa omnia hæc Cambia notandum est ex Hurt. diff. 8., illud censeretur lucrum justum, quod vel lege taxatur, vel iudicio peritorum in officio; Qui, ut prudenter taxent, attendere debent ad peculiare titulos, & causas, ob quas in quolibet Cambio licitum est lucrum: Verbi gratia

in Cambio locali spectanda est translatio, & assecuratio pecuniæ, atque adeo advertendum ad distantiam localem, & ad viam, per quam fit translatio, cum hæc ad assecurationem pecuniæ pertineant: Et universim in quolibet Cambio attendenda est copia, vel inopia Campsorum, & Campsariorum, quia minus debet esse lucrum, quando est copia Campsorum; non secus ac quando est copia vendentium, minoris res valet.

## ARTIC. II.

An Cambium Minutum ferat palliatam usuram?

- I. Cambium minutum fert pecuniarum permutationem cum lucro.
- II. Non est usurarium, si ex justis titulis lucrum consonum reportetur.
- III. Justi tituli sunt, Permutatio pecuniarum ex officio; Obligatio cambiendi; necnon commoditas, quæ datur Campsario cambiendo pecunias minutiones cum grandioribus.
- IV. Num famulus cambiendo pecunias domini, ipso inscio, possit sibi lucrum retinere?
- V. Est pariter justus titulus lucrum cessans, aut damnum emergens, sicuti etiam si dentur pecunia puriores, aut rariores.
- VI. Nequit pecuniam adulterinam pro vera expendere, qui illam pro vera accepit.

I. **C**ambium minutum regulariter est illud, in quo dantur pecuniæ grandiores pro minoribus, vel e contra, exigendo aliquid pro tali permutatione.

II. Utrum autem lucrum hoc sit usurarium? Respondeo cum communi negative, dummodo iudicio prudentium taxatum sit. Ratio est, quia pluribus

titulis huiusmodi lucrum iuste, & licite accipi potest.

III. Primus titulus est, quia ex officio Campsor cambit; occupatio enim, & opera in congerendo pecunias, in numerando, custodiendo, expectando, & in exhibendo se paratum ad eas permutandas in gratiam, & ad petitionem Campsariorum, digna est aliqua compensatione, & lucro.

Secundus titulus est obligatio ad cambiendum; quando scilicet Campsor a Principe, vel a Republica ad id obligatur in gratiam Campsariorum, non tamen quando ille sponte cambit: Sicut enim obligatio ad mutuandum est pretio aestimabilis, quia fert de se onus, ita obligatio ad cambiendum.

Tertius est, quando dantur pecuniae grandiores pro minoribus, dando verbi gratia aurum, vel argentum pro moneta aerea; quia pecunia grandior Campsario est commodior ad transferendum, custodiendum, numerandum, &c. Neque dicas, quod Princeps in taxatione pretii pecuniae grandioris, puta aureae, attenderit ad omnem utilitatem, & commoditatem, quam de se fert; alias non iuste taxaret, cum utilitas pecuniae ad eius valorem conducatur. Nam contra est, quia quamvis Princeps attenderit ad haec omnia, taxando pretium pecuniae, prout pecunia est mensura ad emptionem, & venditionem rerum, & ad solutionem debitorum; at non quatenus est res quaedam, quae possit emi, vendi, cambi, locari; constat enim pluri aestimari idem pretium, puta aureum in moneta grandiori, quam in minori, ob dictas commoditates.

IV. Hinc sequitur primo, lucrum ex hoc titulo non posse accipi, si contra dentur monetae minores pro grandioribus. Sequitur secundo, quod si famulus acceperit a domino suo mille aureos in auro solvendo Creditori

ipsum domini, & illos cum lucro commutet cum argenteis, vel aereis, quos solvit creditori, possit sibi tale lucrum retinere, quando dominus non curat, qua specie solutio fiat. Ratio est, quia tale lucrum est fructus industriae, & non valoris pecuniae in ordine ad solutionem: Sicuti si fur, aut usurarius alienam pecuniam negotiatur, non tenetur lucrum restituere; quamvis debeat domino compensare damnum emergens, aut lucrum cessans: Quod si dominus vellet solutionem illam mille aureorum fieri creditori in moneta aurea, peccat venialiter famulus (ut notat Hurtad.) contra iustitiam in dominum non exequendo voluntatem illius, si restituat in argentea; peccat etiam contra iustitiam in creditorem venialiter, vel mortaliter juxta quantitatem lucri illi cessantis, & tenetur illud compensare, si scilicet creditor fuisset ex tali pecunia lucrum reportaturus; non tamen si erat communi pretio expensurus, quia sic nullum damnum intulit, ut notat idem Hurtad., & Less. apud Trull. dub. 2.

V. Quartus titulus communis multis aliis Contractibus est lucrum cessans, aut damnum emergens Campsari, ut habeat pecunias paratas ad cambiendum; potest enim pro hac causa tantum accipere, quanti aestimatur spes illa lucri, aut expositio periculo damni in gratiam Campsariorum. Sunt etiam aliquando alii tituli, videlicet tum ratione puritatis materiae, si scilicet dentur centum aurei purissimi antiquiores, vel exteri pro aliis aureis, quibus aliquid metalli est admixtum; tum ratione antiquitatis, vel raritatis, eo quod pluri aestimantur; tum ratione expendibilitatis, quando scilicet commutantur nummi, qui expendi possunt cum iis, qui non possunt; Et universim pro ratione plurium, vel pauciorum titularum, quatenus concurrant, potest majus, vel minus lucrum a Campsario

psoribus accipi.

VI. Quæritur hic, an qui scienter, aut ex inadvertentia pecuniam adulterinam accepit, possit illam cum veris miscere, & sic pro vera illam expendere?

Respondeo certum omnino esse, quod non possit; Ratio est, quia talis pecunia est vitiosa; res autem notabiliter vitiosa nequit alteri tradi vitio non detecto, ut diximus cum de Venditione. Neque ex eo quod quis fuerit deceptus, potest alios decipere: Sicut neque ex eo quod famulus meus furatus est a me, ideo possum ego ab aliis furari. Ita communiter cum Azor. part. 3. lib. 7. cap. 6., Bonac. hic num. 4.

ARTIC. III.

An Cambium Locale contineat usuram?

- I. Cambium locale triplex est, si scilicet pecunia hic accipitur a Campfore alibi restituenda; aut si hic accipitur a Campsario solvenda alibi; aut si hic accipitur a Campfore restituenda in hoc eodem loco.
- II. Primi generis Cambium locale licitum est propter monetæ translationem saltem virtuales, etiamsi Campsor indigeat hic pecunia alibi solvenda; Necnon propter assecurationem pecuniæ, ac propter officium cambiendi.
- III. Pariter si pecunia alibi restituenda sit pretiosior, aut rarior.
- IV. Provisiones Cambiorum, seu quod datur Campsori pro labore, & periculo, solet esse tertia pars scuti pro singulis centenariis.
- V. Secundi generis Cambium est pariter licitum, cum sex tituli concurrere possint ad lucrum reportandum.
- VI. Cambium, & Recambium, seu cum

Recurfa, multipliciter haberi potest. Probabilius est Cambium siccum esse usurarium; & solum speculativè est probabiliter licitum, si in eo concurrant conditiones a Pio V. requisita.

VII. Num Campsor dans bona fide pecuniam restituendam Romæ, possit lucrum retinere, si deprehendat, quod Campsarius careat Romæ pecunia, qua restituatur?

I. Triplicis generis est, ut diximus, Cambium locale: Primo scilicet, quando Campsor accipit hic, verbi gratia Neapoli, pecunias restituendas Campsario in loco distantis: Secundo, quando Campsarius accipit hic pecunias Campsori restituendas in loco distantis: Tertio, quando Campsor accipit hic pecunias Campsario restituendas in hoc eodem loco.

II. Quæritur nunc primo: An sit licitum Cambium locale primi generis, quando scilicet Campsor accipit, verbi gratia hic Neapoli, pecuniam a Campsario cum obligatione restituendi illam Romæ Procuratori Campsarii, & interim accipit a Campsario aliquod lucrum?

Respondeo cum communi affirmative; Ratio est, quia possunt varii tituli concurrere ad reddendum licitum, & iustum tale lucrum: Primo scilicet ratione virtualis translationis monetæ in locum distantem; nam Campsor veluti transfert Romam pecuniam, levando sic eo onere Campsarium; Unde fit, quod quo major est distantia horum locorum, eo majus stipendium accipi possit, etiamsi pecunia utrobique ejusdem valoris sit. Idcirco autem ex hoc titulo accipi aliquid potest, quia sicut translatio pecuniæ formalis digna est aliqua compensatione, si fiat in gratiam Campsarii, ita translatio ista virtualis; non enim est minus utile Campsario, quod transferatur pecunia for-

formaliter, quam quod æquivalenter per hoc, quod Campfor habeat Romæ correspondentem, qui suo nomine pecuniam illam solvat; Et quod habeatur talis correspondens, est fortuna, vel industria, vel utraque simul Campforis: Sicuti si quis locaturus est operam alicujus mittendi, verbi gratia Romam, ut reducat equum ad hanc Civitatem, si casu aliquis eo iturus est, & ad id faciendum se obligat, potest sibi pretium congruum accipere; quia id suæ fortunæ debet tribuere.

Non negandum tamen, quod cum translatio hæc virtualis non sit involuta tot periculis, & difficultatibus, sicut translatio realis, non poterit Campfor tantum exigere, quantum si transferret realiter, ut notat Trull., & Bonac.; Sicut enim decrescit pretium rei ex multitudine venditorum, ita decrescit pretium pro translatione pecuniæ, quando virtualiter tantum transfertur; quia multi ad id se offerunt, cum sine magna difficultate fiat talis translatio.

Adde, tale lucrum posse accipi a Campfore, etiam si indigeat hic pecunia illa, quam accipit, ut Romæ illam restituat, (dummodo a Campfario ad id praveniatur,) propter easdem rationes: Sicut si Petrus debeat transmittere Romam suum equum, adhuc potest illum locare volenti Romam ire, & lucrum reportare. Ratio est ex Bonac.; quia sicut merx ultronea vilescit, ita qui prius rogat in casu nostro, viliores reddit partem suam; unde alter potest lucrum reportare; quamvis debuisset aliquid solvere, si prius rogasset.

Advertit tamen Villalob. apud Trull. dub. 3. esse rationi consonum, quod si uterque eodem modo indigeat tali cambio, neuter lucrum reportet.

Secundus titulus, quo Campfor in hoc casu potest lucrari, est Assuratio, quia Campfor non solum subit onus transferendi pecuniam, sed et-

iam subit periculum rei, itaut sibi periret, si forte perit. Neque obstat, quod revera transferendo solum virtualiter, & per literas pecuniam, nullum periculum subeat; Nam id fortunæ suæ tribuendum est: Unde fit, quod quo longius est iter, & quo majora sunt pericula, eo majus lucrum possit accipi.

Tertius titulus esse potest ratione officii, hoc est, si ex officio aliquis cambiret, obligatus ad id a Republica, vel a Principe.

III. Quartus, si pecunia esset majoris pretii in loco, in quo restituenda est: Potest autem pecunia habere majorem æstimationem, non solum intrinsicam, si scilicet sit majoris ponderis, sed etiam extrinsecam, verbi gratia ratione inopiæ, vel ratione multorum petentium pecuniam ad Cambium.

IV. Ubi nota cum Filliuc. apud Dian. part. 1. tract. 8. resol. 6., provisiones cambiorum, seu id, quod debetur Campfari pro labore, & periculo, ex inveterata, & immemorabili consuetudine inter mercatores, esse tertiam partem scuti pro singulis centenariis.

V. Queritur secundo: An sit licitum cambium locale secundi generis, quando scilicet Campfor dat hic pecunias Campfario, ut sibi ab eodem restituantur Romæ, & interim aliquod lucrum accipit?

Respondeo affirmative cum communi contra nonnullos apud Sal. dub. 7.; Primus enim titulus justiciæ est eadem virtualis translatio pecuniæ; nam Campfor in gratiam Campfarii veluti transfert huc pecuniam, quam ille habet Romæ; perinde enim est Campforem hic pecuniam pro absente numerare, ac illam huc transferre. Secundus titulus ratione virtualis assurationis, ut diximus in primo quaesito. Tertius etiam ratione officii, si sci-

scilicet ex obligatione Campfor tale munus exerceat. Quartus, si pecunia esset majoris pretii hic, ubi solvitur, quam Romæ, ubi restituenda est. Quintus, quia communiter magis aestimatur pecunia præsens, quam absens, cum illa facilius sit, & commodior ad contrahendum: Ex quo sequitur, quod quando econtra Campfor accipit pecuniam præsentem pro absente, debeat decrescere aliquantulum ex hoc capite lucrum, quod iuste ob alios titulos exigitur. Sextus esset ratione lucri cessantis, vel damni interim emergentis. Septimus ratione incommodorum, quibus se exponit Campfor, ut pecuniam suam Romæ recuperet; unde poterit pignus, vel fideiussorem exigere pro crediti securitate.

Ex dictis sequitur, quod etiam qui non est mercator possit aliquod lucrum ex cambio accipere ex plurimis titulis, ut notat Salas dub. 46.

VI. Queritur tertio: An licitum sit tertii generis Cambium locale per litteras cum recambio, vulgo *Con la Ricorsa*? Sciendum autem, quod ad hoc Cambium quatuor personæ concurrunt, duæ hic, videlicet Campfor, & Campfarius, & duæ, verbi gratia, Romæ, scilicet correspondens, seu Factor Campforis, & correspondens Campfarii: Nam Campfor dat hic Campfario pecuniam restituendam Romæ factori Campforis a factore Campfarii, & sic habetur Cambium cum lucro; deinde factor Campforis veluti fingit se recipere Romæ pecuniam debitam a factore Campfarii, & iterum dare illi ad Cambium, obligando se, quod illa Neapoli restituenda sit a Campfario eidem primo Campfario, & sic habetur recambium, pro quo accipitur secundum lucrum a Campfore; primum scilicet sibi debitum propter primum Cambium, & secundum debitum suo factori existenti Romæ

*Pars IV.*

propter recambium; Aliquando etiam in hoc cambio cum recambio, seu cum recurfa idem est correspondens, seu factor Campforis, & Correspondens Campfarii, qui utrumque munus gerit in loco distant, verbi gratia Romæ, & in quantum factor Campfarii acceptat litteras, & solvit Romæ pecuniam acceptam a Campfario Neapoli; in quantum vero factor Campforis, pecuniam Romæ solutam iterum dat ad cambium solvendam Neapoli a Campfario. Unde quando Campfarius non habet Romæ correspondentem, solet Campfor offerre illi correspondentem suum, ut utriusque partes impleat.

Aliquando tamen nec Campfor, nec Campfarius habent Romæ Correspondentes, sed Campfor habet Romæ famulum, cui scribit, ut pecuniis ipsiusmet Campforis solvat sibi ipsi pro Campfario pecuniam, quam recepit Neapoli, & postea remittit solutionem faciendam Neapoli ipsi Campfario a Campfario. Quod autem dicitur de pecunia accepta hic solvenda, verbi gratia Romæ, dicitur de pecunia accepta hic, solvenda in proximis nundinis, quæ erunt verbi gratia post tres, vel quatuor menses. His explicatis

Respondeo, multos Doctores cum Comit., Molin., Sor. apud Dian. part. 1. tract. 8. resol. 1. putare, cambium hoc esse siccum, & usurarium, & lucrum esse omnino restituendum; quia solutio, quæ fit Romæ a correspondente Campfarii correspondenti Campforis, est omnino ficta, & imaginaria, & literæ sunt omnino inanes, & apparentes: Quæ opinio communior est probabilior, & suadenda. Verum Azor., Less., Sà, Salon., & alii apud eundem Dian. probabiliter putant non esse usurarium, dummodo in eo cambio adsint conditiones requisitæ a Pio V., de quibus articulo sequen-

O t;

ti; quæ opinio videri potest speculative dumtaxat probabilis, quatenus practice fere semper desunt conditiones ad cambium requisitæ. Ratio est, quia tam in cambio, quam in recambio potest haberi vera pecuniæ permutatio; nam campfarius recipit Neapoli pecuniam solvendam Romæ a suo factore factori campforis; Quamvis autem factor campfarii non habeat Romæ pecuniam ullam realiter, habet tamen virtualiter, & credito, quatenus potest illam facile habere, si ab alio ibi recipiat ad Cambium; Quod si potest recipere ad cambium ab alio, quidni etiam possit illam ad cambium recipere ab eodem correspondente campforis, solvendam Neapoli a campfario eidem primo campfori? Sic autem habetur vera permutatio pecuniæ tam in cambio, quam in recambio. Certe si campfarius cogere a Campfore ad recambium, contractus esset illicitus, sicut dicitur de contractu Mohatra; Quando autem ad id non cogitur, sed offert commoditatem recambii, ut facilius possit solvere Romæ pecuniam debitam, videtur id favere potius Campfario, quam illum gravare, ut dicitur de eo, qui vendit caro pretio, & deinde se offert ad reemendum pretio infimo, videns, quod ille ideo emit caro pretio, ut vendat infimo, & sic habeat pecuniam, qua indiget. Certum etiam est, quod si Campfores in his cambiis habeant perversam intentionem lucrandi ex dilatione solutionis, talis intentio esset usura mentalis; Secus vero si dent cum animo negotiandi, & cum lucro consono permutandi illam pecuniam eo pacto, quo licite fit inter mercatores. Salon. apud Trull. dub. 5. putat hoc genus cambiendi esse licitum, quia publice exercetur ab omnibus mercatoribus Italiæ, scientibus, & permittentibus Episcopis. Docent quippe

Doctores cum Riccio apud eundem Trull., quod contractus, qui publice, & communiter etiam a prudentibus, & timoratis exercetur, quamvis sit suspectus, non debeat judicari sceneratitius; Et ratio videtur esse, quia cum licite possit campfor dare ad cambium, quamvis videat campfarium non aliter soluturum pecuniam, quam petendo ab alio recambium, licite pariter poterit dare ad cambium, quando campfarius ab eodem campfore petit sponte, ut per suum correspondentem, vel famulum fiat solutio, vel recambium; In hoc enim casu videtur haberi verum cambium non fictum, quia literæ, quæ mittuntur, sunt causa veræ permutationis, in tantum ut si correspondens, vel famulus campforis interim fugeret, vel decoqueret, non teneretur campfarius ad interesse, seu lucrum cambii, sed solum ad sortem principalem, eo quod in tali casu non intercessisset vera permutatio.

Equidem tamen censeo, sine scrupulo contractum hunc exerceri non posse a Campfore, qui videt Campfarium non habere pecuniam alibi, sed ad cambium hoc cum recambio redigi ex necessitate, quam habet mutui. Ratio est, quia quamvis verentur tales literæ, non deserviunt ad aliud, quam ad palliandam ingentem usuram; quia revera campfor videt campfarium simul determinari ad cambium, & ad recambium, atque adeo videt utrumque lucrum cambii, & recambii percipiendum esse mere ex dilatione tanti temporis, quantum requiritur, ut literæ eant, ac redeant. Unde Bonac. num. 11. advertit, quod quamvis licite fieri possit talis contractus speculative loquendo, valde tamen periculosus sit in praxi; præsertim in continuatione cambiorum, quibus ad multos menses, & annos renovantur cambia, &

recambia, reducto ad principalem sortem lucro primorum cambiorum.

VII. Queritur quarto: An campfor, qui bona fide dedit campfario pecuniam solvendam Romæ, existimans, quod ibi habeat ille pecuniam, si deprehendat deinde, quod Romæ non habeat pecuniam, possit lucrum cambii percipere?

Respondeo, Sal., & Ledesm. apud Dian. part. 1. tract. 8. resol. 14. negare; quia cum campfarius fiste, & sine animo se obligandi promiserit, non tenetur in conscientia implere, sed tenetur solum de damno emergente, & lucro cessante. Molin. tamen cum Less., & Dian. affirmant; quia cum campfor bona fide contractum impleverit ex parte sua, tenetur etiam alter ex parte sua implere illum quantum potest; aliter semper contractus paterent fraudibus, & contra-hentes possent cum magno suo incommodo eludi.

#### ARTICULUS IV.

De Conditionibus a Pio V. requisitis ad Cambium Locale, ne sit ficcum, & usurarium.

I. Bulla Pii V. damnat ut usuraria Cambia, & Recambia, seu cum Recursa, & quatuor conditiones requirit ad licite cambiendum.

II. Nequit Campfor ratione dilationis lucrum accipere.

III. Neque pactum fieri potest de solvendo certo interesse, si solutio differatur. Num sit irritum tale pactum, an solum illicitum, ubi Bulla est recepta?

IV. Pecunia nequit ad Cambium dari, nisi pro nundinis proximis. Quanam dicantur nundina proxima?

V. Nequit terminus solutionis protrahi cum maiori lucro plus, quam exigit distantia locorum. Quid si mer-

catorum iudicio tempus hoc solutionis protrahatur cum lucro ob iustos titulos?

I. **Q**uatuor sunt conditiones a Pio V. requisitæ in Bulla de cambus edita anno 1571., in qua damnat etiam tanquam usuraria, & ficca cambia, in quibus ex intentione contrahentium fit solutio in eodem loco, eo quod alter alibi pecuniam non habeat.

II. Prima conditio est, ne Campfor ratione dilationis ultra terminum præstitutum concessa paciscatur de aliquo lucro, cum id sit usurarium.

III. Secunda, ne ab initio, vel postea fiat pactum de certo interesse, etiam in eventu, quo non fieret solutio tempore debito; Quæ prohibitio fit ex præsumptione fraudis usurariæ. Quare si constet fraudes in aliquo casu non adesse, & pactum esse justum, putat Dian. part. 1. tract. 8. resol. 15. cum Granad. contra Rebel., & Sal. dub. 13., quod non peccet mortaliter, qui tale pactum faceret: Less. vero cap. 23. num. 88., & Reginald. contra Filliuc. putant, quod quamvis tale pactum esset illicitum, & graviter peccaminosum, ubi ea Bulla est recepta, non sit tamen irritum. Notat tamen Less. num. 93., Sal. dub. 26., Rebel., Bonac., Primo, paucis in locis, & forte nusquam talem Bullam esse receptam saltem quoad omnes conditiones; Secundo, prohiberi tantum pactum de certo, & determinato interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, non vero pactum de lucro incerto, quod cessabit campfori, si in loco constituto Campfarius non solvat tempore determinato; Nec prohiberi, ne moderata adjiciatur pœna, si tempore convento solutio facta non fuerit.

IV. Tertia conditio a Pio V. requisita est, ne detur pecunia ad cambium,



bium, nisi pro nundinis proximis, vel si nundinae non agantur pro terminis proximis, detur juxta consuetudinem locorum. Putant tamen Molin., Azor., & alii apud Bonac., & Sal. contra Valent. primo, quod non prohibeatur dare ad secundas, vel tertias nundinas ad cambium eodem pretio, quo daretur ad primas, quia talis lex statuta est in favorem campfariorum; Secundo, quod si proximae nundinae tam parum distarent, ut litera cambii pervenire non possint, ad hoc ut in eis solutio fiat, proximae intelligendae sint sequentes.

V. Quarta, ne termini ad solvendum longiores statuatur, quam postulat distantia locorum, ne scilicet detur occasio committendi usuras: Et sensus est, quod si distantia locorum exigit solum mensem, verbi gratia, ad faciendam solutionem, non protrahatur talis terminus solutionis ad duos menses cum incremento lucri: Est autem in Bulla sermo de terminis extra nundinas, cum non prohibeantur termini solutionum in nundinis: quamvis saepe triplo, vel sextuplo sint longiores, quam locorum intercapedo postulat; nam in iis locis non possunt commode alii termini constitui.

Videtur etiam improbari a Pio V. consuetudo illa, qua campsores eo amplius lucrentur, quo longius est tempus ante nundinas; cum prohibeat etiam, ne campfor protrahat tempus solutionis ob pactum recipiendi lucrum. Sed probabile est ex Sal. dub. 18., Cajet., Ledesm. & aliis contra Sor., Azor. apud Bonac. n.9. non improbari, quando communi mercatorum judicio id fit; quia ob multas causas licite variari potest pretium cambii ratione temporis longioris, vel brevioris. Primo scilicet, quia in longiori tempore majus est periculum amittendi fortem, & major est campforibus spes lucrandi per negotia-

tionem oblata occasione; Secundo, quia quo plures sunt menses ante nundinas, eo plures petunt pecuniam a campforibus, ut diu possint pecunia frui; quando autem plures sunt petentes, tunc crescunt pretia cambiorum; Tertio, quia quando conceditur plus temporis, quam natura cambii postulat, tunc virtualiter in uno cambio conceduntur multa cambia, quae campfarii deberent facere, si solum tempus necessarium ad translationem concederetur.

Confirmatur, quia in unoquoque foro illud censetur esse pretium iustum rerum, quod periti illius negotiationis, perspectis bona fide circumstantiis, imponunt, & quo inter se contrahunt, nemine conquerente; at qui periti, & probi campsores, & mercatores sic universim contrahunt, nemine conquerente, ut inspecto tempore longiori ante solutionem, pretium cambii ob causas enumeratas augeant; ergo non est hoc damnandum; aliter soli laxiores, qui hanc opinionem sequuntur, darent pecuniam ad haec cambia, quorum solutio valde distat, & sic pretia istorum cambiorum cum magno Reipublicae detrimento valde auferentur.

## ARTICULUS V.

### De Cambio sicco.

- I. Si campfarius nec formaliter, nec virtualiter habeat in loco distante pecuniam restituendam, tam cambium est usurarium, quam Recambium.
- II. Si campfor bona fide contraxit, debet campfarius servare illum indennem.
- III. Campfor, si non teneatur ex officio cambire, potest nolle dare ad cambium in loco, ubi parum lucratur, ut det, ubi plus lucretur.

Ali-

*Aliquando tamen peccat in hoc contra charitatem.*

*IV. Probabilius peccant etiam contra justitiam, qui circa cambia inveniunt Monopolia.*

*V. Quenam dicantur esse Monopolia circa cambia?*

**I.** EX dictis sequitur, cambium sic cum præcipue contingere in cambio locali, quando scilicet campfor dat pecunias campfario restituendas in loco, ubi hic pecuniam non habet nec formaliter, nec virtualiter in correspondente; In hoc enim casu campfor revera non transfert huc pecunias campfarii ex loco distante, cum alibi non habeat pecunias: Si tamen campfor cum campfario paciscatur, quod si præfixo tempore non solverit pecunias in loco distante, accipiat illas ad recambium cum iterato lucro ex illo loco distante, & hic ubi accepit, solvat dupliciter; in hoc duplici cambio injustitia committitur, & tam cambium, quam recambium erunt sicca, & sine ullo humore, seu iusto titulo, quo possint lucrum illud parere; Unde quia lucrum pro sola temporis dilatione acciperetur, esset usurarium, & injustum; nisi forte acciperetur pro lucro alio cessante, aut damno emergente.

**II.** Notandum tamen ex Hurtad. diff. 6., quod si hujusmodi cambium bona fide campforis fiat, quia scilicet credit campfarium in loco distante habere pecuniam formaliter, vel virtualiter, tunc poterit lucrum accipere, cogendo campfarium, vel quod solvat in loco distante, vel si hoc non possit, quod solvat in eodem loco cum eodem lucro, quod ab aliis reportasset, si ad cambium dedisset; cum enim campfor bona fide processerit, tenetur campfarius servare illum indemnem.

**III.** Quæritur primo: An possit cam-

por petenti ad cambium in loco, ubi multum lucrari non potest, nolle dare, nisi in loco, ubi magis lucratur?

Respondeo cum Salon., Veg., Sal. dub. 43., quod si Respublica, vel Princeps dederit obligationem cambiendi campfori, hic teneatur dare ad cambium in loco, ubi petitur, & dari solet; seclusa tamen ea obligatione, non peccat campfor contra justitiam in casu adducto; peccare tamen potest facile contra charitatem, & liberalitatem, nimis intendens propriis commodis, & parum curans gravia incommoda aliena, ut propria comoda prosequatur.

**IV.** Quæritur secundo; Utrum peccet etiam contra justitiam commutativam, an vero solum contra charitatem, & contra justitiam legalem, qui circa cambia facit monopolia?

Respondeo, Molin. disp. 345. in fine cum Lefs. cap. 21. dub. 20. probabiliter putare, quod solum contra dilectionem proximi peccet; Quod etiam probabiliter docent de iis, qui emunt res tempore abundantiaæ pretio iusto, ut deinde vendant carius, inducendo interim caritatem in Republica. Ratio est, quia res istæ, quæ emuntur, & pecuniæ, quæ præoccupantur in cambiis, nulli debentur ex justitia: alioquin peccarent contra justitiam, & tenerentur ad restitutionem etiam ii, qui vendunt res revendoribus, & servatoribus earum, quod nemo dixerit. Et ratio ulterior est, quia damnum, quod Reipublicæ sequitur, videtur sequi per accidens: Puniendi tamen sunt isti a Republica, & in pœnam cogi possunt, ut tempore caritatis vendant vilius, quæ ita in Reipublicæ præjudicium emerant: Communius tamen docent cum Gabriel., Sylvest., Angel. apud eundem Molin., quod peccent contra justitiam, & teneantur ad restitutionem damni per monopolium illati Reipublicæ, ut

ut diximus quaest. 2. art. 4. cum de monopolis: Et ratio est, quia videtur Respublica, & ejus subditi, si minus jure naturali, saltem jure gentium habere jus liberi fori, itaut per monopolia, similesque fraudes pretia rerum non augeantur; Et leges civiles, quae ubique esse solent prohibentes monopolia, videntur jus istud conferre summe necessarium, ut commercia cum indigenis, & externis stare possint.

V. Hoc autem pacto monopolia circa cambia fieri solent ex Sal. dub. 38., Nummularii initio nundinarum praecipue totam fere pecuniam sumendo eam ad cambium sub minori mercede ad diversa loca, ut sic ea in potestatem propriam redacta, non solum commune pretium pecuniae, sed etiam cambiorum mercedem augeant: Aliquando etiam inter se conveniunt cambiores de non cambiando, nisi pretio justo summo; nam si pretio

injusto cambirent, procul dubio contra justitiam peccarent, & ad restitutionem tenerentur.

Demum, ut notat Ledesm. apud Sal. dub. 30., cambior aliquando videns penuriam pecuniae esse in foro, solet pecuniam suam abscondere, servaturus in aliud tempus, quo plus valebit, & quando deinde videt pretium cambii auctum, illam manifestat; In quo casu peccatur quidem contra charitatem, & justitiam legalem, si id fiat cum notabili damno Reipublicae, non tamen contra justitiam commutativam; Quod etiam dicitur, cum quis, verbi gratia, occultat suum frumentum, & servat usque ad mensam Maii, ut carius vendat; quod certe est contra charitatem, si fiat in gravi necessitate Reipublicae; Quamvis Tolet. putet lib. 5. cap. 93. hoc esse etiam contra justitiam commutativam.

## Q U A E S T I O VII.

### De Locatione, & Conductione.

**E**xaminandum in primo, Quid sint? Secundo, Quid ferant? Tertio, Quomodo famuli, & alii conducere debeant? Ubi nonnulla alia huc spectantia resolvuntur.

#### ARTICULUS I.

Quid sint hi contractus, & quænam locari possint?

- I. Per locationem Persona, vel res ad usum, vel fructum pretio conducitur; Per conductionem vero Persona, vel res ad usum, vel fructum pretio accipitur.
- II. Quae possunt vendi, universim locari possunt; nisi aliquando id jure

vetetur. Res usum consumptibiles solum ad ostentationem locari possunt, non secus ac pecunia. Res vero locata potest sublocari, sine tamen detrimento primi locataris.

- III. Domus meretrici, aut usurario locari potest ab eo, qui non tenetur eorum peccata impedire; Non licet tamen sternere, verbi gratia, lectum meretrici, nisi forte ad mortem evadendam. Immo nec ad evadendam mortem licitum est esse

internuncium meretrici ad peccandum. Num liceat saltem ad mortem evadendam deferre literas provocantes ad peccatum?

IV. Tenere domum ludo expositam, si ut plurimum ludentes blasphement, aut furentur, nullatenus licet. Immo nec Principes possunt id permittere, quamvis possint permittere meretrices?

V. Non licet aurigis concubinam conducere ad Amasium, ne lucrum amittant.

VI. Ne metu quidem mortis licitum est cooperari cum peccato proximi, ponendo actiones proxime ad illud concurrentes, puta admoventes scellas volenti ascendere ad Virginem stuprandam.

VII. Cur aliquando possint in trivemiis, & in Castris permitti ludi, qui saepe cum blasphemis, furiis, & dolis conjunguntur; non tamen in Civitatibus? Et quare in Civitatibus Histiones permittantur?

VIII. Universim qui possunt vendere, possunt locare, & qui possunt emere, possunt conducere; nisi jure positivo id vetetur, ut in multis casibus.

I. **L**ocatio definitur Contractus, quo persona, vel res aliqua ad usum, vel fructum pretio conducitur: Dicitur, Quo persona, quia potest se ipsum quis, vel servum alteri locare: Dicitur, Vel res, sive mobilis, sive immobilis: Dicitur, Ad usum, vel fructum; quaedam enim locantur ad usum, ut saccus, equus, domus, &c.; quaedam ad fructum, ut ager, pascua, redditus, vectigalia: Dicitur demum, Pretio, idest re pecunia aestimabili; nam si fiat pro obsequio personali, verbi gratia, erit contractus innominatus, Do, ut facias, &c.; Quare distinguitur Locatio a Venditione, & Mutuo, quia per hac transfertur domi-

nium; distinguitur a Commodato, & Precario, quia his conceditur res liberaliter absque pretio; distinguitur a Deposito, quia vi depositi non conceditur usus rei, nec ejus fructus.

Econtra Conductio est Contractus, quo persona, vel res ad usum, vel fructum pretio accipitur; nam locatio, & conductio sunt contractus reciproci, ut emptio, & venditio.

II. Queritur nunc primo; Quanam possint locari, aut conducere?

Respondeo, ea omnia, quae possunt vendi, & emi, possunt pariter locari, & conducere, nisi jure aliquo prohibeatur; nam servitutes reales, ut praediales, possunt vendi, non tamen locari, ex leg. *Locare*, ff. *Locati*; sicut e contra bona pupilli, Minoris, Ecclesiae, & dotalia locari possunt, non vendi. Praeterea res usu consumptibiles, ut panis, vinum, oleum, vendi possunt, non locari; nisi ad ostentationem, & pompam, vel ad pignus, eo quod per usum destruantur, nec fructum ullum ferant; Et idem dicas de pecunia. At res conducta non potest vendi, sed solum potest alteri sublocari, dummodo non patiat inde damnum primus locator: Hinc fit, non posse conductorem sublocare meretrici domum conductam, quia id cederet in opprobrium primi locatoris, ut notat Trull., & Reginald.

III. Rogabis hic, An liceat locare domum meretrici, aut usurario, & universim rem aliquam ei, qui putatur ea abusus?

Respondeo, in malum finem certe locari non posse; ad finem vero indifferentem, verbi gratia domum ad habitandum locare meretrici, aut usurario, tunc secluso scandalo possumus, quando non tenemur impedire illa peccata, quae ibi committuntur, ut notat Less. cap. 24. dub. 7., Filiuc. tract. 36. cap. 1. quest. 7., Trull. lib. 6. cap. 1. dub. 11.: Quare cum peccata meretricis,

tricus, & usurariorum non teneamur impedire, siquidem permittuntur a Republica ad majus malum vitandum, ideo licitum est iis domum locare, etiam si praevideantur ibi peccata esse patranda. Clericis autem cap. 1. de Usuris in 6. vetatur locare domum Usurario publico alienigenae.

Non licet tamen lectum, verbi gratia, sternere meretrici, quia magis proxime ad peccatum se habet lectus, quam domus; & ideo ad cooperandum materialiter illius peccato sternendo lectum, requiritur causa gravissima, verbi gratia, si ceteroqui seruo mortem minetur dominus: Immo nec gravissima isthac causa satis est, ut possit licite famulus ferre literas provocantes ad peccatum, ut communiter docent cum Sanch. contra nonnullos apud Dian. part. 3. tract. 6. resol. 46.: Esse vero internuncium invitando meretricem ad peccatum, ne ad mortem quidem declinandam licere, docent communissime, cum id sit intrinsece malum.

IV. Praeterea communissime pariter Doctores cum Dian. part. 7. tract. 9. resol. 39. Tambur. lib. 8. tract. 2. cap. 9. docent contra Machadum, & Vincentium Justinianum, peccare mortaliter, qui tenet domum ludo expositam; Nec posse Principes ad id dare facultatem, nec permittere; quia talis actio ut plurimum conjungitur cum blasphemis, furtis, & dolis; peccata autem injustitiae, & publica non possunt tolerari, ut possunt tolerari peccata occulta, verbi gratia, meretricis: Ratio est, quia haec non laedunt jus alterius, sunt occulta, & permittuntur ad majus malum vitandum; Eo modo, quo Judith sine peccato ornando se, permisit peccatum Holofernis, quod praevidebat, ad vitandum gravius malum servitutis publicae; Sicut etiam permittuntur peccata Usurariorum, ne cogantur egeni vende-

re minimo pretio res suas: Ludus ergo, qui proxime conjungitur cum blasphemis, & peccatis contra justitiam, non potest permitti praecise, ne pretium locationis domus amittatur; sicut nec potest vendi gladius, verbi gratia, ementi illum ad occidendum inimicum: Quamvis possint vendi ea, quae non proxime, sed remote cum peccato conjunguntur, verbi gratia ornamenta meretrici; quia malus usus tribuitur malitiae utentis, ut notat Lessl. & Trull. lib. 6. cap. 1. dub. 12., quod pariter confirmabimus infra cum de Contractu Ludi quaesit. 2.

V. Dices primo; Possunt ex Dian. part. 3. tract. 6. resol. 11., & Trull. loc. cit., qui sedes locant, vulgo *Seggottari*, necnon aurigae conducere concubinam ad amasium, ne lucrum amittant; ergo pariter licitum est domum locare ludentibus.

Respondeo, antecedens non esse admittendum, & Dian. loc. cit. asserit esse id reprehensione dignum; Quod si nonnemo id admisit, inde est, quia, ut diximus, minor causa requiritur ad permittenda peccata luxuriae, & occulta, quam injustitiae, & blasphemiae publica, quae communiter committuntur a lusoribus: Eadem ratione licitum est ex Lessl. lib. 4. cap. 2. num. 24. carnes vendere volentibus frangere jejunium, quando si ego non venderem, facile ab aliis venderentur; nam in hoc casu non vendendo non vitarem peccatum internum illius, & peccatum externum adhuc poneretur, eo quod ab aliis hic emeret carnes; Sic etiam ex Molin., Rebel., Valent. apud Dian. part. 3. tract. 6. resol. 44. licet vendere vinum iis, quos praevideo revendituros cum fraude.

VI. Verum si actio mea proxime cum peccato jungatur, ut est scellas admoveere, vel humeris sustentare, quem scio velle furari, aut velle ascendere ad Virginem stuprandam, non licet

licet id facere, etiam si alter id præstaret, me recusante: Quicquid sit aliquando excuset causa urgentissima, verbi gratia, timor mortis: Qua de re fufe diximus in Trutina thesim damnatarum exponendo thesim quinquagesimam primam ab Innoc. XI. confirmam, ubi ostendimus probabilius esse, quod actiones hujusmodi proxime ad peccatum alterius cooperantes sint intrinsece malæ, atque adeo ne metu quidem mortis licitum esse sic cooperari cum peccato alterius: quamvis in illa profligata thesi solum damnetur, quod famulus actiones hujusmodi citra mortale exercere possit, quando incutitur metus notabilis detrimenti, *puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.*

VII. Dices secundo: Multi apud Dian. part. 2. tract. 15. resol. 15. putant permitti posse ludum, vulgo *Delli Bonavoglia*, existentibus in triremibus, & ludum, vulgo *Nel corpo di Guardia*, militibus ad tollendum illorum otium: ergo etiam in casu nostro.

Respondeo, transmissio antecedente, nego consequentiam: Disparitas est, quia ludus in triremibus, & in Castris permittitur, ne qui in triremibus sunt, & milites, dum otiantur, majora mala meditentur: at non licet in Civitate ad hunc finem ludum permittere; tum quia majora mala sequuntur ex ludo in Civitate; tum etiam quia multi filii familias furantur, ut ludant, &c.; tum demum quia non tam facile ex civibus, quam ex militibus grave malum timetur: Permittuntur solum histriones ad vitandum otium civium, quia ad permittenda peccata illa luxuriæ minor causa requiritur, quam ad permittenda peccata injustitiæ, & blasphemie.

VIII. Quæritur secundo: Quinam possint locare, & conducere?

Respondeo, ut in superiori quæstione, posse locare omnes, qui possunt

*Pars IV.*

vendere; & posse conducere omnes, qui possunt emere, & econtra, nisi jure positivo prohibeantur: Nam Tutor, & Curator possunt bona pupilli, & Minoris locare, non tamen vendere; Sicut maritus bona dotalia; & conductor bona locata potest sublocare, non vendere: Sic fundi Ecclesiastici locari possunt ad triennium, non vendi; quamvis si alternis annis fructificent, possunt ad sexennium locari, & si tertio quoque anno fructificent, possunt locari ad novennium, ut notat Hart. hic difficult. 3.: Contra vero emere possunt prædia, non tamen conducere milites, sicut nec Curiales, (id est qui obligati sunt Curie, ut administratores rerum Fiscalium,) donec rationem administrationis reddiderint; Nec Tutores, & Curatores vestigalia conducere possunt, quousque suæ administrationis rationem non reddiderint: Nec Clerici, aut Monachi conducere possunt lucri causa extra necessitatem prædia laicorum; quamvis possint succedere alteri, qui ea conduxit, ex Cap. 1. *Ne Clerici, De vita, & honestate Clericorum.*

## ARTICULUS II.

Quid ferant Locatio, & Conductio?

- I. *Locator expensas necessarias ad usum rei locata tenetur solvere, necnon onera, ac tributa eidem annexa.*
- II. *Quatuor de causis Conductor expelli potest ante tempus præfixum; præsertim si tempore statuto pensio non solvatur.*
- III. *Nequit Conductor absque iusta causa rem conductam ante præfixum tempus dimittere. Quanam autem dicatur iusta causa?*
- IV. *Si Conductor citra suam culpam nequeat uti re conductâ, num teneatur pensionem solvere, ubi impedimentum casu obveniens se teneat ex*

P

parz

- parte rei conductæ? Et quid, si obveniat ex parte Conductoris?
- V. Qui vespere conducit operas pro die sequenti, & mane certiores facit locatorem, quod iis non indigeat, ad quid tenetur?
- VI. Quando ex infortunio aliquo fructus consueti non percipiuntur, num possit Conductor petere pro rata pensionis diminutionem?
- VII. Num vice versa teneatur pensionem augere, quando habetur casu magna ubertas?

I. **Q**uæritur primo; Ad quid teneatur Locator?

Respondeo teneri locatorem, Primo manifestare Conductori vitium rei occultum; non secus ac tenetur venditor. Secundo, solvere Conductori expensas necessarias, ut possit re locata uti ad eum usum, ad quem illam conduxit; necnon expensas utiles ad eundem usum, dummodo melioratio rei nequeat ab illa separari absque detrimento. Tertio, solvere onera, & tributa annexa rei locatæ; onera tamen annexa fructibus rei, seu pro iis imposita, & expensæ factæ ad arandum, metendum, &c., solvendæ sunt a conductore. Quarto, non repetere rem locatam ante præfixum tempus.

II. Potest tamen quatuor de causis conductor expelli ante tempus. Prima est, si res conductæ indigeat reparatione, quæ fieri nequeat, nisi conductor expellatur. Secunda, si conductor abutatur re conductæ, sive ea scandalose utendo, sive damnum illi inferendo. Tertia, si conductor non solvat pensionem tempore consueto, aut statuto; Frangenti enim fidei fides non est servanda: Quamvis si rem ultra biennium conduxit, non possit expelli, nisi per biennium differat solutionem, ut notat Hurtad., non ex jure naturali, sed ex benignitate juris Canonici, ex Cap. *Propter sterilizatem*,

de *Locato*, & *Conducto*. Quarta, si domus locata ex fortuito casu non prævisio necessaria sit locatori ad habitandum, puta si domus, quam habitabat, corruat, vel comburatur, & nequeat aliam commode invenire. Ab hærede tamen suo successore particulari, puta a donatario, ab emptore, & a legatario rei locatæ potest expelli jure positivo, ex leg. *Qui fundum*, ff. *Locati*, dummodo compensetur conductori damnum, quod illi provenit ex expulsionem.

III. Quæritur secundo; Ad quid teneatur Conductor?

Respondeo, conductorem primo non posse uti re conductæ, nisi ad usum, propter quem illam conduxit, invito scilicet locatore. Secundo, non potest sine justa causa ante tempus præfixum rem conductam dimittere: Quod si dimittat, tenetur integram pensionem solvere, & damnum locatori, si quod evenit, restituere. Est autem justa causa dimittendi, si absque sua culpa non possit commode uti re conductæ, puta si equus infirmetur, si pars domus conductæ corruat; vel si nequeat commode uti ob pestem, ob bellum, ob gravem inimicitiam, ob quam expedit conductori alio migrare, ex lege *Labores*, ff. *Locati* apud Hurtad. diff. 5. Tertio tenetur expleto tempore rem conductam integram restituere, nisi absque sua culpa facta sit deterior. Quarto tenetur solvere pensionem tempore præstituto, ita ut si pro quolibet mense solvenda sit pensio, debeat illam solvere in fine mensis, si pro quolibet anno, in fine anni, si pro tribus annis, in fine triennii, ut notat Filliuc. tract. 36. cap. 3., & Bonac.

IV. Quæritur tertio; An teneatur Conductor pensionem solvere, quando absque sua, & locatoris culpa non potuit uti re conductæ?

Respondeo cum Less., Molin., Filliuc.,

linc., Rebel., & aliis apud Hurtad., quod si convenerit cum locatore, quod in quovis casu pensionem solvat, ad illam teneatur, ex leg. *Si quis fundum*, ff. *Locati*; quia tale pactum est iustum, dummodo pensio ob tale onus sit minor. Quod si talis conventio non præcessit, distinguendum est; nam vel impedimentum casu obveniens se tenet ex parte rei conductæ, verbi gratia, quia equus, vel famulus infirmatur, aut domus ruinam minatur, aut ob pestem, vel bellum, propter quod domus deseritur, vel prædium non colitur; & in his casibus pensionem non tenetur solvere, nisi pro rata temporis, quo ea re potuit uti, ex lege dicta *Si fundus*: Vel impedimentum se tenet ex parte conductoris, verbi gratia, quia assumitur in dignitatem, ob quam ei non sufficit domus conducta, vel quia moritur, & in tali casu tenetur pensionem solvere, ex leg. *Qui operas*, ff. *Locati*; id enim æquitas postulat.

V. Notat hic Dian. part. 2. tract. 6. resol. 15., quod si quis, verbi gratia, vespere conducat operas pro die sequenti, & mane statim faciat certiorum locatorem, quod non indigeat opera ejus, non tenetur ad mercedem pro illo die, dummodo certum sit, quod pro eo die locator non esset alteri rem illam locaturus; quia locator nullam mercedem amittit mea causa.

VI. Quæritur quarto; An Conductor teneatur ad pensionem, quando ob sterilitatem anni, vel ob aliam causam non percipiuntur fructus, vel non nisi diminuti percipiuntur?

Præmitto non esse sermonem de impedimento ex parte rei conductæ, de quo locuti sumus quæsto superiori, sed de infortunio erga fructus, quod contingit V. G. ob grandinem, ob gelu, ob nimiam pluviam, vel ex defectu pluviae, vel si furto, aut incen-

dio, aut alio casu perierunt. Nec est sermo, quando præcessit conventio; nam quilibet tenetur stare conventioni iustæ. Notandum tamen ex Hurtado, quod si conductor obligavit se ad pensionem in quocumque casu grandinis, pluviae, &c., tenetur ad illam, dummodo casus eveniens non sit extraordinarius, & insolitus, qui scilicet a quadraginta annis non accidit, ut notat Trull. dub. 6., & Dian. part. 2. tract. 6. resol. 17. (quamvis si his etiam expresse renunciaverit, adhuc ad integram pensionem tenetur, dummodo pensio propter hoc onus diminuta sit) quia hic non censetur comprehensus sub ea conventionione.

Respondeo itaque, quod quando nulla præcessit conventio, si nulli fructus percipiuntur, conductor non teneatur ad pensionem, ex leg. *Ex conducto*, ff. *Locati*. Si vero sterilitas, & calamitas sit modica, tenetur integram pensionem solvere: Si tamen sterilitas, & calamitas sit magna, tenetur pensionem solvere non integram, sed pro rata, ex leg. *Si merces*, ff. *Locati*; dummodo sterilitas hujus anni non compensetur ubertate magna anni præcedentis, aut subsequenter, ut habetur in cap. *Propter sterilitatem*, de *Locato*, & *Conducto*. Dicitur autem sterilitas magna, quando res conducta non dat dimidiam partem fructuum, quos dare consuevit, ut docent aliqui apud Hurtad., vel vix duas tertias partes, ut Navar. apud Trull. dub. 6., aut quando detractis expensis non supersunt fructus ad solvendam medietatem pensionis.

VII. Putant etiam Less., & Bonac. contra Rebel., & alios cum Hurtad. diff. 7., quod si ubertas aliquo anno sit magna ex casu, non ex industria conductoris, augenda sit pariter pensio pro rata: Verum in hoc standum consuetudini loci; Nam jus positivum, quod obligat ad diminuendam pensio-



nem, quando est magna sterilitas, non obligat ad pensionem augendam, quando est magna ubertas, & jus naturale fert, ut neque ob ubertatem augeatur, neque ob sterilitatem pensio minuatur.

## ARTICULUS III.

De Conductione famulorum, & aliorum Officialium.

- I. Stipendium iustum famulorum, & similitum operariorum est, quod dari iisdem communiter consuevit; ita ut decrescat, quando est illorum copia, aut quando cum famulatu conjunguntur alii honores, & lucra.
- II. Qui liberaliter alicui voluit inservire, neque labores sibi compensare.
- III. Si ultro quis se offerat ad inservendum domino, qui illo non indiget, satis est, quod habeat alimentaria: At si illo indiget dominus, hic tenetur dare illi stipendium aliquanto minus consueto iusto.
- IV. Pueris honorariis, quando pretium non est taxatum, dari solet in retributionem victus, vestitus, ac bona educatio, ita ut deinde promoveantur.
- V. Qui Episcopis inserviunt, nequeunt citra simoniam velle obligare illos ad conferenda sibi Beneficia: Compensari tamen solent eorum obsequia victus, vestitus, & nonnullis stipendiis, nisi censeantur ea remittere.
- VI. Famuli, qui necessitate coacti paciscuntur de pretio iniusto, quando nam possint occulta compensatione uti?
- VII. Num teneatur ad restitutionem Sacerdos, qui necessitate coactus promittit duo Sacra pro uno stipendio consueto, & deinde unum tantum Sacrum offert?

VIII. Famulo per unam, aut alteram hebdomadam agrotanti ex aequitate debetur salarium, necnon alimentaria, & expensa moderata ad eius curationem.

IX. Num Capellanus per breve tempus agrotans teneatur per alium celebrare? Et quodnam dicatur breve tempus?

X. Secundum se qui pluribus locat operam suam in solidum, potest a singulis integrum stipendium accipere.

I. CERTUM est, famulis, aliisque Officialibus stipendium iustum esse solvendum, modo fideliter laboraverint, saltem infra infimam laboris debiti latitudinem; aliter non solum tenentur restituere stipendium pro rata laboris omisso, sed etiam lucrum cessans, & damnum inde emergens domino. Pretium autem famulorum illud dicitur esse iustum, quod passim dari solet hujusmodi operariis, ita ut non sit minus infimo, nec majus summo: Quare, ut notat Trull. dub. 5., stipendium iustum dici debet, quando tantum est, quantum alii recipiunt, vel quando non desunt multi alii, qui eodem pretio inservirent, vel quando conventum fuit solum de tanto pretio.

Ubi notat Filliuc. tract. 36. cap. 6., quod aliquando multis laboribus poterit esse proportionatum parvum stipendium, si cum eo conjungantur alii honores, & emolumenta.

II. Notat etiam Filliuc. tract. 30. cap. 3. apud Trull. dub. 5., quod famulus praestans obsequio expendens a liquid animo liberali, aut ex charitate, & pietate in negotio alterius gerendo, non possit deinde mutata voluntate aliquid exigere, aut occulte compensare, cum non possimus repetere, quod jam donavimus; quamvis re integra possit mutare voluntatem, & vel-

& velle propter pretium id facere, & non animo liberali.

III. Certum videtur secundo ex Laym., & Trull., quod si conductor non egeat opera alterius, sed solum ex misericordia exoratus ipsum con-ducatur, tunc satis fit illi alimenta dare; Si vero dominus vere eget illius opera, aut magnam inde habet utilitatem, tenetur pro illa dare pretium justum saltem infimum; quia ille non intendit donare, sed vendere, quamvis ratione spontaneæ oblationis possit aliquid decrefcere ab infimo pretio, cum merces ultroneæ vilescant.

IV. Certum est tertio, quod famulus honorariis, qui vulgo *Paggi* dicuntur, quando nullum stipendium taxatum est nec expresse, nec tacite, censetur competens retributio esse victus, & vestitus, ac bona educatio secundum statum suum. Solent autem Magnates dictis pueris, & aliis famulis præter sustentationem, in retributionem obsequiorum tribuere deinde illis majorem gradum obsequii, vel constituere aliquod stipendium, vel procurare illis aliquod officium a Principe.

V. Præsules etiam solent remunerari eos, qui in eorum obsequio sunt, beneficiis Ecclesiasticis, vel pensionibus ex gratitudine, non ex justitia; nam justa eorum merces solet esse victus, vestitus, & nonnullis aliquod etiam stipendium certis anni temporibus ad arbitrium domini: Notatque Less. apud Trull., minui aliquando posse justum stipendium, quando famulus illud non exigit, ut hac ratione alliciat dominum ad procurandum aliquod officium, vel beneficium, vel benevolentiam; censetur enim tunc sponte dare. Si tamen intenderet obligare hoc pacto Episcopum ad conferendum sibi beneficium Ecclesiasticum, committeret simoniam, & dominus teneretur defectum stipendii sup-  
plere.

VI. Quæritur nunc primo: An famuli, qui ob paupertatem coguntur pacisci de pretio injusto, possint uti occulta compensatione, quando non possint aliter a dominis justum sui famulatus stipendium habere?

Respondeo, nonnullis visum esse id licitum, Primo quia, ut notat Tambur. de Sacrif. Missæ lib. 3. cap. 1. §. 3. num. 58., qui ob necessitatem cogitur emere triticum pretio injusto, potest procul dubio se indemnem servare; quia injuste venditor agit, debetque putare, quod ille vere non consentiat tali pretio; ergo etiam famulus, qui cogitur propter necessitatem vendere suum famulatum pretio injusto, poterit se indemnem servare; nam posito, quod dominus voluit emere famulatum, se implicite ad pretium justum obligavit. Secundo, Suarez de Sacr. disp. 86. sect. 4. apud eundem Tambur. num. 51. putat, quod si Sacerdos paupertate coactus accepit pro tenui stipe missam celebrare, possit ab injusto pacto resilire, & se indemnem servare; ergo etiam in casu nostro. Tertio, ut docet Lugde Just. disp. 16. sect. 4. num. 82. sicut qui necessitate ductus petit mutuum promittendo usuras, non tenetur ex justitia propter fraudulentam istam promissionem usuras solvere, eo quod ex vi contractus mutui, quem libere vult inire mutuator, non habet jus ad usuras: Et eodem modo, qui ex necessitate cogitur vendere triticum infra pretium justum, potest servare se indemnem; quia ex vi contractus emptionis implicite se obligat emptor ad pretium justum; ergo idem dicendum in contractu conductionis, ut si famulus ob paupertatem velit operam suam locare infra pretium justum, possit se servare indemnem.

Verum quamvis talis compensatio licita sit, quando per vim, aut dolum coguntur famuli injusto pretio inservi-

re,

re, ut communiter Doctores docent; non tamen quando sponte contrahunt; Unde damnata est prop. 37. ab Innoc. XI. dicens: *Famuli, & famula domestica possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.* Ratio est, quia, ut notat Villalob. apud Dian. part. 2. tract. 6. resol. 16., & Tambur. loc. cit., dominus facile in tanta multitudine famulorum alios reperisset, qui propter idem pretium inservirent; unde famulus, qui fingit se consentire in pretio, quod judicat minus iusto, decipit dominum, & cum hac deceptione est causa injusta damni, quod ille patitur per occultam istam compensationem, quæ non fieret ab alio servo.

Bene tamen advertit hic Carden., & Puent. Hurtad. ( ut fufius dixi in Trutina Theologica hanc thesim exponendo, ) quod licita sit compensatio sub circumstantiis suis, non solum quando dominus cogit ad inserviendum, minuendo de pretio iusto, aut quando non solvit, quod tenetur ex pacto, sed etiam quando iudicio Confessarii, aut alterius non quomodocumque docti, sed valde periti ( cum in ea re non quilibet possit justitiam pretii dijudicare, ) perspicuum est, pretium esse injustum, solum enim Pontifex contendit non esse licitam compensationem per hoc, quod ipse famulus ferat iudicium probabile de injustitia pretii.

Hinc patet ad rationes in contrarium adductas; Immo paritas mutui adducta a Delugo retorquetur; Nam sicuti si tu promittendo usuras ita decipis mutuantem, ut sis causa injusta damni ( quod forte patitur per mutationem ) aut cessationis lucri, certe teneris tale damnum emergens, aut lucrum cessans compensare: Eodemque modo qui necessitate, & paupertate coactus cogitur vendere, infra iustum

pretium, non potest se servare indemnem, quando ex hac deceptione est causa cur dominus damnum aliquod patiatur, videlicet quia si non emeret a te pretio hoc, facile ab alio haberet, qui vel donaret, vel venderet eodem pretio rogando; in quo casu pretium iustum esset minus, cum merces ultroneæ vilescant: Ergo idem dicendum in conductione. Si tamen dominus ab aliis eundem famulatum haberet minori pretio, etiam injusto, eo quod vel illos cogeret, vel illi etiam necessitate cogerentur, recurrit doctrina superius data a Puente Hurtado, & Carden., quod tunc sit licita compensatio, quando iudicio aliorum valde doctorum perspicuum est pretium esse injustum. Quod etiam dicendum quando quis necessitate ductus cogitur vendere pretio infra iustum. Facile tamen accidit in tanta famulorum copia, ut a dominis reperiantur famuli, qui rogent, ut in servitutem admittantur; in quo casu licet dominus teneatur illis pretium iustum dare, at quia famuli rogant, ideo pretium famulatus vilescit.

Quando autem famulus rogat dominum, ut emat suum famulatum, ( quo forte non indiget, ) eo quod non possit facile alium dominum reperire, tunc si consentiat in pretium, quod esset iustum rogantibus, non poterit petere pretium, quod est iustum relate ad non rogantes; Siquidem per deceptionem esset causa injusta damni domini. Exemplificemus; Sit pretium infimum iustum famulorum decem, si famulus consentiat in septem, non poterit alia tria compensare. Ratio est, quia dominus facile in tanta famulorum copia habet alios, qui rogant pro septem famulari; in quo casu iustum esset tale pretium relate ad hos rogantes, juxta sententiam illam, quod merces ultroneæ vilescunt saltem pro tertia parte, & juxta nonnullos etiam pro me-

medietate: ergo non poterit amplius quam septem talis famulus exigere; quia quamvis pretium justum relate ad eos, qui non rogant, sit decem, tamen dum famulus consentit in septem animo compensandi alia tria, decipit dominum, & est causa injusta illius damni, quod patitur: Et idem dicendum erit de emente, & vendente, & de offerente sacrificium pro tenui stipe, si eodem modo fuerint causa injusta damni per deceptionem.

VII. Cæterum communis sententia Doctorum apud Dian. part. 2. tract. 14. resol. 7. est, quod qui ob tenuem stipem promisit totam missam applicare, non possit pro eadem quicquam ab alio accipere; præsertim post decretum Sacræ Congregationis Concilii apud Tambur. lib. 3. de Sacrif. Missæ cap. 1. num. 8., in quo hæc habentur; *Ubi pro pluribus missis plura stipendia quantumcunque incongrua, & exigua collata fuerunt, Sacra Congregatio sub obrestatione Divini iudicii mandat, ut absolute tot missæ celebrentur, quot ad rationem attributa elemosyna præscripta fuerint; aliter graviter peccant, & ad restitutionem tenentur.* Non me latet, quod hoc decretum nitatur interpretari Puente Hurradus in expositione propof. 37. ab Innoc. XI. damnata; ubi docet id non intelligi, quando necessitate compulsus cogitur Sacerdos modo dicto pro tenui stipe missam celebrare; Et idem docet Peyrin. apud Dian. part. 5. tract. 13. resol. 52.; Equidem tamen cum eodem Dian. huic opinioni non subscribo; cum decretum loquatur absolute, & juxta eam sententiam plurima incommoda facile sequuntur adversus animas in igne Purgatorii confluentes.

VIII. Quæritur secundo: An famulo debeantur alimenta, & merces tempore ægritudinis?

Respondeo, communius docere cum Bonac., Rebel. contra Molin., & Laym.

apud Dian. part. 1. tract. 8. resol. 86., quod non teneatur dominus solvere salarium famulo ægrotanti; nisi sit consuetudo alicubi in contrarium, & nisi sit in extrema, vel gravi necessitate; in quo casu tenetur tantum ex charitate. Ratio est, quia per famulum stat quominus operam suam præstet; Et quamvis in hoc culpam non habeat, tamen vere deficit in iis, ad quæ tenetur, præstandis: Ex æquitate tamen per modicum tempus, videlicet si per unam, aut alteram hebdomadam ægrotet, videtur salarium deberi; ut putat Trull. lib. 4. cap. 1. dub. 5., Sylvest., Bonac., Quod diximus de salario, dicendum etiam de alimentis, & de expensis etiam moderatis ad curationem necessarijs, ut notat Hurrad. hic difficult. 8.; nullo enim titulo debentur ex justitia, ut docet Bonac. & Rebel. contra Vasqu., Sylvest., & Covarr.

IX. Cappellanus etiam ægrotans per aliquot dies non tenetur per alium celebrare; ut videre est apud Summam Dian. V. *Missæ stipendium*; ubi Riccius putat, id esse verum si tantum per octo, vel decem dies ægrotet, Mendoza per mensem, Peyrin. per bimestre, quia hoc videtur spatium breve relate ad annum.

X. Quæritur tertio: An qui pluribus in solidum locat operam suam, possit a singulis integrum stipendium accipere?

Respondeo cum communi affirmative; quando scilicet opera locata omnibus, & singulis est æque utilis, ac si esset pro uno dumtaxat præstita. Ratio est, quia qui Romam, verbi gratia, proficiscitur propter proprium negotium, potest etiam ire propter negotium Titii, exigendo ab illo pretium, perinde ac si tantum propter Titium iret, ut communiter Doctores docent; ergo etiam qui proficiscitur Romam propter negotium Titii, a quo accipit pretium, potest etiam ire propter

pter negotium Caji, & itidem a Cajo aliud simile pretium exigere; quia valor profectus non minuitur per hoc, quod pluribus sit proficiuus: Sic qui profecturus Romam indiget equo, si inveniatur equum reductivum, potest pro illo reducendo pretium exigere, ut omnes etiam Doctores docent; ergo etiam in casu nostro locans operam suam pluribus in solidum singulis aequè utilem, ac si pro illo solo locaretur, potest a singulis integrum stipendium accipere.

Notandum tamen cum Hurtad. diff. 9., hoc non militare, quando ad vindicandam injustitiam locatoris taxatum sit stipendium operæ locatæ; tunc enim illi stipendio rationabiliter taxato standum est, sive opera sit proficiua uni, sive pluribus.

XI. Utrum autem Sacerdoti, qui tenetur dicere Missam pro sola praesentia, ut ajunt, liceat unum stipendium accipere pro praesentia, & alterum pro applicatione Missæ? Negant Gavant., & Barbof. apud Tambur. de Sacrif. Missæ lib. 3. cap. 1. §. 3. num. 14., tum quia Sacra Congregatio sub obtestatione Divini Judicii præcipit, ut pro singulis Missis singula stipendia accipiantur; tum etiam quia, ut no-

tat Dian. part. 5. tract. 14. resol. 35. ex Rodriq. in tali casu stipendium, quod acciperetur pro applicanda Missa, videretur accipi pro re spirituali; atque adeo simoniace. Sed, ut notavimus in Trutina Theologica exponendo thesim octavam ab Alex. VII. proscriptam, probabile est id licere (ut docent Suar. disp. 86. sect. 5., Vafq., & Lug. disp. 21. de Euchar. num. 21., qui scripsit post laudatum decretum,) dummodo constet, quod offerens stipendium pro officatura solum exigit praesentiam, sive ob concursum populi, sive ut speciali honore talis locus afficiatur. In hoc enim casu unum stipendium accipitur pro labore extrinseco Missæ, ut scilicet Missa in tali loco, & tempore celebretur, alterum pro Missæ applicatione, quando liberum est Sacerdoti Missam, cui maluerit, applicare. In dubio tamen an offerens stipendium velit utrumque, videlicet & praesentiam, & applicationem, nequit duplex stipendium accipi, ut docent communius contra Marchin. apud eundem Tambur. num. 19. Nec accipitur simoniace stipendium pro Missæ applicatione, quia accipitur ob sacrificantis sustentationem, ut explicavimus loco laudato.

## Q U Æ S T I O VIII.

### De Promissione, & Donatione.

Quærendum primo, Quid ferant isti Contractus? Secundo, Quando obligent, & quomodo? Tertio, Quinam, & quantum donare possint? Quarto, Quandonam possit revocari Donatio?

#### A R T I C. I.

Quid importet Promissio, & Donatio?

I. Promissio est spontanea, vera, ac deliberata fidei obligatio de re bona,

& possibili.

II. Promissio prodiga etiam jurata non obligat, si ejus executio sit illicita; Quod si executio sit licita, probabiliter obligat solum ad quantitatem, in qua nulla est prodigalitas.

III.

III. Donatio est datio liberalis, sive fiat ex liberalitate, sive ex gratitudine, quin res donata ex iustitia debeatur. Jure positivo non transfertur dominium per donationem ante traditionem rei donatae.

IV. Inter promissionem, & donationem verbalem fere nullum est discrimen.

V. Differunt tamen a Pollicitatione, quippe qua stat sine acceptatione; Necnon a Pacto, quod fert utriusque contrahentis obligationem; Et a Stipulatione, qua importat formulam quandam contrahendi.

I. **Q**Uæritur primo: Quid sit Promissio?

Respondeo cum Less., Promissionem esse Spontaneam, veram, & deliberatam fidei obligationem factam alicui de re bona, & possibili; Dicitur Spontanea, nam vi, & metu extorta non obligat. Utrum autem promissio metu levi extorta sit valida jure naturæ? Dissidium est apud Doctores; Afirmant enim Sanch. lib. 4. disp. 14. cum Less. cap. 17. Negant Azor., Molin., Vasq., ut diximus in Opusculo de Principiis Moralitatis quæst. 4. art. 1.; videtur quippe tam promissio, quam donatio natura sua postulare, ut liberaliter fiant: Dicitur Vera, nam promissio ficta non obligat, nisi aliquod inde damnum sequatur, ut dicemus fusc cum de Sponsalibus: Dicitur Deliberata, quia sine plena deliberatione, quæ requiritur ad peccandum mortaliter, ne sub veniali quidem obligat: Dicitur Fidei Obligatio, nam propositum purum aliquid faciendi non obligat, nisi fides detur, & obligetur, seu nisi promittens velit se obligare ex virtute fidei, seu fidelitatis: Dicitur De re bona, & possibili; nam de re mala non obligat; Unde qui promisit ob pecuniam acceptam occidere inimicum, tenetur solum pecuniam restituere, antequam inimicum occidat; Nec obligat si sit de re im-

Pars IV.

possibili, siquidem ad impossibile nemo tenetur.

II. Præterea promissio prodiga, quando ejus executio est illicita, non obligat, etiamsi juramento firmata sit; At si executio, & impletio promissionis prodigæ non sit illicita, obligat, quamvis facta fuerit cum peccato saltem veniali: Sicut in communiori sententia qui promisit dare Cajo centum propter homicidium, quamvis peccet promittendo, tenetur tamen posito homicidio implere promissum. Quare in casu nostro, si puella nobilis verbi gratia prodige promisit matrimonium pauperi, & ignobili contra voluntatem parentum, quamvis peccarit promittendo prodige, tenetur tamen juxta sententiam Less., Sanch. lib. 3. disp. 9., & Molin. disp. 271. stare promissioni factæ, posito quod sine peccato illam implere possit; quia quamvis ante obligationem talis promissionis velle hujusmodi matrimonium contrahere sit peccatum saltem veniale prodigalitatis; at posita obligatione promissionis est solutio debiti, & actus fidelitatis, vel justitiæ; Sicut enim prodiga donatio incipiens a reali traditione ( hoc est quando res ipsa simul traditur ) vere transfert jus in rem, ita prodiga promissio transfert jus ad rem, quo jure posito teneris implere promissum.

Multi tamen cum Ledesm., Salon. apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 27. docent oppositum; quod scilicet promissio prodiga, etiam juramento firmata, non obliget, nisi solum ad quantitatem, in qua nulla est prodigalitas, non vero ad incrementum; quia cum largitio prodiga sit saltem peccatum veniale, promissio licet jurata de tali traditione est nulla, eo quod sit de re mala; Unde qui promisit prodige centum meretrici, tenetur solum illi dare, quod alii ejusdem conditionis eidem dare consueverunt.

Q

III.

III. Quæritur secundo: Quid sit Donatio?

Respondeo esse Dationem liberalem, seu quæ fit ex liberalitate, vel gratitudine, itaut nullatenus ex iustitia res donata debeatur: Duplex autem datur donatio: Una, quæ conjungitur cum reali traditione rei, quæ donatur, & hæc transfert dominium rei in donatarium: Altera vero, quæ non conjungitur cum reali traditione rei, sed solum cum traditione verbali, seu cum promissione traditionis; & hæc quamvis natura sua sufficiens esset ad dominium transferendum, jure tamen positivo non transfert, nisi sequatur traditio. Quare si res donata prius Cajo deinde donetur, & tradatur, seu vendatur Titio, hic acquirit illius dominium, & Cajo habet solum actionem personalem in donantem; nam per solam donationem verbalem acquiritur solum jus ad rem, non in re, ut notat Less. lib. 2. cap. 18. num. 12.

IV. Hinc infertur, Primo, promissionem differre a donatione; quia per promissionem, quæ respicit donationem futuram, non transfertur dominium, per donationem vero etiam si verbalem, natura sua dominium transfertur. Verum quia stante jure positivo per donationem verbalem de facto non transfertur dominium, ideo parum interest, ut notat Less. loc. cit. num. 15., inter donationem verbalem, & promissionem; vel ad summum in hoc differunt, ut notat Vvadingus, quod donatio etiam ante traditionem pariat actionem civilem, secus vero promissio.

V. Infertur secundo, promissionem differre a Pollicitatione; quia pollicitatio est nuda promissio, seu datio fidei, nondum secuta acceptatione, unde omnis pollicitatio est promissio, non econtra.

Tertio infertur, differre a Pacto;

quia hoc fert in utroque pacifcente obligationem; Contra vero promissio in solo promittente. Quarto differre a stipulatione; quia hæc importat formulam quandam contrahendi, quæ fit præcedente interrogatione creditoris, & responsione debitoris.

## ARTICULUS II.

Quando obligent Promissio, ac Donatio; Et Quomodo?

- I. Promissio, ac donatio mere interna, si fiant Deo, obligant, non tamen si fiant homini.
- II. Obligat promissio interna de dando aliquid homini; si ea fiat soli Deo per modum voti.
- III. Si promissio interna fiat homini cum juramento, & non per modum voti, non obligat, & ante acceptationem revocari potest.
- IV. Nec datur obligatio patefaciendi promissario internam promissionem; Nec per illam transfertur dominium.
- V. Universim promissio externa, etiam jurata, ante acceptationem non obligat, sed potest revocari, nisi juramentum fiat per modum voti.
- VI. Jure positivo promissio facta Civitati, aut Infanti parit obligationem ante acceptationem; & probabiliter etiam qua fit ad pias causas.
- VII. Promissio facta Civitati jure positivo solum revocari non potest ante acceptationem, nec datur obligatio illam implendi ante petitionem.
- VIII. Pro foro externo, ut promissio sit valida, debet exprimi causa, propter quam fit.
- IX. Promissio, ac donatio, si fiant absenti per Nuntium, aut per literas, quoniam pacto valide accipiuntur? Et quid si ante acceptationem revocentur?
- X. Post mortem donantis valide potest acci-

acceptari donatio missa per Nuncium, aut per Epistolam; nisi detur mandatum Nuncio, ut nomine Principalis donet, & mandatum hoc non sit ad pias causas.

- XI. Probabilius ad duplicem solutionem tenetur Nuncius, si sua culpa non fuerit tradita donatario res donata ante mortem donantis.
- XII. Petrus donans Paulo agrum cum onere, quod det Titio mille post quinquennium; etiam elapso quinquennio potest hoc onus revocare, si nondum sit acceptatum a Titio.
- XIII. Probabilius promissio acceptata in materia gravi obligat sub gravi ex virtute iustitiae, aut fidelitatis valde affinis iustitiae, seu qua sit iustitia minus rigorosa.
- XIV. In multis discriminatur obligatio orta ex iustitia ab obligatione orta ex fidelitate, qua est iustitia minus rigorosa.
- XV. Est, qui velit obligationem promissionis pendere regulariter ab intentione promittentis; Et in dubio an promittens voluerit sub gravi se obligare, judicandum ex communi-ter contingentibus.
- XVI. In promissione solet subintelligi conditio illa, Nisi rerum status notabiliter mutetur.
- XVII. Ut possit promissio acceptata obligare sub gravi, requiritur materia notabilis, qua est duplo, aut quadruplo major, quam in furto. Hinc qui omittit facere unum Sacrum debitum ex iustitia, aut ex voto, peccat mortaliter; secus vero si illud debeat ex fidelitate.
- XVIII. Promissio facta ob turpem causam revocanda est; at parato sceleris probabilius obligat.
- XIX. Jure naturali sunt irrita promissiones, qua circa culpam impleri non possunt; jure tamen positivo plures alia promissiones irritantur. Quando nam ista posito juramento obligant?

I. **Q**uæritur primo: An promissio, vel donatio mere interna obligent?

Respondeo, obligare, si fiant Deo inspectori cordium, non vero si fiant homini; quia ut possit homo alteri homini obligari, requiritur manifestatio sensibilis per signa externa; Sicut etiam requiritur acceptatio, ut mox dicemus; Et quidem utrumque probabilius jure naturali, seu jure gentium requiritur, quam jure positivo, ut docet Lefs. cap. 18. dub. 5., & 6. Ratio est, quia id ubique gentium observatur: Quamvis si possent homines internas cogitationes cognoscere (sicut possunt Angeli, quando ad eos diriguntur) posset per actus mere internos illis fieri donatio, vel promissio.

II. Hinc sequitur primo, promissionem internam tunc solum obligare, quando fit per modum voti, seu promissionis factæ soli Deo, quamvis sit de re grata homini; ut si quis voleat, seu promittat Deo facere elemosynam Petro. Ratio est, quia talis promissio non fit Petro, sed Deo.

III. Sequitur secundo, promissionem internam factam homini cum juramento, sed non per modum voti non obligare, & ante acceptationem posse revocari. Ratio est, quia talis promissio non fieret Deo, sed fieret homini; Juramentum autem, quod superadditur, sequitur naturam actus, & imbibit conditionem illius actus, supra quem cadit, ex leg. final. Cod. De non numerata pecunia; ergo cum promissio, seu pollicitatio facta homini ex natura sua ferat hanc conditionem, videlicet nisi revocetur ante acceptationem, ut notat Trull. dub. 4., sequitur juramentum cum eadem conditione ad id solum obligare, quod scilicet impleatur promissum, si non revocetur ante acceptationem. Ita Trull. dub. 3. ex Sanch. lib.



lib. 1. disp. 7., & Bonac. disp. 3. quaest. 11. punct. 2.

IV. Dian. part. 3. tract. 5. resol. 116. docuit cum Sor., Ledesm., & aliis, quod qui mente aliquid alteri promissit, aut donavit, teneatur patefacere illi, quod pollicitus est. At Less. loc. cit. cap. 18. num. 34. dicit hoc videri durum, & incredibile, quod nusquam gentium sit usitatum. Docuit pariter Dian. ibidem probabile esse, quod per solum actum internum possit per donationem, vel promissionem transferri dominium: Unde putavit, quod pauper quidam, cui constitit Petrum aliquid illi promississe per actum interiore, poterat illud sibi compensare per occultam compensationem, eo quod non posset in iudicio ipsum exigere; Et ita etiam Mendoz., Palat. Santarel. apud eundem; Quod tamen communius negatur.

V. Quaeritur secundo: An promissio, vel donatio manifestata obligent ante acceptationem?

Respondeo cum Less. lib. 2. cap. 18. dub. 6., Bonac. loc. cit. punct. 4. Trull. dub. 4., & aliis communiter, regulariter nullam parere obligationem neque naturalem, neque civilem, seu neque in foro interno, neque in externo ante acceptationem; Ratio est, tum quia jure gentium, atque adeo jure naturae omnis promissio videtur involvere hanc tacitam conditionem, si acceptetur; tum etiam quia in omnibus aliis contractibus onerosis ubique gentium licitum est ante acceptationem poenitere, & revocare suam oblationem, ut patet in contractu sponsalium, Matrimonii, &c. Nec opus est expectare, donec alter acceptet, vel rejiciat; ergo id etiam verum erit in contractu donationis, aut promissionis: Unde fit, quod etiamsi donatio fuerit jurata, possit ante acceptationem revocari (modo iuramentum non sit per mo-

dum voti) quia scilicet iuramentum sequitur naturam actus, super quem cadit, & eandem conditionem imbibit. Et hinc etiam fit, quod mortuo donatario ante acceptationem donatio sit invalida, nec possit ab haereditibus acceptari; quia non fuit ad illos directa, nisi aliud constaret de intentione donatoris.

VI. Dixi, quod regulariter ante acceptationem non obligent, nam ff. *De pollicitationibus* statuitur, quod non possit revocari promissio facta Civitati ad instaurandas ruinas, vel ob honorem ab ea receptum, vel ad opus aliquod faciendum, si sit inchoatum; Immo praedictam legis dispositionem extendunt aliqui cum Molin. contra Laym. apud Dian. part. 3. tract. 5. resol. 107. ad donationes factas Ecclesiae, vel ad pias causas. Illud certum est, quod si fiat per modum voti talis promissio, dirigendo intentionem ad Deum, revocari non possit; In dubio autem an promissio facta ad causas pias fuerit facta per modum voti? Putat Trull. dubio 4. ex Sanchez, praesumendum esse, quod fuerit per modum voti, quia ita communiter contingit fieri. Praeterea in leg. *Jubemus*, Cod. *De emancipatione liberorum* praecipitur, ut donatio facta infanti ante acceptationem sit firma. Et donatio facta adulto praesenti in ipsius favorem, si taceat, censetur acceptata, ut communius docent cum Villalob. apud Trull. dub. 4. contra nonnullos.

VII. Dubium est, jure naturali, an positivo promissio ante acceptationem non obliget? Putant aliqui, quod solum jure positivo, aliter promissio facta Civitati non obligaret. Sed communius docent, quod jure naturali, ut probant rationes adductae pro conclusione. Ad id, quod objicitur, respondetur promissionem factam Civitati

tati non obligare ex natura sua, neque ex jure civili ante acceptationem, sed solum ex jure civili habetur, ut ante acceptationem non possit revocari, sicut posset ex natura sua. Unde fit, ut non teneatur promittens implere talem promissionem ante acceptationem; Immo non solum requiritur acceptatio facta a Civitate, sed etiam petitio, ut tenearis solvere; Nec tenetur promittens promissionem suam insinuare Civitati, cum nulla lex id præcipiat.

VIII. Notandum demum, quod, ut promissio sit valida in foro externo, requiritur præter acceptationem, quod exprimat causa, propter quam promittitur, aliter præsumitur errore, aut joco facta, ut notat Covarr. apud Trull. hic.

IX. Dubium est secundo, quomodo acceptari debeat promissio facta absentis?

Respondeo cum Less., & Trull., quod donatio per nuncium deferenda debet coram nuncio acceptari; nec sufficit, si acceptetur coram aliis; quia mens contrahentis ea esse solet, quod contractus non sit validus, nisi coram nuncio ad id destinato acceptetur. Si vero contractus fiat per literas, sufficit, quod literæ ad promissarium, vel donatarium pervenerint, si promissio, vel donatio sint gratuita; In onerosis vero contractibus requiritur ulterius, ut tibi vicissim per literas, aut per nuncium acceptatio, vel requisitio alterius innotescat. Quod si revocetur donatio, antequam acceptetur, distinguendum est, nam si revocatio innotescit nuncio, nuncius nihil potest operari; si non innotescit, subdistingendum est, nam vel nuncius solum refert donationem, & pariter talis donatio erit nulla; vel nuncius habuit mandatum faciendi donationem, & ejus acta valent, tribuuntque donatario jus ad rem, & dona-

tori injiciunt obligationem ad consensum, quia tenetur ratum habere, quod ex vi mandati bona fide ejus nomine gestum est.

X. Dubium est tertio, An post mortem donatoris possit valide acceptari donatio missa per Epistolam, aut per nuncium?

Respondeo cum Sanch. lib. 1. de Matrim. disp. 6., Trull. hic, & aliis, verius esse, quod possit valide acceptari; tum quia ex parte donatoris valida fuit, ex leg. *Nec ambigi*, Cod. *De donationibus*, & manet virtute impressa literis, vel nuncio, ut ad donatarium transeat; tum etiam quia gratia non expirat morte concedentis, ex Cap. *Si super gratiam*, *De officio delegati in 6.* in casu autem nostro habetur gratia, & non habetur in rigore loquendo mandatum, quod morte mandantis expiret, (ut plurimi Doctores putant apud Sanch., & Less.) si tamen datum sit mandatum Nuncio, vel Procuratori, ut nomine Principalis donet, si tunc donator ante acceptationem moriatur, donatio est nulla; nisi facta fuerit in favorem piæ causæ, quia id præsumendum est de mente mandantis, ut notat Covarr., & Less. num. 46.

XI. Hinc inferitur, quod si culpa nuncii donatio, verbi gratia, equi non fuerit facta ante mortem donantis, tunc nuncius non solum debeat restituere equum hæredibus defuncti, cum ad illos spectet, sed etiam pretium equi debeat dare donatario, ut notat Less., quia ex lege justitiæ tenebatur adhibere diligentiam debitam, ut mandatum in commodum donatarii impletet. Probabile tamen est ex eodem Less., & Sà, quod mandatum donantis sit gratia quædam, quæ non expiret morte mandantis, & juxta hanc sententiam nuncius non tenebitur ad duplicem hanc restitutionem, sed satisfaciatur, si equum det donatario jux-

juxta mandatum, quod habuit.

XII. Dubium est quarto, An si Petrus donet Paulo, verbi gratia, agrum cum onere, quod post quinquennium det centum Titio, possit Petrus revocare hoc onus, antequam a Titio acceptetur?

Respondeo cum Less. dub. 9., quod si acceptetur a Paulo donatio, eo ipso acquirit Titius jus ad centum, quod transit ad hæredes; dummodo acceptetur etiam a Titio: Quousque autem a Titio non acceptatur, semper a Petro revocari potest tale onus, non solum ante tempus, quo erat implendum, (verbi gratia, in casu adducto ante quinquennium) quod communiter docent, sed etiam, ut probabiliter docet Less. contra Clarum, elapso eo quinquennio, quia semper revocari potest donatio, antequam acceptetur.

XIII. Quaritur tertio: Utrum promissio externa acceptata inducat obligationem gravem, an levem?

Respondeo, Cajet., Fernand., Henr., Meeratium, & alios apud Dian. part. 1. tract. 17. resol. 9., & part. 4. tract. 4. resol. 122., & apud Less. num. 14., probabiliter docere, quod tantum obliget ex fidelitate sub veniali, quando non sequitur alteri notabile nocumentum propter promissionem præstitam. Ratio est, quia frangere fidem in promissis, non opponitur justitiæ, sed fidelitati, seu veracitati; nam veracitas non solum obligat conformare dicta menti, sed etiam facta dictis, unde qui promissa non implet, perfidus, & mendax est; mendacium autem non est per se loquendo, nisi culpa venialis.

Alii cum Azor., Bonac., Sà probabiliter, & communius docent obligare sub mortali, quod pluribus ostendit Less., Primo, quia jure civili omnis promissio facta per formulam stipulationis tribuit actionem in foro exter-

no, & promissor cogitur illam implere, ut omnes Doctores docent; ergo omnis promissio inducit gravem obligationem vel justitiæ, vel alterius virtutis valde affinis justitiæ; nam formula stipulationis non addit in conscientia majorem obligationem, quam habeat promissio sine tali formula; quæ idcirco requiritur ad tribuendam actionem in foro externo, ut constet, promissionem cum plena deliberatione esse factam. Præterquamquod quamvis jure Digestorum requisita fuerit stipulatio, ut promissio obliget pro foro externo, non requiritur tamen jure Codicis, ex leg. *Si quis argentum*, Cod. de *Donationibus*: Et jure Canonico ex Cap. 1. de *pañis*, datur actio ex promissione acceptata, etiamsi formula stipulationis non intervenerit, ut communiter Doctores docent; Quamvis requiratur expressio causæ, ne præsumatur error; quæ tamen præsumptio cessat in foro conscientiæ.

Secundo, quia ex promissione datur jus ad rem, quod transit ad hæredes Promissarii; Sicut obligatio promissoris transit ad ejus hæredes; huic autem juri respondet obligatio ex justitiâ, & ideo Promissarius dicit rem deberi, potest illam exigere, aut condonare, dicuntque homines communiter sibi injuriam irrogari, si promissio violetur.

Tertio, quia homines non solent acquiescere simplici assertioni, sed solent exigere promissionem; ergo promissio non obligat ex sola virtute veracitatis, sed justitiæ, vel fidelitatis, quæ sit justitiæ valde affinis.

XIV. In eo autem ex Less. distinguitur obligatio orta a justitiâ rigorosa ab obligatione orta ex fidelitate, quæ est justitiâ minus rigorosa; quia promissio non dat jus in re, sed solum jus ad rem, potestque multis de causis revocari, nec ita obligat, ut

violans promissionem teneatur etiam ad compensationem lucri cessantis; nemo enim sua liberali promissione censetur velle se ad id obligare, nisi exprimat. Præterea iustitia respicit debitum perfectum suo perfecto iuri debitum. At fidelitas, quia est iustitia imperfecta, respicit debitum imperfectum, seu debitum promissionis. Denique qui fide promisit liberaliter, quamvis peccaverit venialiter, non tenetur ullatenus implere promissum, si nullum ex promissione non præstita damnum alteri sequatur: Econtra qui promittit fide alteri vere repromittenti in contractu oneroso, non solum peccat mortaliter contra iustitiam, si sine causa id faciat; eo quod injuria gravis irrogaretur alteri inducendo illum cum tali dolo ad se obligandum; sed etiam tenetur ex iustitia ponere promissionem veram, & illam implere, quin satis sit refarcire damnum, quod inde sequitur, ut ostendemus agendo de Sponsalibus; & ratio est, quia id exigit obligatio iustitiæ, utæque utraque pars gravetur, & utraque verum consensum ponat: Quamvis si res est integra, & nullum damnum provenit Promissario, si promissum hoc non impleatur, ex Less., & Sylvest. non erit mortale, promissionem factam non servare, (ut si quis animo decipiendi promiserit puellæ nuptias) Immo poterit negare cum juramento coram Judice, se promississe. Hæc, & alia congerit Less., quæ Marat. tom. 2. tract. de Just. disp. 19. sect. 10. conatur dissolvere.

XV. Tertia demum sententia docet, quod obligatio promissionis dependeat ab intentione promittentis; cum enim promissio sit quædam lex privata, non obligat ultra voluntatem promittentis: Unde poterit quis obligare se vi promissionis ad solam culpam venialem, ut docet Sanch. lib. 1. de Matrim. disp. 9. num. 6., Henr., Rebel., Molin. disp.

262., & alii apud Bonac. de Promissione punct. 2. num. 10. Ad eum modum quo potest vovens obligare se ad culpam dumtaxat venialem, ut multi docent in materia gravi: Et qui non intendit se obligare per promissionem, præterquam conditionate (videlicet nisi detur incommodum aliquod, vel nisi aliud melius occurrerit) nullatenus obligabitur non posita ea conditione. In dubio autem utrum aliquis absolute, vel conditionate, sub gravi, an sub levi voluerit se obligare, judicandum est ex communiter in tali materia contingentibus, quia id præsumendum. Certe, ut notat Trull., promissiones eorum, qui solent leviter multa promittere, non sunt intelligendæ, quod fiant animo serio se obligandi, aut alteri jus tribuendi.

XVI. Præterea semper in promissione subintelligitur illa conditionalis, Nisi si status rerum notabiliter mutetur: Sicut enim, ut notat Bonac. ex D. Th. In generali concessione non veniunt ea, quæ non esset quis verosimiliter concessurus, si in speciali peterentur, juxta Regulam 81. Juris in 6.; ita neque in gratuita promissione, aut in voto veniunt illi eventus, qui judicio prudentis viri fuissent verosimiliter excepti, si fuissent præcogitati.

Neque dicas, teneri ad perseverandum in Religione, qui illam vovit, etiam si non adverterit ad difficultates, quibus cognitis non vovisset; ergo etiam in omni promissione id erit verum.

Nam negatur consequentia. Disparitas est, tum quia judicio prudentis etiam debuisset hic perseverantiam in Religione vovere, adhuc cognitis difficultatibus; tum etiam quia status perpetuus semel electus non debet posse facile desereri; & ideo qui suscipit Ordines Sacros tenetur ad castitatem, etiam si non suscepturus esset Ordines Sacros, si scivisset illis votum esse an-

ne-

nexum; tum demum quia qui statum aliquem vult, implicite vult omnia, quae illi sunt annexa, & sibi debet imputare, si non advertit ad onera talis status: Secus tamen dicendum de notabili mutatione, quae est extrinseca rei promissae.

Notandum tamen, ut dicemus etiam cum de Sponsalibus, quod quamvis in potestate promittentis, vel voventis sit velle tantum sub veniali se obligare, quando obligatio pendet ab hominum voluntate; ut si quis voveat jejunare; at quando promissio ex constitutione Ecclesiae, vel ex lege Republicae, vel ex consuetudine obligat sub mortali, non est liberum promittenti velle se tantum sub veniali obligare; Unde non potest quis professionem religiosam emittere cum intentione obligandi se sub veniali; Nam ex institutione Ecclesiae talia vota obligant sub mortali; Nec potest aliquis contrahere matrimonium obligando se ad vinculum illud indissolubile tantum sub levi; Nec potest promittere matrimonium, seu contrahere sponsalia cum intentione obligandi se sub levi; nam ex institutione Ecclesiae, & ex consuetudine obligant haec sub gravi, ut ibidem ostendimus.

Notandum praeterea, quod ut promissio acceptata obliget sub mortali, requiritur materia notabilis, & quidem in majori quantitate, quam in furto, quia non adeo stricte obligat, quam furto. Less. num. 56. requirit quantitatem duplo majorem; Sanch. lib. 1. de Matrim. disp. 5. num. 24. cum Bonac. apud Trull., quantitatem quadruplo majorem. Additque Sanch., & Rodriq. contra Bonac., & Trull. apud Dian. part. 1. tract. 17. resol. 9. quod qui liberaliter promisit alteri unum Sacrum animo se obligandi, non peccaret graviter non servando promissum, quia in genere promissionis, & damnorum spiritualium est materia levis.

Neque dicas cum Bonac., quod si omittatur Sacrum ex voto promissum, est peccatum mortale; ergo etiam si omittatur Sacrum alteri promissum. Nam disparitas est, quia quantitas, quae dicitur notabilis relate ad furto, est etiam notabilis relate ad votum; At relate ad promissionem quantitas, ut sit notabilis, debet esse major: Quare sicut peccat mortaliter, qui Sacrum voto promissum omittit, ita peccaret mortaliter, qui Sacrum ex iustitia debitum propter stipendium acceptum omitteret, secus vero si liberaliter illud promississet, quamvis animo obligandi se ad illud graviter; cum non dependeat a nostra voluntate posse nobis imponere gravem obligationem in materia levi, ut communiter docent contra Fagund. apud Dian. part. 5. tract. 5. resol. 50., Trull. lib. 2. cap. 2. dub. 12. num. 13.; ubi ostendit ex Bonac., & Sanch. lib. 4. cap. 12. num. 19. peccare mortaliter, qui violat votum dandi carolenum pro celebratione unius Sacri, quia maxime id conducit ad cultum Dei, & censetur materia gravis: Quare juxta sententiam Sanch. loco laudato votum dandi eleemosynam pro celebratione unius Sacri est votum de materia gravi: Contra vero promissio facta homini de celebrando uno Sacro est materia levis.

XVIII. Quæritur quarto: An promissio ob turpem causam obliget in conscientia, verbi gratia, si promississeti Petro, ut occidat inimicum, vel foeminae, ut consentiat in turpitudinem?

Respondeo cum communi, quod ante operis patrationem promissarius non solum non tenetur implere promissionem, sed etiam tenetur illam revocare; nemo enim ad peccatum obligari potest, sed debet ab ipso se retrahere: Patrato tamen opere malo, communius Doctores docent cum Less. c. 18. num. 20. contra Navar., & Me-  
din.,

din., quod teneatur promissum implere, non solum ex virtute fidelitatis, ut Medin. putat, sed etiam iustitiæ; quia præcessit contractus onerosus in-nominatus, Do ut facias; ergo si ille fecit, promissor tenetur ex iustitia præstare id, quod promisit: Quamvis enim peccatum non sit pretio æstimabile ex se, est tamen ratione periculi, damni, laboris, delectationis, &c. Sic non est simoniacus Sacerdos, qui pacificatur, quod dentur sibi centum, ut celebret in loco periculosissimo, quia non accipit centum pro Sacrificio, quod non est pretio æstimabile, sed pro periculo, cui se exponit. Probabilem tamen putat Less. loc. cit. opinionem oppositam, quam ex Covarr. confirmat, & ex communi Doctorum utriusque Juris docentium, quod qui aliquid promisit pro opere malo, quod legibus punitur, puta pro furto, homicidio, adulterio, &c., non teneatur promissum implere, etiam opere secuto; tum quia leges reddunt irritos huiusmodi contractus, ut videre est apud Bonac. de Restit. quæst. 3. punct. 3.; tum etiam ne promissarius inducatur ad scelus patrandum sub spe, quod sibi solvendum sit pretium promissum.

XIX. Rogabis hic, Quanam promissiones sunt universim irritæ?

Respondeo, jure naturali esse irritas promissiones, quarum impletio est illicita, cum nemo possit ad malum obligari; Jure vero positivo probabile est, ut diximus, esse irritas promissiones ob turpem causam, quæ legibus punitur, etiam opere secuto; Quamvis probabilius sit oppositum, quia leges non tollunt obligationem naturalem, sed adimunt tantum actionem in foro externo. Secundo, sunt irritæ promissiones, quibus adimitur facultas disponendi de rebus suis; ut si quis promittat alteri se non revocaturum testamentum, aut non facturum

Pars IV.

alium hæredem præter ipsum. Tertio, promissiones, quæ præbent occasionem peccandi, ut si quis promittat alteri se condonaturum obligationem restituendi, si furetur, si injuriam irroget, &c.; aut si quis pactum ineat cum depositario, ne teneatur de dolo; aut si uxor vivente viro promittat matrimonium ei, cum quo adulteratur, post mortem sui viri, aut si quis promittat alteri se collaturum beneficium, quod primo vacabit, ex Cap. de Testando apud Bonac. disp. 3. quæst. 11. punct. 5.

Notandum tamen, quod omnia huiusmodi pacta, quorum executio non est illicita, si iuramentum accesserit, servanda sint in foro conscientiæ ex obligatione iuramenti, quamvis pactum videatur contra bonos mores; Et ideo promissio usurarum iuramento firmata impleri debet, ex Cap. Doflores, de Jurejurando: Poterit tamen peti relaxatio iuramenti ab Episcopo, si in iis pactis aliqua injuria intercessit, ut notant Less., Bonac., Trull.; quia in his tantum casibus iuramentum de re licita non obligat; Primo, quando illud irritatur a Superiore, ut irritatur renunciatio jurata Novitii, quæ non fit facta cum licentia Episcopi, aut Vicarii intra duos menses ante professionem; Secundo, quando nemo valide acceptavit promissionem juratam; Tertio, iuramentum non confirmat contractum jure civili irritum, tam quando dolus intercessit, quam quando metu extortum est, & quando gravissima, & enormissima læsio in eo continetur, eo quod hæc dolo comparetur; unde non indiget relaxatione, ex Dian. part. 4. tract. 4. resol. 28. Verbi gratia, si vi, & dolo, vel per metum fiat alienatio fundi dotalis, renunciatio futuræ successione, contractus Minoris de re mobili sine licentia Curatoris, donatio inter virum, & uxorem, aut inter patrem,

R

& si.

& filium non emancipatum: Quamvis probabilior sit sententia, quod in his casibus requiratur relaxatio iuramenti ab Episcopo, ex eodem Dian. loc. cit., & Trull. de Iuramento confirmante contractus. Si tamen sine dolo, & vi huiusmodi contractus fiant cum iuramento, probabile est, quod non conferant jus iustitiae, unde relaxato iuramento rescindi possunt. Quarto, iuramentum non confirmat contractum irritum propter bonum commune, secus vero si sit irritum propter bonum privatum; Verbi gratia, iuramentum de extrahendis mercibus prohibitis, aut si Clericus juret se sistere coram Iudice laico: Sic etiam propter bonum commune probabiliter irritatur Contractus sponsalium metu extortus; unde si iuramentum accedat, non obligat, ut docet Dian. part. 3. tract. 4. resol. 278. ex Sanch. lib. 4. disp. 21.: Contra vero, qui jurat solvere pecuniam ludo prohibito perditam, tenetur solvere, quia talis contractus non prohibetur primario propter bonum publicum, ut notat Pal. lib. 3. tract. 14. disp. 2. punct. 4. num. 12., ubi docet, idcirco iuramentum de solvendis usuris obligare, quia fit ad vitandum majus malum.

## ARTICULUS III.

Quinam donare possint, & quantum?

- I. Donare potest, qui pollet usu rationis, habetque dominium, ac liberam suorum bonorum administrationem, nisi id sibi veretur. Cui tamen prohibetur donatio remuneratoria.
- II. Quid de Prodigio, de Impubere, de Filiofamilias, de Minore? Quid de Uxore absque consensu mariti, de Beneficiariis, de Superioribus Regularium, ac de Subditis Regularibus?

III. Licentia Religiosis data expendendi probabiliter non ita limitatur, ut si expendant ad usus turpes, peccent contra votum, & qui illam accipiunt, ad restitutionem teneantur.

IV. Donatio inter filios, & Parentes quandonam est irrevocabilis?

V. Inter conjuges est universim revocabilis, sed in multis casibus est irrevocabilis. Et quid, si superaddatur iuramentum?

VI. Donatio omnium bonorum presentium, & futurorum est invalida; nisi fiat ad pias causas, aut fiat causa mortis, vel titulo oneroso. Quid si superaddatur iuramentum?

VII. Sine insinuatione non est valida donatio, quae excedat valorem quingentorum solidorum, seu ad septingenta, & quinquaginta scuta Hispania; nisi tamen sit remuneratoria, aut fiat ad pias causas, vel causa mortis, aut si iuramento firmetur.

I. **C**ertum est, eos solos posse donare, qui habent & usum rationis, & dominium, ac administrationem bonorum, nisi jure positivo impediatur, ut diximus cum de Emphyteusi: Ubi notandum, quod ei, cui prohibetur donare, non prohibetur donatio remuneratoria, quae dicitur antidotalis, hoc est quae fit ob merita praecedentia, & ad remuneranda beneficia; haec enim non est proprie donatio (ut est, quae fit intuitu solius liberalitatis;). Sicuti nec est proprie donatio, quando quis solvit, quod promiserat: Contra vero, si Creditor debitum liberaliter remittat.

Sequitur hinc primo, quod amens, furiosus, & qui non est mentis compos, donare non possint; non enim pro tali tempore habent liberam administrationem bonorum, cum non utantur libertate.

II. Secundo, nec prodigus, qui a Magi-

Magistratu sub Curatore positus est, cum careat administratione, unde donatarius tenetur restituere, quod accepit.

Tertio, nec impubes, (hoc est mas ante decimum quartum, & foemina ante duodecimum annum,) quamvis possit ad pias causas donare.

Quarto, nec filiusfamilias, etiam pubes sine consensu, saltem tacito, Patris; nisi habeat bona castrensia, vel quasi castrensia: Quamvis si de his bonis donaverit profuse, itaut sentiat notabile damnum, possit restitutionem in integrum petere.

Quinto, nec Minores viginti quinque annis absque consensu Curatoris; Censetur autem talis consensus adesse respectu donationum, quae fieri solent ab aliis viris ejusdem nobilitatis, & Patrimonii.

Sexto, nec uxor absque mariti consensu, nisi de bonis paraphernalibus: Quamvis possit dare eleemosynam, & munera, juxta morem aliarum mulierum ejusdem loci, & conditionis, etiamsi maritus omnes eleemosynas illi prohibeat, ut notat Dian. part. 5. tract. 8. resol. 34.; Ubi cum Molin., Ledesm., Ban., Malder., Veg. contra Turrian. docet, posse inscio marito dare vigesimam partem annui proventus, eo quod hoc pertineat ad decentiam status, & maritus irrationabiliter sit invitus.

Septimo, nec Ecclesiastici possunt sine mortali donare, aut testari ad usus profanos de iis, quae ex fructibus beneficiorum decenti sustentationi superflua sunt: Quamvis qui ea accepit, ad restitutionem non teneatur, ut fuisse Barbof. lib. 3. de Jure universo cap. 27.; quia Clerici sunt vere domini fructuum suorum beneficiorum, etsi teneantur superflua disponere in opera pia.

Octavo, nec Superiores Regularium donare poterunt ad usus profanos,

verbi gratia, ad locupletandos sanguineos; & qui aliquid ab iis accepit, ad restitutionem tenetur; quia non sunt domini, sicut sunt Beneficarii, sed solum administratores, & oeconomi; Unde donare tantum possunt servando leges fidelis oeconomi, necnon Constitutiones, & consuetudines suae Religionis; Et juxta intentionem Ecclesiae, & suae Religionis poterunt de rebus Monasterii disponere; Ratio ulterior est, quia dominium bonorum Monasterii est penes Conventum, qui nec consentit, nec potest consentire in donationes factas ad usus profanos, cum talis potestas sit illi adempta per Sacros Canones: Unde illud dumtaxat poterunt donare, in quod Conventus ad id convocatus censetur rationabiliter consensus. Hinc fit, posse Superiores Regularium, sicut alios habentes administrationem bonorum, facere donationes remuneratorias, quae merita, & obsequia non excedant; Possuntque etiam eleemosynas facere juxta rationabilem voluntatem Conventus, quia sic utiliter geritur res administrata.

Nono, nec subditi Regularium donare possunt sine licentia Superioris saltem probabiliter praesumpta, nec possunt cum licentia ad profanas causas disponere, seu ad illicita; quia Superiores ad haec dare licentiam non possunt; Unde qui aliquid ab iis accepit, tenetur restituere, juxta Bullam Clem. VIII. de Largit. munerum: Et Innoc. XII. in Constitutione de Facultate majoris Pœnitentarii habet, quod qui a Regularibus ultra valorem decem scutorum acceperit, contra Bullam Clem. VIII., exceptis rerum medicinalium, seu devotionis muneribus, ante factam restitutionem a Summo Pœnitentario non absolvatur; & infra praedictum valorem, non nisi facta eleemosyna in favorem Conventus, si caute fieri potest.



III. Notat tamen Dian. part. 3. tract. 2. resol. 65., & part. 7. tract. 9. resol. 15., & tract. 11. resol. 22., ex Bann., Lopez, Rebel., Pellizar., Suar., Lugo contra Sanch., Lefs., probabiliter licentiam datam Religiosis expendendi non ita limitari, ut si expendant in usus turpes, peccent contra votum, & qui aliquid recipit, teneatur ad restitutionem: Ad eum modum, quo non potest dominus pignoris dare tibi facultatem, ut pignore utaris ad usus turpes; quando autem universim dat facultatem, ut eo utaris, non illam restringit, itaut pecces contra justitiam, si ad usus turpes utaris. Unde fit, Bullam Innoc. XII. intelligendam esse, si quis det aliquid contra Bullam Clem. VIII. dilapidando bona Monasterii, aut ubi est ambitionis suspicio.

IV. Quæritur nunc primo: An donatio inter filios, & parentes sit valida?

Respondeo, validam esse donationem factam a filiis de bonis castrensibus, vel quasi; vel si fiat de bonis filio a Principe datis, vel de iis, quorum pater non habet usumfructum; ut contingit, quando aliquid filio donatur sub ea conditione, ut pater non habeat usumfructum. Præterea donatio facta a patre filiis non est valida jure communi, si non fiat rei traditio, facta tamen traditione est infirma, seu revocabilis; (quamvis confirmetur morte patris, aut per emancipationem filii:) Est tamen irrevocabilis, si fiat causa dotis, & nuptiarum, ex leg. *Pomponius Philadelphus*; vel si sit remuneratoria pro obsequiis, vel si fiat filio emancipato, aut illegitimo, (sicut etiam quæ fit a Matre, vel aliis ascendentibus filio,) ut notat Hurtad. diff. 11., & sere in omnibus casibus, in quibus valet donatio inter Conjuges; Sicut etiam quando juramento confirmatur; nisi tamen filius atroci injuria patrem afficiat.

V. Quæritur secundo: An valida sit donatio inter Conjuges?

Respondeo, esse invalidam jure communi, itaut possit a donatore revocari, ne conjuges ex mutuo amore se spolient bonis suis; quamvis morte donatoris confirmetur, si facta sit traditio donatario superstiti. Ita ex leg. *Cum hic status*, ff. de *Donationibus inter virum, & uxorem*. Est autem firma donatio Conjugum, si sit remuneratoria pro obsequiis, si vir remittat uxori dotem debitam, si donet illi quid annuum, & donatio non excedat fructus dotis uxoris, si uxor auget dotem, si donatio fiat, ut donatarius assequatur dignitatem, verbi gratia, doctoratum, nobilitatem, &c.: Demum si donationi inter conjuges addatur juramentum de illa non revocanda, docent communius, quod juramentum sit servandum; Probabile tamen est ex Azor., & aliis apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 28., & Trull. lib. 7. cap. 16. dub. 5., quod juramentum adjectum non obliget, nec indigeat relaxatione, si vi, & dolo sit adjectum; Si vero sine vi, aut dolo adjectum sit, procul dubio servandum est. Sed probabile est ex Tambur. lib. 3. cap. 3. §. 6. Suar., Pal., & aliis, ut diximus cum de Juram., quod non confirmet contractum, seu non det donatario jus justitiæ; unde relaxato juramento a Pralato, potest donatio revocari; ut poterat, si juramentum non esset adjectum; Et ad relaxandum hoc juramentum datur sufficiens causa, ne homines assuescant contra leges disporre ultra usus non necessarios.

VI. Quæritur tertio: An possit quis donare valide omnia bona sua?

Respondeo, donationem omnium bonorum presentium, & futurorum jure communi esse invalidam, ex leg. *Stipulatio* apud Lefs.; quia sic redderetur homo impotens ad testandum, quod videtur esse contra bonos mores.

res in Republica bene constituta. Est tamen valida talis donatio, Primo, si fiat ad pias causas, cum non possit invalidari talis donatio per jus Civile; Secundo, si fiat causa mortis, ut saepe fit inter conjuges, qui paciscuntur, ut superstes habeat omnia; Ratio est, quia haec donatio non tollit potestatem testandi, cum possit revocari; Tertio, si fiat titulo oneroso; verbi gratia, titulo matrimonii; quia haec donatio, cum non fiat ex liberalitate, non est proprie donatio; Quarto, si juramento firmetur, ut sentit Covarr., & Less. contra plerosque Jurisperitos; Ratio est, quia talis donatio non est contra bonos mores, perrinde quasi sit quid illicitum, sed est contra bonos mores solum, quia expedit Reipublicae passim esse libertatem testandi; Quare sine peccato potest quis donare omnia bona sua, & consequenter, si juramentum non revocandi donationem accedat, erit servandum.

VII. Quæritur quarto: An ad valorem donationis unversim requiratur insinuatio, seu manifestatio facta a donatore Judici, quod velit talem rem donare tali personæ?

Respondeo, jure naturali non requiri; sed requiritur ex leg. *Sentimus* jure communi, quando donatio excedit valorem quingentorum solidorum, (quorum quilibet valeat quatuordecim regales argenti, & novem mareviditos; unde quingenti solidi sunt ex Less. ad septingenta, vel septingenta, & quinquaginta scuta Hispaniæ,) quando autem dictum valorem non excedit donatio, etiam sine insinuatione est valida; Et eadem est ratio, si quis remittat aliquod debitum liberaliter.

Ubi notandum Primo, quod si donatio fiat sine insinuatione ultra dictam summam, solum est invalida quoad excessum, non vero relate ad talem summam. Secundo, quod dona-

tarius possit retinere excessum sic donatum, quousque a donatore, vel hæredibus repetatur. Tertio, quod donatio absque insinuatione est valida, etiam si excedat quingentos solidos, si juramento firmetur, ut notat Less. num. 160. ex Claro; Sicut etiam si sit remuneratoria, aut si fiat ad redemptionem captivorum, ad reparationem ædium incensarum, & ad quamcumque piam causam, ut communiter contra Gomez apud Less. docent; quia hujusmodi donationes non subsunt iuribus civilibus requirentibus insinuationem: Sicut etiam si filius renunciet hæreditatem, vel legatum, quod sperat ratione substitutionis; aut si Dux dividat spolia inter milites; Ac demum si donatio fiat causa mortis, ut tenet Clarus, ex leg. *ult.*, Cod. de *Donationibus causa mortis*, contra Molin., & Gomez apud Trull. num. 3.

## ARTIC. IV.

Quando possit Donatio revocari?

- I. *Donatio causa mortis est revocabilis; Secus vero Donatio inter vivos.*
- II. *Potest tamen Donatio inter vivos revocari, etiam si sit acceptata, & res sit tradita, si sit inofficiosa, dummodo non sit facta ad pias causas.*
- III. *Revocari pariter potest, si deinde donatori proles nascatur, nisi huic privilegio expresse renunciet; Necnon ob ingratitude donatarii, nisi sit facta ob causam.*
- IV. *Donatio causa mortis revocari potest, tam si donatorem poeniteat facta donationis, quam si ea facta sit intuitu mortis imminentis. Necnon si donatarius premoriatur.*
- V. *Si dubietur num donatio facta fuerit causa mortis, an inter vivos, presumendum, quod sit inter vivos, nisi facta sit mentio mortis, quamvis*

*vis facta fuerit tempore infirmitatis. Quid dicendum de donationibus factis in testamento, aut codicillis, si non fiat mentio mortis?*

I. **N**Otandum, donationem aliam esse inter vivos, aliam causa mortis: Dicitur inter vivos, quando quis sic donat, ut se vivo velit rem absolute, & simpliciter esse alterius: Dicitur causa mortis, cum quis sic donat, ut non velit rem absolute, & irrevocabiliter esse alterius, nisi post suam mortem.

II. Quæritur nunc primo: Quibus de causis revocari possit donatio inter vivos?

Respondeo, tribus de causis revocari posse, etiam si sit acceptata, & res tradita. Primo, si sit inofficiosa, id est contra officium pietatis paternæ in filios, puta quando Pater tantum donat, ut filii priventur sua portione legitima, ex *leg. I. Cod. de Inofficiosa donatione*: Si tamen ea sit facta Ecclesiæ, vel piæ causæ, non revocatur tota, sed solum usque ad legitimas filiorum; Immo possunt parentes minuere legitimas filiorum, tum per contractus onerosos, tum etiam ob donationem remuneratorem, & ad piæ causas; quia talis donatio non est proprie donatio, cum non fiat ex liberalitate, sed est donatio ob causam. Non revocatur tamen talis donatio, nisi post mortem patris, quando debetur filiis legitima.

III. Secundo revocatur ratione proles de novo susceptæ, ut si quis prole carens donavit magnam partem bonorum; Etenim si nascatur proles, potest revocari donatio etiam jurata, quia præsumitur facta sub conditione, nisi nascantur filii, ex *leg. Si unquam, Cod. de Revocandis donationibus*; Nisi tamen donator expresse renunciaret privilegio laudatæ legis, *Si unquam*, etiam si ei nascantur filii; Quod si do-

natio facta sit Ecclesiæ, vel ad piæ causas, aut alicui ascendentium, videlicet patri, avo, &c., tunc non revocatur tota, sed solum quoad legitimas filiorum postea susceptorum; quamvis laudabiliter Ecclesia totum restituat propter ædificationem populi, ut fecit Aurelius Episcopus Chartaginis apud Less. num. 109.

Tertio, ob ingratitude, si scilicet donatarius injurias atroces in donatorem effuderit, aut impias manus injecerit, aut damnum grave eidem intulerit, aut si inopia pressum non aluerit, ut notat Sylvest. apud Trull.; Non potest tamen ob hanc causam revocari, si facta sit donatio propter obsequia, vel ad causam piæ, vel cum juramento non revocandi etiam data ingratitude; Sicut etiam si sit facta Ecclesiæ, aut Monasterio; quia tunc, ut notat Less., censetur facta Deo, & ob causam.

IV. Quæritur secundo: Quibus de causis revocari possit donatio causa mortis facta?

Respondeo, tribus etiam de causis; Primo si donatorem poeniteat donationis factæ; & hoc modo testamentata, & legata revocari possunt pro arbitrio usque ad mortem, Secundo, si quid donatum sit intuitu periculi mortis instantis; ut si quis in gravi morbo, vel instante prælio donet, elapso tali periculo censetur donatio revocata; Tertio, si donatarius præmoriatur; ut usuvenit in testamentis, & legatis: Secus accidit de donatione inter vivos, quæ non extinguitur morte donatarii, si sit acceptata, sed transit ad hæredes. Quod si donator promittat, se donationem non revocaturum, eo ipso talis donatio transit in donationem inter vivos, seu quæ dicitur irrevocabilis inter vivos.

V. Si tamen dubium sit, an donatio fuerit inter vivos, vel causa mortis? Azor., Bonac. hic punct. ult., & Cla-

Clarus ex communi sententia docent non esse judicandum factam causa mortis, nisi sit facta mentio mortis, etiam si fiat tempore infirmitatis. Idcirco Azor. docet, donationem in testamentis, & codicillis non censi factam causa mortis, nisi sit facta mentio mortis, quamvis Clarus oppositum sentiat.

## ARTIC. V.

## De Promissione, &amp; Donatione Conditionali.

- I. Valida est donatio conditionata; & purificata conditione obligat, siue conditio sit de presenti, siue de praterito. Pariter si sit de futuro necessario, quin suspendatur obligatio usque ad purificationem conditionis.
- II. Si conditio sit de futuro contingenti, suspenditur obligatio usque ad eventum conditionis, sed donatio interim revocari non potest, nisi sit donatio causa mortis.
- III. Conditio impossibilis irritat donationem conditionatam; necnon quemcumque alium contractum, excepto contractu matrimoniali, & ultimis voluntatibus, in quibus habetur pro non adjecta.
- IV. Idem dicendum de conditione turpi; qua tamen reddit etiam irritum matrimonium, si sit contra ejus substantiam, videlicet contra bonum proles, fidei, & Sacramenti.
- V. Conditio isthac, Si non nupsieris, apposita ultimis voluntatibus, num habeatur pro non adjecta? Et quid de conditione, si Religionem non ingrediaris?

I. **N**on dubitatur, Promissionem, & Donationem sub conditione de presenti, aut de praterito esse validas, & obligare, si conditio sit purificata. Pariter est valida, & ob-

ligat tam promissio quam donatio sub conditione de futuro necessario, puta si cras sol orietur, quia nunc verum est conditionem esse adimplendam, & sic censetur promissio facta sub conditione de presenti, ut docent communiter apud Gomez cap. 12. de Legat., & Less.

II. Quæritur nunc primo; An promissiones, & donationes sub conditione de futuro contingenti ante eventum conditionis obligent, & an revocari possint?

Respondeo, promissiones, & donationes sub conditione de futuro incerto, exempli gratia, si fies Sacerdos, non obligare ad illas implendas ante eventum conditionis, sed obligationem interim esse suspensam; obligare tamen ad illas interim non revocandas. Ita communiter; Et ratio est, quia promissor, seu donator non intendit se obligare ad dandum non purificata conditione, atque adeo ante hujus eventum ad nihil tenetur: Debet tamen promissionem, ac donationem interim non revocare, quia cum promissio sit acceptata, acquirit jus promissarius, ne revocetur ante conditionis eventum: Excipitur tamen donatio conditionalis facta mortis causa; ex jure enim positivo in leg. *Qui mortis causa, ff. De mortis causa donationibus*, inest in hac donatione conditio isthac tacita, nisi illam revocavero.

III. Quæritur secundo; Num donatio sub conditione impossibili, verbi gratia, si lunam detraxeris; aut sub conditione turpi, verbi gratia, si hostem occideris, pariat ullam obligationem.

Respondeo, & dico primo: Conditio reapse impossibilis non suspendit obligationem donationis conditionatæ, cum non possit expectari eventus conditionis. Sed universim irritat donationem, seu promissionem, immo omnem

muem alium Contractum; circumscripto tamen contractu Matrimonii, nec non ultimis voluntatibus, videlicet institutione hæredis, fideicommissio, legato, & donatione causa mortis, in quibus conditio impossibilis, aut turpis illis adjuncta habetur pro non adjuncta, ut constat ex variis juribus apud Gomezium de Legatis cap. 12. num. 67., & Lessi. cap. 18. num. 123. Ratio, cur universim conditio impossibilis omnem contractum irritet, itaut nulla ex eo confurgat obligatio, est, quia conditio isthæc denotat non adesse consensum in contrahente, nisi forte aliquando joco superaddatur.

Ratio autem, cur conditio impossibilis non irritet contractum matrimoniale, sed in eo habeatur pro non adjuncta, est, quia Gregor. IX. in *Cap. fin. de Conditionibus appositis*, statuit in favorem Matrimonii, tam conditiones impossibiles, quam turpes, quæ non sunt contra substantiam conjugii, non irritare contractum, sed habendas esse pro non adjunctis. Verum quidem est, id statui solum pro foro externo, quod præsumit adesse in his casibus consensum internum; at si revera consensus internus non adesset, matrimonium procul dubio non esset validum: Sicut neque est validum Matrimonium pro foro externo, si conditiones appositæ sint contra substantiam matrimonii, videlicet aut contra bonum prolis, ut si dicatur, *contraho tecum, si generationem prolis evites*; aut contra bonum fidei, seu fidelitatis, ut si dicatur, *contraho tecum, si corpore quæstum facies*; aut contra bonum Sacramenti, quod est indissolubile, dicendo, *verbi gratia, Contraho tecum, quousque reperiam ditioem*.

Ratio vero, cur conditio impossibilis ex jure pariter positivo apud Gomez loc. cit. non irritet ultimas voluntates, sed habeatur pro non adje-

cta, est, quia mortuo testatore non habetur modus interpretandi ejus voluntatem, num scilicet joco, an serio talem conditionem apposuerit; & ideo ad vitandas lites statutum est, ut conditio impossibilis in his contractibus habeatur pro non adjuncta: Nec solum pro foro externo, ut in contractu matrimonii, & Sponsalium, in quo citra internum consensum non potest dari obligatio in conscientia; sed etiam pro foro interno, quia potest in iis potestas humana supplere consensum internum, quatenus bona externa subduntur dispositioni juris humani supposita justa causa; quæ de facto habetur in casu nostro.

IV. Dico secundo: Conditio turpis (quæ dici solet conditio jure impossibilis, quatenus poni nequit jure inviolato,) si sit de futuro, irritat donationem, & quemvis alium contractum; (quamvis, ut diximus ex Gregor. IX., in contractu matrimonii, & in ultimis voluntatibus habeatur pro non adjuncta, si non sit contra substantiam conjugii:) Quare donatio, ac promissio non obligat, si fiat sub conditione turpi, verbi gratia, *Dummodo hostem occidas*, aut, *Dummodo ab operibus honestis abstineas*. Ratio est, quia quando conditio ista est de futuro, contractus obligaret; aut alliceret ad peccatum, quod est rationi dissonum: Si tamen conditio turpis sit de præterito, aut de præsentibus, cum ad peccatum non alliciat, contractum non irritat; unde valide donatur, verbi gratia, *dos fœminæ, quæ fuit, aut est meretrix, si resipiscat*. Quod autem donatur alicui sub conditione alicujus sceleris, verbi gratia *Conjugatæ, si consentiat in adulterium*, quantumvis ante patratum facinus contractus sit invalidus; patrato tamen scelere probabilius solvendum est, ut alias diximus.

V. Quæritur tertio: An donatio ista con-

conditionata, Si non nuperis, appo-  
sita ultimæ voluntati, puta Legato,  
obliget, etiamsi donatarius nuperis;  
unde conditio isthæc habeatur pro non  
adjecta?

Respondeo, olim jure Digestorum  
apud Lessi. numer. 123. conditionem  
istam habitam fuisse ut non adjectam,  
idque in favorem matrimonii. Deinde  
jure Codicis habetur pro non ad-  
jecta solum relate ad primas nuptias,  
non vero relate ad secundas; unde  
Legatum relictum viduæ sub conditio-  
ne, quod iterum non transeat ad nu-  
ptias, non debetur illi, si non maneat

in sua viduitate. Et similiter legatum  
relictum alicui sub conditione, quod  
Religionem ingrediatur, non purifica-  
ta hac conditione illi non debetur.  
Contra vero legatum relictum alicui  
sub conditione, quod nubat, illi debe-  
tur, quamvis Religionem ingrediatur;  
idque in favorem status Religiosi; Et  
probabilius id verum est, quamvis te-  
stator expresse dicat se donare alicui  
centum si nubat, non vero si Religio-  
nem ingrediatur; cum enim talis con-  
ditio pariter retrahat a Religione, ha-  
benda est pro non adjecta, ut fufius  
dicemus quæst. ult. art. 7. de Legatis.

## Q U Æ S T I O IX.

### De aliis præcipuis Contractibus.

**A** Genus breviter Primo, de Fidejussione, Affecuratione, Pignore, & Hy-  
potheca. Secundo, de Deposito, Commodato, & Precario. Tertio,  
de Contractu Societatis. Quarto, de Ludo, & Sponsione. Quinto, de Quasi  
Contractibus. In postrema deinde quæstione agemus de Testamento, & Le-  
gatis, quæ uberem disceptandi segetem subministrant.

#### A R T I C. I.

De Fidejussione, Affecuratione, Pigno-  
re, & Hypotheca.

- I. Per fidejussorem homo suscipit alterius  
promittentis obligationem in ejus de-  
fectum.
- II. Non tenetur fidejussor solvere in iis  
casibus, in quibus Principalis non  
teneretur. Nec antequam petatur.  
Quid si plures in solidum fidejube-  
ant? Obligatio fidejussionis transit  
ad heredes.
- III. Cura usuram potest aliquid a prin-  
cipali debitore accipi pro fidejussio-  
ne.
- IV. Per Affecurationem suscipit quis in  
se periculum rei aliena. Et quidem  
Pars IV.

si id fiat gratis, est promissio libe-  
ralis; si fiat pro pretio, reducitur  
ad venditionem. Quodnam sit pre-  
tium justum Affecurationis?

- V. Per contractum Pignoris datur Cre-  
ditori res mobilis in securitatem cre-  
diti. Per Hypothecam res immobi-  
lis remanet apud debitorem obligata  
creditori in securitatem.
- VI. Res, qua vendi non possunt, nec  
possunt in pignus dari, ut res sacra,  
qua tamen in quibusdam casibus  
& pignorari, & vendi possunt.
- VII. Hypotheca dicitur esse Tacita, quan-  
do ex juris dispositione involvitur in  
aliquo contractu, ut ratione dotis  
hypothecantur bona mariti, & in  
aliis casibus.
- VIII. Hypotheca generalis extenditur ad  
bona omnia etiam futura, nec im-  
pedi

S

pedit quominus hac vendantur, dummodo pretium succedat loco rei.

IX. Quandonam Creditor potest uti pig-  
nore?

X. Num, & quando possit tam in foro  
interno, quam in externo Creditor  
vendere pignus?

I. Quæritur primo: Quid sit, &  
Quid ferat Fidejussio?

Respondeo, fidejubere idem esse,  
ac fidem suam alteri jubere, seu dare;  
Unde fidejussio est *Contractus*, quo quis  
suscipit in se obligationem alterius, pro-  
mittendo sub fide sua illius adimpletio-  
nem, seque obligando in defectum princi-  
palis debitoris.

II. Ex quo fit Primo, fidejubentem  
non teneri ad aliquid, ad quod princi-  
palis non teneatur, cum ejus perso-  
nam gerat; atque adeo si principalis  
non debet, vel quia sententia Judicis  
fuit nulla, vel quia remissum est illi  
debitum, vel aliunde, nec debet quic-  
quam fidejussor.

Sequitur secundo, non debere con-  
veniri fidejussorem antequam petatur  
solutio a Principali debitore, ex *Auth.  
Præsentie, Cod. de Fidejussoribus*; ete-  
nim hic solum tenetur in defectum  
Principalis: Potest quidem huic suo  
juri cedere, & obligare se ad solven-  
dum ante excussionem Principalis, sed  
in hoc casu non efficeret contractum  
fidejussionis, quia non se obligaret  
accessorie, sed æque primo cum Prin-  
cipali.

Sequitur tertio, quod si tres, verbi  
gratia, in solidum fidejubeant pro tre-  
centis aureis, singuli teneantur ad to-  
tam summam in defectum principalis,  
qui tamen convenitur, potest excipe-  
re, ut quilibet pro sua parte conve-  
niatur; Quod si unus integre solvit,  
poterit cogere creditorem, ut sibi ce-  
dat actionem, quam habet in alios  
duos, sicque poterit a singulis centum  
exigere, & centum a principali de-  
bitore.

Sequitur quarto, obligationem fi-  
dejussionis transire ad hæredes, quia  
omnis obligatio ex justitia, & ex con-  
tractu ad hæredes transmittitur.

Cæterum omnes, qui possunt prin-  
cipaliter obligari, possunt pariter fi-  
dejubere, nisi jure id vetetur; ut in  
multis casibus apud *Less. num. 12. ve-  
ratur Mulieribus, & Minoribus*. Nec  
possunt fidejubere Ecclesiastici in præ-  
judicium Ecclesiæ, sed solum in da-  
mnum proprium.

III. Dubitatur, An possit sine labe  
usuræ fidejussor aliquid pro fidejussio-  
ne accipere?

Respondeo cum communi contra  
Ananiam apud *Hurtad.* posse, quam-  
vis enim solvere pro debitore sit ei  
quasi mutuare id, quod pro eo solvi-  
tur; at fidejubere non est solvere,  
nec mutuare, sed obligare se ad sol-  
vendum, vel quasi mutuandum; Hæc  
autem obligatio est pretio æstimabilis,  
non secus ac obligatio mutuandi, &  
ideo aliquid pro ea accipi potest sine  
labe usuræ; Sicut creditor potest ali-  
quid accipere a fidejussore, ut eum  
eximat a sua obligatione. Utrum au-  
tem pariter citra usuram saltem spe-  
culative loquendo possit ipse Mutuator  
exhibere se Mutuatario fidejussorem,  
accipiendo ultra sortem, quod Mutua-  
tarius alteri pro fidejussione esset so-  
lutorus; Diximus supra quæst. 3. de  
Usuris artic. 3. num. 16.

IV. Quæritur secundo: Quid sit Af-  
securatio?

Respondeo Affecurationem esse *Con-  
tractum*, quo quis suscipit in se  
periculum rei aliene, vel pro ali-  
quo interesse, vel gratis. Si fit gra-  
tis, est promissio liberalis; si ve-  
ro fit pro pretio, reducitur ad vendi-  
tionem; quia affecurans vendit suam  
obligationem compensandi rem, si  
pereat: Proinde ne adsit injustitia,  
requiritur æqualitas inter pretium, &  
susceptionem talis periculi, seu obli-  
gatio-

gationis; Quare periti consulendi sunt, ut attentis periculis pretium taxent. Communiter, ut notat Azor., in quibusdam locis accipi solent quinque, vel sex pro centum: At Mediolani in aliquibus contractibus pro affecuratore accipiuntur, ut notat Bonac., tantum duo, praesertim in contractu societatis pro affecurando capitali; quia in hoc casu affecuratore non exponit se magno periculo, sicut se exponit, qui navim affecurat, quae a ventis jactatur cum magno discrimine.

V. Quæritur tertio; Quid, & Quotuplex sit Pignus, & Hypotheca?

Respondeo, Pignus esse *Contractum*, quo res mobilis traditur creditori in securitatem crediti: Hypothecam vero esse *Contractum*, quo res immobilis remanens apud debitorem obligatur creditori in securitatem crediti.

VI. Hinc fit, res, quæ vendi possunt, a fortiori posse pignorari, aut hypothecari: Contra vero, quæ vendi non possunt, nec possunt in pignus dari; quia pignoratio est quædam collatio juris, ut res pignorata vendatur in defectum solutionis debiti. Ex quo constat res sacras pignorari non posse, cum nec possint vendi, nisi in casu necessitatis; ut quando aliter nequeunt debita solvi, aut captivi liberari, vel fame oppressis subveniri; in quibus casibus etiam vendi possunt, ex Cap. *Sancimus*, de *Sacrosanctis Ecclesiis*, ut notat Lessi. lib. 2. cap. 28. dub. 7., & Hurtad. hic.

VII. Præterea pignus, & hypotheca est duplex, Expressa scilicet, quæ ex partium conventionione celebratur, & Tacita, quæ implicite involvitur in aliquo contractu ex Juris dispositione; ut accidit in dote, pro qua ex Juris dispositione hypothecantur omnia bona mariti; Sicut etiam bona defuncti sunt hypothecata pro legatis, fructus fundi Conductoris pro pensione fundi, bona Tutoris pro administratione

Pupilli, & sic in aliis plurimis casibus apud Lessi. num. 35.

VIII. Rursus hypotheca alia est Specialis, quæ res certa obligatur, & obligata remanet apud quemcumque possessorem; Alia Generalis, quæ extenditur ad omnia bona præsentia, & futura: quæ proinde non impedit quominus bona hypothecata vendantur, quia pretium succedit in locum rei venditæ.

IX. Quæritur quarto; An Creditor possit uti pignore?

Respondeo, solum de consensu saltem tacito Creditoris posse; qui consensus facile intervenit, si nullum inde damnum debitori sequatur ex tali usu pignoris: Unde potest creditor uti, verbi gratia, equo in pignus accepto, ne otio torpeat. Notant tamen Doctores, quod ne intercedat usura, debeat creditor valorem talis usus computare ad extinguendam sortem; nisi forte præsumatur dominum gratis concedere usum pignoris; quod præsumi potest in iis rebus, quarum usus gratis conceditur, ut est usus libri, &c.: Quare si quis agrum in pignus acceptum colat, debet fructus in sortem computare, etiamsi dominus ex sua negligentia non esset agrum illum culturus; Et ratio est, quia res omnis domino fructificat.

X. Quæritur quinto; An possit creditor vendere pignus?

Respondeo, quod non solvente debitore, possit in foro externo creditor vendere pignus, saltem post biennium, admonito prius debitore, ex leg. *Si convenerit*, ff. de *Pignore*; at in foro interno, debitore existente in mora, poterit creditor post trinam admonitionem expectato inter unam, & alteram tempore conveniente, pignus vendere, ut multi docent apud Bonac., ideo enim datur pignus, ut possit creditor sibi consulere, & servare se indemnem: Quod si convenerit



tio fuerit nunquam vendendi pignus, aut vendendi statim, nulla praemissa admonitione post terminum constitutum, standum erit conventioni. Ita Sà, Vasq. & alii apud Croix lib. 3. p. 2. num. 1114. contra Azor., Regin. & alios putantes adhuc posse post trinam monitionem vendi, eo quod hæc sit natura pignoris.

## ARTICULUS II.

### De Deposito, Commodato, & Precario.

- I. Per Contractum Depositi traditur aliquid custodiendum, ut integrum restitatur.
- II. In periculo incendii, aut naufragii, num sint salvanda prius res deposita, aut commodata, seu locata, aut in pignus data, an vero propria, sive equalis, sive inequalis valoris sint?
- III. Quando nam possit Depositarius ex Epicheja uti re deposita?
- IV. Aliquando Deposita transit in Mutuum, sive in Commodatum, aut Locatum. Quod si in mutuum transeat, non poterit ex ejus rei usu Deponens aliquid lucrari citra usuram.
- V. Depositarius in multis casibus non tenetur rem depositam reddere domino petenti; praesertim si ea sit abusus contra justitiam; & probabiliter etiam contra alias virtutes.
- VI. Per contractum Commodati res alicui conceditur gratis ad certum usum, & pro determinato tempore: Tenetur Commodatarius ex levissima culpa juridica ad restitutionem, si pereat res commodata.
- VII. Expensa ordinaria pro re commodata faciendae sunt a Commodatario: extraordinaria vero a Commodante.
- VIII. Num possit Commodans ante tem-

pus praefixum rem commodatam repetere ad declinandum proprium damnum aequale illi, quod in tali casu immineret Commodatario?

- IX. Per contractum Precarii res alicui conceditur gratis; ita tamen, ut possit ea ad arbitrium repeti citra alterius grave damnum.
- X. Non cessat Precarium morte concedentis illud; cessat vero morte accipientis, ita ut non transeat ad hujus heredes.

I. **Q**uæritur primo; Quid sit, & Quid ferat Deposita?

Respondeo, Deposita esse Contractum, quo aliquid traditur custodiendum, ut integrum restitatur; In quo differt a Commodato, Precario, & Pignore, per quos contractus non traditur res, ut custodiatur; Differt etiam a Mutuo, per quod transfertur dominium rei, secus vero per depositum; Unde fit, quod res deposita pereat ipsi deponenti, quia res perit domino suo; Quamvis si pereat ex culpa lata, & gravi depositarii, hic teneatur ad restitutionem juxta dicta in de Restitutione; cum enim contractus hic fiat in favorem deponentis, non depositarii, requiritur culpa lata istius, ut ad restitutionem teneatur.

II. Difficultas tamen est, An depositarius, sicut etiam Commodatarius teneatur praeferre res depositas, aut commodatas rebus propriis, si in casu incendii, aut naufragii non possint utraque salvare?

Respondeo cum communi apud Lessium num. 27.; Si res deposita est longe pretiosior, quam tua, teneris illam praeferre, & salvare, relicta tua. Et ratio est, quia rei depositæ, commodatæ, locatæ, aut in pignus acceptæ ea debetur custodia, quam quisque prudens suis rebus adhiberet; atque prudentes salvant in his casibus prius res proprias pretiosiores, quam viliores;

res; ergo debent potius salvare rem depositam alienam pretiosorem, quam propriam. Ubi notandum, quod si talis res sit deposita in commodum deponentis, poteris in his casibus petere ab illo compensationem pro rebus tuis deperditis; aliter compensationem petere non potes. Quod si res deposita sit æqualis valoris, quam tua, poteris præferre tuam, si res deposita sit in commodum deponentis, aut in commodum utriusque; secus vero si ea res in commodum tui sit deposita, quin possis in hoc casu compensationem exigere.

Ex quibus constat, quid sit dicendum in casibus similibus, si cum rebus tuis concurrat res commodata, aut locata, aut pignori data; Similiter enim ratiocinandum est ex iisdem principiis.

III. Queritur secundo: An possit depositarius uti re deposita?

Respondeo, communiter non posse ea uti absque consensu domini, quia res non traditur ad usum, sed ad custodiam; Unde utens re illa mala fide tenetur ad restitutionem valoris usus, etiamsi ea re, puta veste, aut equo, dominus non esset usurus; quia scilicet res domino fructificat: Nisi forte rationabiliter præsumat, dominum nolle pretium talis usus sibi restitui, sed velle condonare. Quod si bona fide depositarius tali re utatur, credens non displiciturum id domino, excusatur a culpa; Si tamen deindeprehendat id domino displicuisse, tenetur olum ad compensationem illius, in quo factus est ditior, non vero ad totum valorem usus rei, ut notat Hurtad., cum is sit effectus bonæ fidei.

In eo tantum casu potest licite depositarius absolute uti re deposita, quando scilicet dominus saltem tacite cedit usum rei; In quo casu si res deposita recipit functionem, seu est usu consumptibilis, ut pecunia, vinum,

&c., communiter cum Molin., Less., Azor. apud Bonac. putant, quod contractus transeat in mutuum; Quod tamen negat Hurtad. putans non transferri rei dominium in depositarium, sed concedi illi, ut ea re non tanquam propria, sed tanquam deponentis utatur, illam consumendo cum obligatione restituendi similem.

Ex quo fit, quod si ante consumptionem res pereat, aut ejus pretium crescat, aut decrescat, pereat, crescat, aut decrescat ipsi deponenti, non depositario; Quod non accideret, si contractus transisset in mutuum, & translatum esset dominium in depositarium.

IV Tunc dici verius potest, quod transeat contractus in mutuum, quando depositarius ex consensu domini actu utitur re deposita, quæ sit usu consumptibilis; Sicut transit in commodatum, quando datur depositario facultas utendi re deposita, quæ functionem non recipit, puta equo; Vel transit in locatum, si pro ejus usu pretium exigatur.

Hinc deducitur, non excusari ab usura eos, qui deponunt pecuniam apud aliquem cum pacto, quod is solvat quatuor, verbi gratia, in centum. Ratio est, quia lucrum vel percipitur ex deposito præcise, & potius depositarius debet propter custodiam, cui se obligat, aliquid accipere, quam deponens: Vel percipitur ex usu pecuniæ, & cum depositum rei functionem recipientis transeat in mutuum, quando ejus rei conceditur usus, idcirco non potest ex tali usu recipi lucrum citra usuram; nisi forte ratione lucri cessantis, aut damni emergentis reciperetur.

Notat hic Molin. disp. 524. apud Bonac., quod depositarius possit uti re deposita, etiamsi non sit illi data facultas expressa utendi, quoties res est usu consumptibilis, nec illi est inter-

terdictus usus, & credit se habiturum rem similem tempore solutionis; puta si pecunia deponatur sine onere restituendi eandem, nec detur in sacculo, aut in arca inclusa. Ratio est, quia dominus non censetur invitus; nam nullum damnum recipit ex tali usu, sed potius commodum, quia cum per usum translaturum sit dominium in depositarium, res stat ipsius periculo; cum res domino pereat, & consequenter ipsi depositario cresceret, aut decrederet pecuniae pretium.

V. Quæritur tertio: An semper depositarius teneatur reddere rem depositam domino exigenti?

Respondeo, in quatuor casibus non teneri. Primo, si prudenter timeatur deponentem ab usum iniuste re deposita; ut si reddatur furioso gladius, quo sit alterum iniuste damnificaturus: Immo probabiliter ex Lels., Molin. contra alios Doctores, nec tenetur, (ut diximus quaest. 3. art. ult. de Restit.) si dominus sit abusus re deposita peccando contra alias virtutes a iustitia; verbi gratia, si veste deposita abusus est ad alliciendam feminam. Ratio est, quia quamvis dominus ex vi iustitiae habeat jus repetendi talem vestem, non tamen hic, & nunc; cum iustitia non opponatur charitati precipienti, ut peccatum proximi vitemus, quando possumus sine gravi incommodo. Secundo non tenetur, quando bona deponentis sunt ob aliquod crimen per sententiam fisco applicata: Ante sententiam vero posito crimine potest aut deponenti, aut fisco, prout maluerit, illam dare. Tertio, si res sit furto sublata, non potest reddi, nisi prudenter credatur, quod deponens sit illam restitutus domino. Demum, quando non potest depositarius obtinere solutionem sibi debitam, potest sibi retinere rem depositam in compensationem.

VI. Quæritur quarto: Quid sit, & Quid ferat Commodatum?

Respondeo, Commodatum esse contractum, quo res alicui gratis conceditur ad certum usum; Unde differt a Mutuo, per quod scilicet transfertur dominium; differt a Deposito, per quod non conceditur usus; differt a Locato, quod non fit gratis, sed pretio; differt a Precario, per quod conceditur usus ad arbitrium; At per Commodatum conceditur res ad certum usum, hoc est pro certo, & determinato tempore, itaut ante illud res repeti non possit citra iniustitiam; unde tenetur ad restitutionem Commodans, si repetendo rem ante praefixum tempus sit causa alicujus damni Commodatario: Nisi forte commodans, si non repetat rem illam, passurus sit simile damnum, quatenus non censetur voluisse concedere rem commodatam pro tali casu non praevisto, ut dicemus quaest. seq. cum communi sententia apud Lels. contra Navar. & Reginal.; Sicut enim promissio non obligat, si post promissionem notabiliter res mutentur, ita nec commodatum, cum utrumque gratis fiat. Quod tamen limitat Bonac. ex Sylvest. & Sa. contra Molin., & Lels., Nisi commodatarius aliunde non fuisset rem illam habiturus, si ille non commodasset, quia cum commodatarius possideat, videtur melior esse ipsius conditio.

Ex dictis sequitur, tria ad commodatum requiri. Primo, mutuum consensum; quilibet enim contractus mutuo consensu perficitur. Secundo, ut res tradatur gratis ad certum usum, & ad certum tempus. Tertio, ut dominium rei pertineat ad commodantem, cui pereat, si sine culpa mortali commodatarii pereat. Notavimus tamen in de Restitutione, teneri commodatarium ad custodiam rei commodatae adhibere diligentiam maximam,

nam, quam scilicet adhibent diligentissimi; nam universim Doctores apud Less., Azor., Molin. disp. 297. docent, ex levissima culpa juridica (dummodo sit culpa Theologica gravis) teneri ad restitutionem commodatarium, eo quod talis contractus celebretur in favorem solius commodatarii.

VII. Dubium est, Ad quem pertineant expensæ pro re commodata?

Respondeo, expensas ordinarias faciendas a commodatario, quippe qui commodum reportat; quare hic debet alere equum, & ferreis laminis calcare: Expensæ vero extraordinariæ faciendæ sunt a commodante, in cuius utilitatem cedunt, ex leg. *In rebus*, ff. *Commodati*.

VIII. Quæritur quinto: An commodans possit ante tempus præfixum rem commodatam repetere cum damno commodatarii, si par damnum ipsi commodanti imminet?

Respondeo cum Molin. disp. 294., Less., Sylvest., & aliis posse; quia sub ista tacita conditione censetur contractus commodati celebrari, quod interim commodanti res non sit necessaria; Sicut, ut supra diximus, in simili casu potest locator rem locatam repetere: Universim enim promissio cessat obligare, si status rerum notabiliter mutetur, ut notat D. Th. quæst. 110. art. 3. ad 3., ut si quis promiserit alteri alimenta, & deinde ipse incidat in egestatem; aut si promissisti puellæ, quam putabas virginem, nuptias, & deinde illam deprehendis corruptam; in his, & similibus casibus non censetur promissor tales eventus comprehendere.

Neque dicas, quod si donator indigeat deinde post donationem re donata, non possit illam repetere a donatario; ergo neque id poterit commodans, quamvis indigeat. Nam concessio antecedente, negatur consequentia; Et disparitas est, tum quia com-

modans retinet dominium rei commodatæ, & ideo retinet jus ad sibi illam vindicandam tempore indigentia; ubi donator omnino abdicavit a se rem donatam; tum etiam quia donator non censetur donare rem sub ea conditione, ut possit repeti; Secus vero commodans, & locans.

Adde ex Lug. hic num. 11. paritatem donationis retorqueri. Nam donator, qui prolem non habet, nec de ea cogitavit, si prolem suscipiat, potest jure naturæ donationem revocare, quia censetur noluisse donare pro tali circumstantia; ergo idem dicendum in casu nostro.

IX. Quæritur sexto, Quid sit, & Quid ferat Precarium?

Respondeo, Precarium esse contractum, quo aliquid gratis conceditur alteri cum potestate illud repetendi ad arbitrium; ut si concedatur alicui liber, vel quod transeat per agrum meum, quousque mihi placuerit. Definatur autem in leg. 1. ff. *de Precario*, quod sit *contractus, quo precibus petentis aliquid conceditur utendum, quandiu is, qui concedit, non revocaverit*. Quare differt a mutuo, & venditione, per quæ transfertur dominium; a Deposito, quod fit ad custodiam rei, & in favorem deponentis; a Locatione, quæ non fit gratis; & a Commodato, quod non potest revocari ante præfixum tempus: Precarium vero potest ad libitum repeti, nisi aliud charitas postulet; ut accidit, quando repeti non potest sine gravissimo detrimento habentis Precarium, ex leg. 1. ff. *de Precario*.

Rogabis, Quomodo Precarium finiatur?

Respondeo, cessare non solum per voluntatem concedentis, aut per venditionem rei precario datæ factam a domino, sed etiam per mortem accipientis Precarium; Cum non transeat ad hæredes talis concessio, sed

fit

fit personalis. Non cessat tamen per mortem tradentis, ex leg. *Cum Precarium*, ff. de Precario; quare perseverat, quousque ab hæredibus revocetur; dummodo tradens Precarium non concefferit sub hac forma, videlicet usque ad meum beneplacitum, vel donec voluero, vel donec vixero, &c.

### ARTICULUS III.

#### De contractu Societatis.

- I. Societas est conventio duorum, vel plurium contracta ad conferendum aliquid in usum, vel questum communem. Quando factoribus in stipendium datur quarta, vel quinta pars lucrorum, tunc habetur contractus conductionis potius, quam Societatis.
- II. Multipliciter fieri potest contractus hic Societatis; Hac autem si fundetur in negotiatione illicita, nullam parit obligationem ante negotiationem. Periculum foris stare debet penes apponentem, si non superaddatur Assesuratio.
- III. Ut Societas fiat ad caput saluum, plura requiruntur.
- IV. Colonus ex contractu Societatis non solum debet reportare pretium sua operæ, ac si esset famulus, sed etiam lucrum consentaneum.
- V. Si Titius apposuit centum, & Cajus operam suam, & in fine negotiationis remanent biscentum, aut etiam centum, quonam pacto dividenda inter socios?
- VI. Quid si Titius apponat sortem, quæ in principio negotiationis pereat, antequam Cajus ponat adequatè operam suam?
- VII. Est iniustus contractus, quod dentur centum oves Pastori, itant totidem reddat in fine anni, & lucrum dividatur, si non superaddatur alius contractus Assesurationis.

VIII. Cum eadem assesuratione potest locari iusto pretio Pharmacopola Apotheca cum vasis suis, & pharmacis, cum onere, quod in fine anni totidem vasa, & pbarmaca ejusdem pretii reddantur: Depurantur isti contractus a labe usura ob pretium assesurationis.

IX. Sixtus V. declaravit, usurarium esse contractum Societatis, si periculum foris non pertineat ad apponentem, quando tamen non superadditur assesuratio.

X. Socius tenetur ad restitutionem damni secuti alteri ex culpa levi iuridica, quæ sit Theologicè gravis; non tamen ex levissima.

I. **Q**uæritur primo: Quid sit Societas, & quotuplex?

Respondeo, esse Conventionem duorum, vel plurium conferentium suam pecuniam, vel industriam, vel laborem, vel aliam rem pretio æstimabilem ad commune lucrum. Ita ex leg. 1. ff. de Socio; Unde fit, omnes ut participes fiant lucri debere aliquid in commune conferre, five conferant pecuniam, five industriam, &c.; Aliquando enim tanti æstimatur (scilicet in ordine ad lucrum) industria, quanti pecunia, immo aliquando æstimatur magis industria, quam pecunia.

Quando tamen a mercatoribus assignatur suis factoribus, ut diligentiores sint, in stipendium quarta, vel quinta pars lucrorum, talis contractus est potius conductionis, ex Salon, & Reginald., quam Societatis; quia attenditur tunc valor operæ illius secundum se, non vero servata proportione inter capitale unius, & operam alterius; quod habetur in contractu Societatis, in quo pars lucri non assignatur expresse in stipendium, sed ut pars lucri. Notandum tamen, quod si pars, quæ factoribus assignatur, sit ita tenuis, ut dempto valore operarum,

rum exponantur damno potius, quam lucro, tunc contractus erit iniquus.

II. Multiplex est Societas; Alia est Negotiationis, quæ dicitur quæstiosa, & lucratoria, de qua præsertim hic agimus; Alia est Officiorum, & Vectigalium; Alia Animalium; Alia omnium bonorum, itaut officia, vectigalia, animalia, vel omnia bona sint communia, aut saltem lucrum ex iis proveniens commune fiat, eo quod unus, verbi gratia, conferat animalia, vel alia bona, & alter conferat custodiam, aut industriam; aliter non habetur proprie contractus Societatis.

Porro ad hunc contractum plura spectant; Primo quidem, ut fundetur in negotiatione licita; aliter ante negotiationem factam nulla habetur obligatio, quamvis post factam negotiationem illicitam dividendum sit lucrum, quantum licite fieri potest; ut dicitur de acceptis ob turpem causam. Secundo, quod singuli aliquid conferant in commune. Tertio, ut servetur æqualitas inter socios, & ut lucrum, & expensæ, seu damna sint communia pro rata ejus, quod illi conferunt in societatem; Quare si, verbi gratia, duplo pluris æstimetur labor, & industria prudentis viri, quam pecunia ab alio apposita, ille duplo plus debet lucrum reportare. Quarto, ut pecunia subiaceat periculo conferentis illam, res enim domino perit: Hinc usurarius esset contractus, si tradens pecuniam vellet, ut periculum pecuniæ stet penes mercatorem, & lucrum dividatur; Nisi tamen iuste aliter tale onus compensetur; Verbi gratia, si contractui Societatis addatur contractus assicurationis Capitalis; cum enim hic secundus contractus possit fieri cum tertia persona, poterit etiam fieri cum eodem socio mercatore, ut docent Salomon, Molin. contra Felicium, & alios apud Bonac. putantes mutuum virtuale, atque adeo usuram palliatam in hoc

Pars IV.

Contractu contineri? Verum quidem est, Pium V. decrevisse, quod periculum Capitalis remaneat apud apponentem illud. Sed Pius V. loquitur, quando habetur solus contractus Societatis, non vero quando huic superadditur Assicuratio.

III. Notandum tamen, quod quando dantur animalia ad caput saluum, debeat primo inspicere, an tanti æstimatedur labor, & industria pastoris, quanti animalia, ut fructus possint dividi juxta hanc proportionem. Secundo, si vendantur fructus incerti debiti domino animalium pro certis, debent taxari juxta spem plurium, & periculum pauciorum. Tertio, si addatur aliud onus, videlicet assicurationis capitalis, debet tantum detrahi, quanti æstimatur periculum, quod capitale amittatur.

Adde, injustum esse secundum se contractum, quo boves, verbi gratia, æstimantur in principio anni, & deinde in fine anni iterum æstimantur, itaut æquale sit lucrum, aut damnum utriusque contrahentis. Et ratio est, quia non est æqua spes lucri, & timor damni; etenim fere semper valor deterioratur, & sæpe pereunt boves; Unde si colono tale onus apponatur, debet compensari.

IV. Nota etiam universim, quod colonus debeat ut plurimum ex contractu societatis reportare non solum pretium suæ operæ, & industriæ, perinde ac si esset famulus conductitius, sed etiam aliquod lucrum ratione Societatis; & tale lucrum eo debet esse majus, quo majori periculo ille se exponit, & quo onus gravius subit.

V. Quæritur secundo; Si Titius, verbi gratia, apposuit centum in societatem, & Cajus industriam valentem pariter centum, quomodo facienda erit divisio, si in fine Societatis habeantur biscentum?

Respondeo, nonnullos putare restituen-

T

tuenda esse Titio centum, quæ posuit, & alia centum dividenda. Sed verius dicendum cum Less. cap. 25. num. 9. & aliis apud Bonac., quod ex ducentis aureis, qui in fine societatis supersunt extrahendi sunt centum, quos posuit Titius pro sorte, & extrahendus sit valor operæ, & industriæ, quam posuit Cajus, perinde ac si fuisset famulus, & quod superest, utrique dividendum. Quare non debet spectari in tali casu valor operæ, & industriæ Caji relate ad hanc negotiationem, quæ æstimatur centum, ut contractus initus sit justus, sed æstimari debet labor, & industria Caji, perinde ac esset famulus, ut quod superest, dividatur. Aliter si Titius haberet centum, quos posuit pro sorte, & Cajus alios centum, solum Cajus lucraretur, & non Titius; vel si Titio darentur centum pro sua sorte, & alii centum æqualiter dividerentur, lucrum non esset æquale; Nam Titius haberet pro lucro quinquaginta, & Cajus habens alios quinquaginta amitteret valorem suæ operæ, quam pro capitali apposuit in hoc Contractu. Non est autem justitiæ consonum, quod Cajus amittat suam operam, & Titius nihil amittat de suo Capitali, & ideo non arridet sententia illorum, qui docent in hoc casu restituendos esse centum aureos Titio, quos posuit pro capitali, & reliquos centum esse dividendos æqualiter. Ita videtur sentire Filiucius. At Lugo disp. 30. n. 24. cum Less. & aliis docet oppositum in eo dumtaxat casu, in quo Societas fieret ad solum lucrum; ita scilicet, ut si pecunia tantum amittatur, soli apponenti illam amittatur; In hoc enim casu æquum est, ut si sola opera alterius amittatur, huic dumtaxat amittatur, & sic integra fors alteri debeat.

Ex quibus sequitur, quod si in fine societatis remanerent centum, non essent isti dandi Titio, qui

eos apposuit pro capitali; nam sic Cajus amitteret omnino operam suam; & Titius nihil amitteret: Quare ex iis centum extrahendi sunt tot aurei, quanti æstimatur opera Caji, perinde ac esset famulus, verbi gratia quinquaginta, deinde intra utrumque contrahentem dividenda est jactura, ita ut septuaginta quinque aurei dentur ei, qui posuit centum pro capitali, & viginti quinque ei, qui posuit operam suam æstimatam quinquaginta: Et hoc pacto Titius ex suo capitali amitteret viginti quinque, & totidem amitteret Cajus ex valore suæ operæ. In hoc sensu videntur intelligendi Less., Navar., Lug., Covar., qui hac in re non satis dilucide loquuntur.

VI. Quod si fors apposita a Titio in principio negotiationis pereat, antequam Cajus apponat operam suam adæquate, tunc æstimandus est valor operæ, quæ supererat apponenda a Cajo, & dimidium talis valoris dandum esset Titio, ad hoc ut æqualis sit inter illos amissio Capitalis, ut notat idem Less. ibidem.

VII. Queritur tertio; An licitus sit contractus Societatis, quo quis tradit Pastori animalia custodienda cum pacto, quod in fine anni in eodem numero reddantur, & reliquum lucri sit commune?

Respondeo, contractum hunc tanquam iniquum reputari a Sylvest. & Reginald. apud Azor. lib. 9. cap. 7. quæsit. 12., quando scilicet Pastoris industria plurius æstimatur, quam numerus animalium illi constitutus; secus vero si non plurius æstimetur, & simul periculum amittendi animalia stet apud dominum, sicut apud Pastorem est periculum amittendi operam suam; In quovis enim contractu, ut servetur æqualitas, fors stare debet periculo apponentis, quia res domino perit: Quare non potest socius obligari ad

ri ad reddenda in fine anni totidem animalia, nisi periculum fortis in se susceperit per alium contractum assecurationis pretium consentaneum accipiendo.

VIII. Hac de causa licitus reputatus est Papiæ, & Mediolani anno 1682. a Valero, & aliis contra P. Megalam apud Dian. part. 1. tract. 8. res. fol. ult. contractus cujusdam Pharmacopolæ, qui totam suam apothecam cum vasis, domo, medicinis, & aliis rebus alteri locavit cum æstimatione rerum, eo pacto, quod finita locatione deberet prædictam apothecam Conductor cum totidem rebus æstimatis, & inventariatis restituere, & præterea pretium locationis. Ratio est, quia quamvis in locatione videatur debere periculum rei locatæ pertinere ad locatorem, nihilominus potest etiam stare locatio, quando inter contrahentes ita conventum est, ut periculum rei locatæ stet apud locatarium seu Conductorem, si tale onus iusto pretio compensetur, ut notat Villalob. apud Trull. disp. 50. num. 3.; Sicuti ex leg. *Quod si ab initio, si. de rebus cred.*, manet ratio depositi, quando dominus deponit pecuniam, non in sacculo, sed numeratam, itaut vigore talis numerationis transeat dominium pecuniæ in depositarium, qui proinde subit ejus periculum, quod compensatur eo titulo, quod possit uti depositarius tali pecunia.

Quare in casu nostro licet periculum animalium, & apothecæ stare debeat penes dominum, potest tamen transferri in alium, dummodo compensetur pecunia tale onus, quod est veluti contractum assecurationis inire. Idque videtur etiam sentire Rebel. quæst. 6. num. 6., & quæst. 8. num. 3. At Reginald. num. 404., Sylvest., & alii cum Bonac. hic punct. 5. num. 6. videntur docere, talem contractum esse usurarium, quia dum transfertur periculum animalium in al-

terum, jam transfertur eorum dominium per venditionem, (cum res domino pereat, & non alteri) quo posito non tenetur alter reddere nisi pretium rei venditæ, unde si pars fructuum reddatur, usurarie redditur; Nihilominus Trull. respondet, & bene cum Less. cap. 23. dub. 3. Navar., & aliis, in dicto casu non haberi contractum venditionis, sed haberi societatem trium contractuum; Primo enim habetur contractus simplex societatis, per quem alter ponit animalia, alter industriam, & laborem; Deinde habetur implicite contractus assecurationis capitalis; Tertio habetur venditio lucri incerti majoris pro minore certo. Fingamus enim, quod animalia possint reddere sexaginta aureos, unde utrique eveniant triginta, poterit qui ponit animalia vendere ista triginta incerta pro viginti certis, & rursus ex his viginti dare alteri, verbi gratia, decem, ut sibi assecurentur animalia; Quare poterit in fine anni accipere animalia, vel eorum pretium, si perierint, & rursus decem, idque sine usura. Quantum autem possit in quolibet contractu accipi, standum est iudicio peritorum, & praxi timoratorum cujuscunque Provinciæ; Et ut scandalum vitetur, consultius est expresse seorsim hos contractus inire, ut notat Trull.

IX. Sciendum hic, Sixtum V. anno 1586. in Bulla, quæ incipit *Detestabilis avaritia* ad coercendas injustitias hujusmodi contractus declarasse usurarios, & illicitos. At cum passim ab omnibus fiant citra injustitiam, ideo dicendum cum Lug. hic, Sixtum V. solum declarasse usurarios contractus, qui de jure communi sunt illiciti, ut quando restituendum est a Socio capitale per caput salvum, quin talis obligatio aliunde compensetur, ut censuit Sacra Rota Romana apud Cherubinum ab eodem Lug. laudatum.

T 2

X. Quæ-



X. Quæritur ultimo: Ex qua culpa teneatur Socius ad restitutionem damni secuti alteri socio?

Respondeo cum communi, teneri ex culpa etiam levi juridica, non tamen ex levissima, aut ex casu fortuito. Ratio est, quia contractus est in bonum utriusque contrahentis; unde socius tenetur custodire res per talem contractum acceptas, tanquam proprias, & adhibere in illis custodiendis diligentiam, quam homines consueverunt communiter adhibere; quare peccat graviter, si talem diligentiam omittat, & ad restitutionem teneatur damni secuti.

#### A R T I C. I V.

##### De Ludo, & Sponsione.

- I. Ludæ contractus habetur per pactum, quo victori certaminis res ab utroque exposita tribuitur. Per Sponsionem duo contendentes de veritate, aut eventus rei sibi vicissim aliquicquid spondent dandum victori.
- II. Si quis certo sciat rei veritatem, num possit spondere cum altero, qui dicit se cedere juri suo? Num possit quis spondere cum singulis ex quatuor oppositoribus, quod non sint Cathedram assecuturi?
- III. Qui vi, aut importunis precibus, vel conviciis pertrahitur ad ludendum, retinere potest, quod vincat, quamvis alter si vincat, ad restitutionem teneatur. Idemque dicendum de eo, qui injuriam alteri facit in numero punctorum, aut aliter; ac de eo, qui singulis imperitiam ludendi, ut alterum pertrahat ad ludendum.
- IV. Probabile tamen est, quod ad restitutionem non teneatur, qui minis inducit alterum ad ludendum, si vincat; dummodo satisfaciatur pro injuria illata.

V. Ludus late sumptus, seu focus, si sit moderatus ad melancholiam expellendam, pertinet ad virtutem Eutrapelia.

VI. Ludus honestus vitari potest multipliciter; videlicet ratione finis mali, ratione Loci, Persona, Modi, Legis veteris, vel ratione Persona, cum qua luditur. Quid de Clericis, aut Religiosis ludentibus?

VII. Peccant mortaliter, qui domum, mensas, aleas subministrant ludentibus ludis vitiosis, aut intermiscendo blasphemias, furta, perjuriam.

VIII. Princeps licet possit permittere peccata meretricis, non potest tamen permittere peccata ludentium inique cum fraudibus, & blasphemis.

IX. Ad restitutionem damnorum teneatur, qui ad ludendum inique ludentes admittunt.

X. Qui ludens ludo prohibito aliquid lucratur, non teneatur illud restituere ante sententiam iudicis. Qui vero victus perdidit, probabiliter non teneatur solvere, quando datur illi facultas repetendi: Si tamen illud solvuerit, non potest compensare.

XI. Jure Casareo qui ludic ad creditum, probabiliter non teneatur in conscientia solvere, nisi juraverit se solviturum: Quod si juraverit hujus juramenti dispensationem non esse petiturum, adhuc probabiliter potest illam petere.

XII. Si uterque ludens ludo prohibito, aut ad creditum, renunciavit harrum legum privilegio, adhuc probabiliter potest non solvere quod perdidit, aut in iudicio illud repetere.

XIII. Ludens ad creditum cum alio ludente pecunia numerata cum animo non solvendi, si perdat, probabiliter ad restitutionem non teneatur, si lucratur. Immo ludens ludo vitioso pecunia numerata cum animo repetendi, si perdat, adhuc probabiliter lucrari potest.

XIV.

XIV. *Lucrari non potest in ludo, aut sponsione, qui certus moraliter est, quod perdere non possit. Nec qui ludit cum Religiosis, aut filiisfamilias, qui non possunt aliquid ludo exponere. Quandonam possint isti quatuor, vel quinque in centum exponere ludo honesto? Restitutio in his casibus secundum se potest etiam fieri ipsi Religioso perdenti.*

XV. *Qui per fraudes aliquid lucratur, tenetur restituere non solum quod lucratus est, sed etiam quod certo moraliter alter esset lucraturus.*

XVI. *Qui in ludo utitur astutiis consuetis, non tenetur quicquam restituere, si lucratur. Nec tenetur ludens admonere collusorem, si videat illum errare in numero calculorum.*

I. **Q**uæritur primo: Quid sit ludus? Quid sponsio? Et an liceant?

Respondeo, ludum late sumptum esse quicquid ad oblectationem animi sumitur, in factis, vel verbis consistens; quamvis si consistat in verbis, dici solet Jocus, si in factis, Ludus. Verum Ludus stricte sumptus pro contractu significat Pactum, ut victori certaminis res ab utroque exposita tribuatur. Sponsio vero est Contractus, in quo duo de veritate, vel eventu rei contendentes sibi vicissim aliquid spondent, ut ejus sit, qui veritatem fuerit assecutus.

II. Porro Sponsio licita est, dummodo servetur equalitas, videlicet quod eventus sit utrique incertus, absitque dolus, aut fraus: Hinc tenetur ad restitutionem, qui aliquid per sponsionem lucratur, sciens rei eventum; nisi tamen id alteri serio manifestarit; tunc enim illi est imputandum, quod voluntarie voluerit amittere, ut notat Sanch., Medin., & alii apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 186. contra Garz., & alios putantes hunc non nisi deceptum spondere. Ob eandem rationem Ledesma, & Villalob. putant esse inju-

stam sponsionem factam cum quatuor, verbi gratia, oppositoribus, quod scilicet ad cathedram non sint perventuri; quia sic spondens certo vinceret relate ad tres, & solum amitteret relate ad illum, qui cathedram assequeretur. Equidem tamen ex ultimo, hujusmodi sponsionem esse licitam cum Sanch. lib. 1. Confil. cap. 8. dub. 16., & Dian. loc. cit. resol. 181., quia volenti, & consentienti nulla fit injuria; quilibet autem ex quatuor oppositoribus videt pro se stare probabilitatem ut unum, (quod scilicet ipse sit obtenturus cathedram,) & contra se stare probabilitatem ut tria, (quod scilicet ipse illam non sit obtenturus, cum tres alii concurrant,) & tamen adhuc vult spondere; sibi itaque imputet, si amittat. Nonne si duo essent oppositores, posset quilibet ita spondere, ut lucratur decem, si obtineat cathedram, & amittat centum, si non obtineat? in quo casu nulla esset injustitia, quia voluntarie sic sponderet: ita in casu nostro.

III. Ludus autem, in quantum contractus, licitus est, dummodo alter non inducat alterum ad ludendum per minas, fraudes, convicia, &c.; nam si sic pertractus perdat, tenetur alter ad restitutionem, quia per injuriam fuit ei causa damni, ut communiter docent; Et probabiliter etiam si illum inducat per preces importunas, ut plures docent cum Sanch., Navar., & aliis contra Less., Dian. apud Croix lib. 3. punct. 2. num. 2080.; Quamvis si ille vincat, possit lucrum retinere, quia sic compellens per injuriam videtur cedere juri suo: Eodem modo, si tu injuriam facis in numero punctorum, vel calculorum, non poteris lucrari; e contra alter, qui injuriam patitur, lucrari poterit; Et qui peritus ludi fingit imperitiam, ut alterum alliciat, non potest quicquam lucrari, sed tenetur ad restitutionem;

con-

contra vero si alter vincat, non teneatur ad restitutionem.

IV. Non est tamen improbable, ut docet Sà, Molin., Lessl., Trull. dub. 2., Dian. part. 1. tract. 17. resol. 27. apud Croix loco laudato, quod qui minis, aut aliter alium cogit ad ludendum, si vincat, non teneatur ad restitutionem; quia etiam in pertracto ad ludendum par est conditio, ut possit tam perdere, quam lucrari; quamvis teneatur injuriose attrahens ad satisfactionem injuriæ irrogatæ arbitrio prudentis.

V. Demum ludus etiam in latiori significatione sumptus est res licita, & potest esse virtus, si debito modo sumatur, ex D. Th. 2. 2. quaest. 168. art. 2.; quæ virtus dicitur Eutrapelia, idest ludus moderatus ponens medium inter excessum, & defectum: Quare homo melancholicus, si moderato ludo utatur ad expellendam melancholiam, exercet actum dictæ virtutis.

VI. Quaritur secundo: Quot modis possit ab extrinseco vitari ludus de se honestus?

Respondeo, posse ludum multipliciter vitari, & esse inhonestum. Primo quidem ratione finis mali; si quis enim ludat præcise, verbi gratia, propter lucrum, peccat venialiter, ut notat Trull.; secus vero si principaliter intendat moderatam recreationem, & lucrum secundario. Qui autem diebus, ac noctibus ludit exponendo se proximo periculo magnæ jacturæ rei familiaris, itaut non possit deinde debita solvere, vel famulum sustentare, peccat mortaliter, ex Sanch. in Consil. lib. 1. cap. 8. dub. 24. Secundo, ratione loci; quare erit mortale ludere in Ecclesia ludis illicitis, veniale vero ludere ludo licito; nisi id fiat ad recreandum infirmum ibi existentem, aut si ibi sint aliqui, qui ad Ecclesiam confugerunt, ibique ludunt recreationis causa. Tertio, ratione personæ,

ut si Episcopus, vel Monachus cum scandalo luderent; secus vero si aliquoties tantum luderent recreationis causa. Quarto, ratione modi, ut si intercedat vis, dolus, fraus. Quinto, ratione legis prohibentis, ut prohibetur lege civili ludus taxillorum, & alearum; Quamvis ex Medin., & Sanch. loc. cit. dub. 25. talis lex contraria consuetudine sit abrogata; Præterquamquod probabile est, tales leges obligare solum ad pœnam temporalem: Peccant tamen mortaliter Clerici, ex Dian. part. 4. tract. 4. resol. 183., si diebus, ac noctibus cum magno scandalo, & in magna quantitate aleis ludant, saltem si sint in Sacris, vel Beneficariis: Nonnulli Doctores cum Sylvestr., D. Antonino, Cajet., Henr. apud Sanch. dub. 28., & apud eundem Dian. nolunt hos damnare de mortali propter continuationem ludi etiam prohibiti, & in magna quantitate; quia consuetudo non mutat speciem peccati, itaut de veniali transferat in mortale. Sed jure merito impugnantur a Sanch. lib. 1. Consil. cap. 8. dub. 28. docendo, consuetudinem hanc esse peccatum mortale; eo quod sola consuetudo graviter prohibeatur, & gravibus pœnis subjiciatur. Sexto, ratione personæ, cum qua quis luderet, videlicet si cum prodigo, cum filiofamilias, cum puero, cum stulto, cum moniali, &c.: Quamvis non peccent Religiosi, si ludo honesto moderate ludant recreationis causa, & in re minima; Et, ut docet Sanch. lib. 1. Consil. cap. 8. dub. 24. contra Lopez, nec committunt Simoniam, si victi obligant se ad recitandum rosarium; quia non vendunt rem spirituales, nec miscetur res sacra cum profanis; unde nulla est irreverentia. Navar. putat peccare mortaliter Religiosum, vel Clericum, qui ludum fortunæ mortaliter malum de industria spectant, quamvis solum delectentur de arte ludendi.

non

non de malo; Lopez tamen apud Dian. part. 1. tract. 1. Miscellan. resol. 183. excusat hos a mortali; nisi sint causa ludi, vel nisi omittant corrigere, quando tenentur.

VII. Denum mortaliter peccat, qui domum, mensas, candelas, aleas, &c. subministrat lusoribus, qui mortaliter peccant ludendo; quia eorum peccato cooperatur; unde absolvendi non sunt, qui habent domi mensas lusorias, & excipiunt indifferenter omnes ad ludendum ludis prohibitis; vel eos, qui ludo exponant, quæ non possunt alienare; vel qui ludendo in iuramenta, & blasphemias prorumpunt.

VIII. Dubium est, An Princeps concedere possit licentiam, ut quis possit domum exponere huiusmodi ludis? Respondeo ex fise dictis quæst. 7. art. 1. negative cum communi apud Dian. loc. cit. ref. 65., & Trull. lib. 7. cap. 27. dub. 1. num. 7. Ratio est, quia etsi sit res indifferens subministrare necessaria ad ludendum; at quando ludus ut plurimum conjungitur cum pravo usu blasphemiarum, rixarum, furtorum, dilapidationis bonorum, &c., non licet ad hæc peccata concurrere. Docuit oppositum Vincentius Justinianus apud Lopez, & Trull., ea ductus ratione, quia ex D. Th. 2. 2. quæst. 169. art. 4., & ex exemplis adductis a Sanch. lib. 1. Consil. cap. 8. dub. 21. & a Bonac. tom. 2. disp. 2. quæst. 4. punct. 2. licitum est ministrare, & vendere res indifferentes etiam cum cognitione pravi usus secuturi. Sed communiter rejiciuntur; quia tunc licitum est ministrare res indifferentes cum cognitione pravi usus secuturi, quando non ministrantur aut in ipso exercitio, aut exercitium paranti; idcirco enim licitum est locare domum, & vendere ornamenta meretrici; quia hæc non sunt adjumento proxime, & immediate ad peccandum; sicut si sternatur lectus meretrici, aut si solum paretur mensa

sic ludentibus. Ubi Doctores notant, majorem causam requiri ad permittenda peccata ludentium, quam meretricis; quia illa sunt publica, sunt in damnum tertii, sunt blasphemix contra Deum, sunt innumera, nec permitti solent ad vitandum majus malum, sicut permittuntur peccata meretricis, & usurariorum.

IX. Hinc inferunt Doctores apud Sanch. lib. 1. Consil. cap. 8. dub. 21., quod admittentes ad ludendum eos, qui fraudes faciunt, teneantur restituere quicquid isti tenebantur, si nolint restituere; Et ratio est, quia essent causa injustæ acceptionis; non secus ac qui dat alteri enssem petitem ad alium percutiendum.

X. Quæritur tertio: An qui aliquid ludo vetito lucratus est, (puta alearum, taxillorum, seu talorum, &c., qui jure Cæsareo prohibentur,) teneatur ad restitutionem?

Respondeo, & dico primo, probabilius esse sic lucrantem non teneri ad restitutionem ante sententiam Judicis; modo non impediatur per vim, aut fraudem, ne a Judice ad restitutionem condemnatur, & contractus fuerit justus. Ratio est ex Sanch., & aliis apud Trull., quia leges huiusmodi prohibentes hos ludos non reddunt irritum ludi contractum, nec efficiunt ludentes inhabiles ad dominium transferendum, sed solum concedunt perdenti, quod possit apud Judicem intra octo dies juxta Pragmaticam Caroli V. anni 1528. editam Matriti repetere, quod perdidit; (quod etiam inter Clericos servandum ex Sanch. lib. 1. Consil. cap. 8. dub. 1. cum aliis ex Authent. *Alearum usus*, Cod. de Religiosis, & sumptibus funerum,) & ad summum irritant obligationem solvendi, quod pecunia credita perditum est, ut multi apud Sanch. lib. 1. Consil. cap. 8. dub. 4. docent; Unde donec Judex condemnet victorem ad restitutionem, non tenetur hic

re-

restituere: Immo ex Sanch. dub. 2. nec tenetur restituere, si vocatus a Iudice, repetente parte, negat lucrum, & sic non condemnatur; quia hæc repetitio, & restitutio non conceditur in favorem ludentium, (ut minori conceditur in integrum restitutio,) sed in eorum pœnam, & odium; & reus, qui iudice vocatus negat veritatem, non tenetur restituere pœnam, qua damnandus erat, ut communiter docent cum Sanch. lib. 2. Sum. cap. 22. num. 22., & lib. 10. de Matrim. dub. 8. num. 14.; quia non peccat contra iustitiam commutativam, sed contra legalem; Quare neque reus in casu nostro tenetur ad restitutionem ante sententiam Iudicis. Ubi notandum cum Molin. disp. 513., & Sal., leges istas, quatenus vetant lusum, esse consuetudine abrogatas, itaut nemo peccet ludendo, sed non esse abrogatas quoad jus repetendi in iudicio pecuniam solutam in his ludis deperditam.

Dico secundo cum Sanch. lib. 6. de Matrim. dub. 38. num. 34. probabilius esse, quod non teneatur solvere, quod perdidit victus, quando datur ei facultas repetendi, quod perdidit apud Iudicem. Ratio est, quia is, cui datur actio ad repetendum, potest retinere, ex Regula, *Qui ad agendum* 61., de *Regulis Juris*. Et ratio ulterior est, quia frustra solvitur; & esset circulus inutilis, quando aliquid statim restituendum est.

Dico tertio: Qui aliquid amisit ludo prohibito, & solvit, non potest privatim illud sibi compensare. Ratio est, quia victor non tenetur restituere ante Iudicis sententiam. Ita communiter cum Less., Sanch. apud Trull.; Quicquid in contrarium nonnulli censeant, putantes probabilem esse sententiam Mariuzæ, Lopez, Guttier., Sor. apud Sanch. in Conf. lib. 1. cap. 8. dub. 4., quod scilicet teneatur victor restituere, eo quod in lib. 8. tit. 7. Novæ Recog.

talis contractus ludi reddatur irritus; Et rursus putantes probabilem esse sententiam, quod stante prædicta probabilitate possit victor de possessione disturbari auctoritate privata: Quod tamen Sanch. loc. cit. putat falsissimum; quia cum etiam probabile sit victorem non teneri restituere, in dubio melior debet esse conditio possidentis; unde non est licita talis compensatio: In eo casu permittit Sanch. compensationem, quando scilicet victus solum præ pudore, vel alio respectu fingit solvere, quod perdidit, habens animum se compensandi, cum suppetet facultas.

XI. Queritur quarto: An qui ludic ad creditum ludo prohibito, teneatur in conscientia solvere, si fidem dederit? Et quid si juraverit?

Respondeo jure naturæ teneri; quia omne promissum, quod licite adimpleri potest, servandum est. At jure communi Casareo non tenetur in conscientia, si solum dederit fidem; ut communiter docent apud Trull., & Dian. part. 1. tract. 3. Miscell. resol. 8. contra Salon., Rebel., Valent.; cum enim leges istæ sanciant, quod victus non cogatur solvere, dicendum, quod illum etiam in foro interno deobligent. At si juravit solvere, procul dubio tenetur; Quamvis possit Episcopus tale juramentum relaxare, etiam absque partis citatione, ex Henr., & Trull. dub. 4. contra Molin. apud Less. lib. 3. cap. 26. num. 27.; non secus ac qui juravit solvere usuras; Quod si juravit se non petiturum dispensationem talis juramenti, adhuc probabiliter ex Trull., & Azor. apud Sanch. lib. 3. cap. 21. num. 15. contra Less. loc. cit. potest petere, quia tale juramentum bonos mores evertit. Notandum tamen, quod ubi istæ leges non obligant, ut in Regno Valentino, ex Trull. in conscientia solvenda est pecunia in ludo promissa; Ubi autem obligant, etiam inter Clericos servandæ sunt, ut diximus ex Sanch.

XII.

XII. Rogabis, An si uterque ludens ad creditum, vel ludo prohibito, renuntiaverit beneficio hujus legis, & cesserit juri suo repetendi, quod solvit, adhuc possit non solvere, aut repetere?

Respondeo cum Less. lib. 2. cap. 26. num. 26., & Trull. contra Bonac., & Azor., quod possit, si sine juramento renuntiavit; quia simplex cessio non privat hominem jure, quod ei tribuit in favorem boni communis; Alioqui facillime omnis vis legis redderetur frustratoria, & inanis.

XIII. Rogabis secundo: An qui lucratur ab alio pecuniam presentem, ipse tamen perdebat pecuniam creditam, & habebat animum non solvendi propter leges id sibi concedentes, teneatur ad restitutionem?

Respondent Victor., & Lopez teneri; quia aliter non servaretur æqualitas; At Sanch. probabiliter putat, quod non teneatur; quia victor utitur privilegio legis, & alter sibi imputet, quod velit ludere pecunia credita; Præterquamquod nulla est inæqualitas in tali contractu, quia etiam alter potest uti eodem legis beneficio, & non solvere. Additque Sanch. cum doctis Junioribus, quod qui ludit pecunia numerata ludo vetito cum proposito repetendi in judicio, quod perdit, adhuc possit lucrari; quia utitur jure suo, & nulli facit injuriam.

XIV. Quæritur quinto: An aliquando possit per ludum, aut sponsionem lucrari, qui non potest perdere?

Respondeo cum Trull. dub. 5., quod tale dubium in tribus casibus procedere possit. Primo si alter est ita peritus, ut certum moraliter sit ipsum lucraturum; & diximus in tali casu tunc teneri hunc ad restitutionem, quando vel peritus simulat imperitiam, ut alterum alliciat, vel peritus scit se esse longe peritiorum, & alterum ipsius peritiam ignorare. Secundo, si ludens

*Part IV.*

habet animum non solvendi, aut solutum repetendi, & de hoc diximus quæsito superiore. Tertio, quando alter ludentium non potest alienare, ut sunt Religiosi, filii familias, fures, &c.

Quod attinet ad Religiosos, non possunt hi quicquam exponere ludo sine consensu Superioris; Quod si exponant, & Monasterium notabiliter lædatur, potest hoc uti beneficio restitutionis in integrum. Similiter nec filii familias, nisi pubertatem ingressus habeat bona castrensia, vel quasi, vel alia bona sibi a parente concessa ad liberam administrationem: Bona vero adventitia non potest ludo exponere, nisi constet Patrem condonare filio usumfructum, & cedere juri suo administrandi illa bona.

Notat tamen Trull., quod si filius familias sustentetur in aula, vel universitate, necnon Religiosus si versetur in studiis, vel in negotiis Monasterii expensis sui Abbatis, possint ex destinata sustentatione sumere quotannis quatuor, vel quinque in centum, ut ludo honesto insumant. Ratio est, quia ad alimenta pertinet honesta recreatio ætati, & statui conveniens, & æqualibus passim concessa. Notat etiam, quod qui lucratus est a filio familias, vel a Religioso, satis est, si ipsis restituat; quamvis peccare possit contra charitatem, si hinc illi ansam arriperent iterum ludendi. Demum fur, usurarius, depositarius, &c., si non habent aliquid proprium quod tradant vincenti, non faciunt lucrum suum, quando ipsi vincunt, sed debent lucrum restituere ipsi perdenti; aliter non est æqualis utriusque ludentis conditio.

XV. Quæritur ultimo; An utens fraudibus contra leges ludi teneatur restituere etiam quod alter lucraturus erat?

Respondeo, teneri ad restituendum tam quod lucratus est, quam quod

*V. alter*

Alter certo moraliter lucraturus erat; (non vero si dubium sit, an lucraturus esset;) Ut si quis suffiretur, & signet chartas, vel ita disponat, ut sibi felix fors contingat, vel si acceptet ludum, & sponsonem, eo quod admonitus sit ab aliquo inspectore chartarum, quod acceptet; (secus tamen si ante admonitionem decreverat acceptare) Sicut etiam tenetur ad restitutionem, qui admonuit, in defectum ejus, cui facta est admonitio. Quod si ante admonitionem dubius erat, an acceptaret, videtur obligandus ex Bonac., Sanc., Et Trull. obligat illum ad partem dumtaxat restituendam pro rata dubii.

Qui tamen videt chartas alterius ob solam hujus negligentiam, licite lucratur, quia nullam fecit fraudem; Sicut etiam qui utitur astutiis communi consuetudine receptis; ut qui auget sponsonem sciens certo se lucraturum, quamvis simulet timorem; Immo probabilius esse docet Sanch. dub. 14., quod si collusor videat alterum errare in calculorum numero, possit adhuc lucrari; quia licet teneatur illum non defraudare; at non tenetur de sua negligentia, vel errore illum admonere; hæc enim, ait, est lex ludi, &c.: A fortiori spectans ludum non tenetur admonere ludentes de errore in computando; Communiter enim lusores id ægre ferunt, & datur occasio querelis. Qui autem dolose surripit primam manum, tenetur restituere solum jus illud præeundi in ludo; Sicut qui comburit messes in herba, non tenetur restituere frumentum, sed quanti tunc ea messis aestimatur.

## ARTICULUS V.

## De Quasi Contractibus.

- I. *Obligatio ex quasi contractu habetur ratione mutui consensus non expressi, sed taciti.*
- II. *Quinque modis oriri potest obligatio isthac ex quasi contractu, videlicet ex negotiis gestis, ex tutela, ex rerum communiione circa contractum societatis, ex Hereditate relata ad legata, & ex solutione indebiti facta per errorem.*
- III. *Negotiorum gestori debentur expensa, & laborum compensatio, quamvis negotiationis eventus non succedat feliciter.*
- IV. *Idem dicendum de inventore rei aliena, & de fidejussore sponte solvente pro principali; Non tamen de eo, qui ex mera liberalitate, aut pietate aliquid expendit pro alio, puta pro famulo aegrot.*
- V. *Tutori debentur a pupillo expensa; Sed salarium ille accipere non potest, nisi constitutur a Judice.*
- VI. *Mandatario, Procuratori, Advocato ex quasi contractu debentur expensa, si gratis tale munus suscipiant: Ex contractu vero conductionis debetur salarium, si de illo conveniant. Idemque dicendum de Syndico, seu defensore, non a domino, sed a Communitate constituto, aut ab Episcopo.*
- VII. *Quando res communes pluribus ab uno administrantur circa contractum Societatis, datur actio a Juristis dicta Communi dividendo ex quasi contractu.*
- VIII. *Acceptans hereditatem ex quasi contractu tenetur solvere legata; Quod si legatarius propria auctoritate illa sibi usurpet, in poenam legato privatur.*
- IX. *Qui indebitum ex errore accepit ex quasi*

quasi contractu, ad restitutionem tenetur. Si tamen acceperit bona fide, solum tenetur ex re accepta, & quatenus est factus ditior.

I. **Q**uæritur primo: Quænam sit obligatio isthæc orta ex quasi contractu?

Respondeo, aliquando aliquem obligari ad aliquid faciendum obligatione naturali simul, & civili, ut diximus quæst. 1. art. 2., & non ex delicto, aut quasi delicto, puta ex imperitia, aut imprudentia culpabili, neque ex contractu, seu mutuo consensu expresso, sed obligari ex mutuo consensu tacito, & tunc obligatio dicitur oriri ex quasi contractu.

II. Quæritur secundo: In quibus casibus, & quomodo oriatur hæc obligatio ex quasi contractu?

Respondeo, hanc obligationem quinque modis, seu ex quinque causis consurgere, ut habetur *Tit. Instit. de Obligationibus ex quasi contractu*. Primo quidem ex negotiis gestis. Secundo, ex tutela. Tertio, ex rerum communione, si nulla societatis conventio præcesserit. Quarto, ex hereditate relate ad legata præstanda. Quinto, ex solutione indebiti per errorem facta.

III. Circa primum, habetur obligatio ex quasi contractu ratione negotiorum gestorum. Nam qui utiliter agit rem alterius absque ejus mandato, is acquirit actionem contra illum, quamvis ignorantem, qua compellitur rem gestam ratam habere, expensas necessarias, & utiles præstare, nec non damnum, & lucrum cessans, ac demum compensare labores, ex leg. 2. de *Negotiis gestis*, idque verum est, etiamsi negotii eventus non feliciter succedat: Verbi gratia, si equum Titii de manu furis, tanquam illius negotium gesturus, exiguo pretio redimas, & dum equus ad dominum re-

ducitur, fortuito casu pereat, tenetur ille expensas, & pretium restituere; Contra vero negotiorum gestor tenetur exacta diligentia rem administrare, & perficere, administrationisque rationem reddere.

IV. Hinc inferitur primo, quod licet rei aliena inventor non possit mercedem inventionis tanquam jure sibi debitam exigere, quia ex justitia tenetur rem inventam domino restituere; potest tamen juste exigere laboris compensationem, & expensas factas, ut notat *Rebell. lib. 17. apud Laym. c. 30.*

Inferitur secundo, quod fidejussor solvens pro principali habeat contra illum actionem negotiorum gestorum, seu ex quasi contractu, si scilicet sponte se obtulit ad fidejubendum, ex leg. *Sed videamus, ff. de Negotiis gestis*; nam si fidejubere jussus fuit, habet contra illum actionem ex mandato, seu ex contractu.

Inferitur tertio, quod quæ aliquis ex mera liberalitate, aut pietate pro aliquo expendit, non possit postea mutato animo ea repetere ex actione negotiorum gestorum, ex leg. *Si alimenta, Cod. de Negotiis gestis*; Verbi gratia, si ad curandum famulum domi tuæ ægrotantem aliquid expendisti liberaliter, non poteris deinde illud de constituta mercede detrahere; secus vero si expendisti animo repetendi; quia dominus non tenetur pro famulo ægrotante facere expensas, nisi tenues, juxta usum, qui talem obligationem interpretatus est, ut notat *Filiuc. tract. 20. part. 2. cap. 2.* Immo secundum se nec tenetur salarium pro eo tempore infirmitatis illi dare; nisi aliud ferat loci consuetudo; præsertim quando tempus infirmitatis non est diuturnum. Similiter mater, & avia præbentes alimenta filiis, vel nepotibus, quia censentur ex affectu materno, & pietate ea conferre (nisi contrarium protestentur, aut ex circumstantiis col-



ligatur,) non possunt ea repetere; secus vero si magnas expensas pro iis fecerant.

V. Circa secundum, habetur obligatio ex quasi contractu ratione tutela; Nam ex legis dispositione Tutor erga pupillum etiam ignorantem, aut invitum contrahit obligationem administrandi res illius cum exacta diligentia, & rationem reddendi administrationis; Et idem dicas de Curatore erga minorem: Contra tamen pupillus obligatur tutorem indemnem reddere circa ea, quae pro ipso expendit: Quamvis tutor pro sua cura salarium accipere non possit, nisi ei a Iudice constitutum sit, ex leg. *Autoribus*, ff. de *Administratione Tutorum*; Est enim hoc unum ex publicis muneribus, a quibus lex neminem immunem esse voluit, nisi ex justa causa.

VI. Huc revocatur mandatum, quod ab aliquo gratis suscipitur exequendum; Nam si interveniente pecunia suscipiatur, potius spectat ad locationem, & conductionem, quam ad quasi contractum: Quare inter mandantem, & mandatarium datur implicita conventio, quod fideliter hic rem exequatur; mandans vero ratum habere debeat, quod a mandatario fit, (dummodo non excedat fines mandati,) & servare illum indemnem; Officium etiam Procuratoris, & Advocati, & similia spectant ad quasi contractus, si quando gratis suscipiantur; secus vero si interveniente salario. Idem dicas de Syndico, hoc est defensore, seu Procuratore, qui non a domino, sed ab Universitate, aut ab ejus administratore, verbi gra-

tia, ab Episcopo, Capitulo, Praelato Monasterii constituitur.

VII. Circa tertium, oritur obligatio ex quasi contractu, si habeatur rerum communio absque previa conventionione societatis; Verbi gratia si res pluribus legata, aut donata inter illos dividenda sit, aut si unus solus ex re communi fructus perceperit, vel necessarias, aut utiles expensas pro re communi fecerit, tunc non minus, quam si societas communi consensu contracta esset, confurgit actio dicta a Juristis Communi dividendo, ex leg. 2. ff. de *Communi dividendo*.

VIII. Circa quartum, ex quasi contractu obligatur haeres ad legata praestanda; quamvis enim nec cum Testatore, nec cum legatariis expressum contractum habuerit, tamen eo ipso quod acceptavit haereditatem, obligationem suscepit solvendi legata; & viceversa obligatur legatarius rem sibi legatam non usurpare sibi propria auctoritate, nec ab alio, sed tantum ab haerede petere, aliter in poenam privatur legato, ex leg. *Non est dubium*, Cod. de *Legatis*.

IX. Circa quintum; Ponitur inter quasi contractus solutio indebiti per errorem facta; quia is, qui indebitum accepit, obligatur implicite ad restituendum, detecto errore. Notat tamen Laym., quod qui bona fide indebitum accepit, habet obligationem restituendi potius ex re accepta, quam ex quasi contractu. Unde solum restituere tenetur, quatenus locupletior factus est, si bona fide accepit; Quod si bona fide rem illam absumpsit, in nihilo factus ditior, aut si sine dolo perdidit, cessat omnis obligatio.

## Q U Æ S T I O X.

### De Testamentis, Legatis, & aliis ultimis voluntatibus.

**E**Xaminandum primo, Quid, & Quotuplex sit Testamentum; Et quænam sint conditiones ad valorem Testamenti requisitæ? Secundo, Quænam sint Testamenta privilegiata? Tertio, Quinam testari possint, & Testamentum revocare? Quarto, Quinam possint institui hæredes? Quinto agendum de Renunciatione hæreditatis, Sexto, de Codicillis. Septimo, de substitutione hæredis, & Fideicommissis. Octavo, de Legatis.

#### ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Testamentum;  
Et quænam ejus Conditiones?

- I. *Testamentum est* Voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit cum directa hæredis institutione.
- II. *Quid intersit inter Testamentum, & Codicillum?* Et quot testes ad utrumque requirantur?
- III. *Testamentum scriptum, seu clausum quomodo differat a Nuncupativo?*
- IV. *Quinam esse debeant septem testes ad Testamentum requisiti? Religiosus nequit esse testis sine sui Prælati licentia.*
- V. *Validum est Testamentum, quamvis obnoxium nullitati in foro externo, quando quis interrogat Testatorem, Num velit Cajum instituere hæredem? & ille anuit.*
- VI. *Est pariter validum, si Testator coram septem testibus det alteri schedulam dicens, in ea suum Testamentum contineri.*
- VII. *Pactum inter duos de reciproca hæreditatis successione non valet tanquam mutua donatio irrevocabilis,*

*sed valet tanquam duo utriusque Testamenta, quæ ante mortem revocari possint.*

**I.** **T**estamentum dicitur, eo quod mentis testatio sit, seu dispositio; nam ante mortem quilibet jure Gentium facultatem habet disponendi de rebus suis.

Quæritur nunc primo: Quomodo Testamentum definiatur?

Respondeo, ex Ulpian. defini, quod sit *Voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit.* Ita in leg. i., ff. de Testamentis. Per primas particulas convenit cum aliis contractibus inter vivos, per ultimas disconvenit; Nam Testamentum non habet robur ante mortem Testatoris, testante Apostolo ad Hebr. 9. *Ubi Testamentum est, mors intercedat Testatoris necesse est.* Quia tamen hæc definitio Testamenti videtur etiam convenire cum aliis ultimis voluntatibus, nempe cum Legatis, Codicillis, Fideicommissis, & aliis dispositionibus, ideo aliqui cum Bartol. explicant verba illa definitionis, *Iusta sententia*, quod scilicet debeat esse perfecta, atque adeo cum institutione hæredis bonorum universalis; Alii cum Laym. explicant *ly, justam*, hoc est sole.

solemnem, seu Juris solemnitatibus nimiam; Alii apud Laym. addunt definitioni adductae claritatis gratia haec verba, *cum directa haeredis institutione*; hoc enim proprium est Testamenti directe haeredem instituere: Quamvis enim militi concedatur in leg. *Militis*, ff. *de Militum Testamentis*, quod possit in Codicillo haeredem instituere; Codicillus tamen directe ordinatur non ad haeredis institutionem, sed ad aliquid in Testamento explicandum, vel mutandum, addendum, vel detrahendum; ut ad legata instituenda, vel ad substitutionem fideicommissariam faciendam.

II. Unde ad Codicillum satis sunt quinque testes etiam non rogati, inter quos possunt esse etiam mulieres; ad Testamentum vero requiruntur septem testes rogati masculi, & puberes.

III. Quaritur secundo; Quotuplex sit Testamentum?

Respondeo esse duplex. Primum dicitur Scriptum, seu clausum, alterum Nuncupativum, seu apertum. Testamentum scriptum est, quod Testator propria, vel alterius manu coram septem testibus ad id rogatis, seu vocatis subscribit; vel si nesciat scribere, alteri a septem illis testibus diverso tradit suo nomine subscribendum coram iisdem septem testibus, qui etiam uno, eodemque continuato tempore debent illud subscribere, & proprio, vel alieno sigillo signare; Quamvis possint eodem sigillo omnes uti, ut habetur in leg. *Hac consultissime*, Cod. *de Testamentis*. Testamentum vero Nuncupativum, seu apertum habetur, quando coram septem testibus scripto, vel voce articulata profertur: Hodie tamen talis nuncupatio a Notario publico in Scripturam redigi solet, ut, si testes decedant, a tali Instrumento fides veritatis fiat, nec in sinuatione ulla apud Judicem opus sit.

IV. Porro hi septem testes debent esse masculi puberes, liberi, & ad id vocati; nec possunt esse surdi, muti, caeci, furiosi, prodigi, Jure infames, & in Testatoris potestate, nec Pater Testatoris, aut in Patris potestate, nec haeres, aut in haeredis potestate, nec fratres, &c., sed debent esse extranei. Potest legatarius esse testis; Sicut etiam Tutor nominatus in Testamento pro liberis, ex leg. *Qui Testamento* apud Laym.; quia non censentur testari in causa propria, dum de Testamento principaliter testantur. Potest etiam Religiosus esse testis, sed peccat, si id faciat sine Praelati licentia. Quod si alicujus testis defectus publice ignorentur, non per hoc invalidatur Testamentum, quia error communis jus confert.

V. Dubium est primo; An valeat Testamentum, si Notarius, vel alius interroget Testatorem, num velit instituere haeredem Cajum, & ille verbo expresse annuat? Affirmant communiter; quamvis tale Testamentum saepe infringatur, allegando, quod Testator vel non erat mentis compos, vel ob importunitatem suggestionis contradicere non sit ausus.

VI. Dubium est secundo; An valeat Testamentum, si Testator Confessario, vel alteri coram septem testibus schedulam tradat, dicendo tantum, illud esse suum Testamentum, & ibi voluntatem suam contineri? Affirmant communiter apud Molin. disp. 127.; dummodo deinde constet de identitate schedulae.

VII. Dubium est tertio: An valeat pactum inter duos de futura haereditatis successione reciproca? Negant communiter ex leg. *Licet*, Cod. *de Pactis*, quia tolleretur tali pacto facultas testandi; valet tamen non tanquam Testamentum, sed tanquam mutua donatio causa mortis facta, quam possit uterque ad libitum ante mortem

tem revocare; sic enim censentur esse duo Testamenta, unde uterque debet illa subscribere, & proprio sigillo signare, itaut integrum sit utriusque ante mortem Testamentum hoc mutare.

## ARTICULUS II.

## De Testamentis Privilegiatis.

- I. Plura sunt Testamenta privilegiata, nempe ad pias causas, Tempore pestis, Militis, si fiat coram Principe, si ab ascendensibus inter liberos, aut si ruri fiat, ubi non nisi quinque testes reperiantur.
- II. In Testamento ad pias causas non requiritur solemnitas juris civilis, sed solius juris naturalis, Divini, & Gentium: Pro foro interno satis est, quod constat de mente Testatoris.
- III. Parochus cum alio teste sufficiat ad testandum, etiam in favorem propria Ecclesia.
- IV. Per Testamentum ad pias causas minus solenne revocatur aliud solenne; & probabiliter etiam subsequens ad causas non pias.
- V. Testamentum sine solemnitate juris ad causas profanas validum est quoad legata pia; Et Testamentum sine juris solemnitate ad causas pias valet quoad legata profana.
- VI. Ad causas pias testari potest etiam Filiusfamilias, Impubes, Damnavus ad mortem, Prodigus, Mutus, & Surdus, ac similes. Qui committit bona sua dispositioni Titii, hic debet ad causas pias omnia distribuere. Voluntates Captatoria sunt irrita.
- VII. Tempore Pestis ad Testamentum satis sunt solemnitates jure Gentium requisitae.
- VIII. Quid de Testamento Militis, sive in bellica expeditione, sive in Castris?

IX. Non requiruntur solemnitates, quando Testamentum fit coram Principe, aut a Patre, Matre, vel aliis ascendensibus, ut hereditas inter liberos dividatur. Et sufficiunt quinque testes, quando a rusticanis in Villis degentibus plures haberi non possunt.

I. **O**uæritur primo; Quænam dicantur Testamenta privilegiata, in quibus non requiruntur omnes juris solemnitates ad eorum valorem?

Respondeo esse plura. Primo, Testamentum ad pias causas. Secundo, quod fit tempore pestis. Tertio, Testamentum Militis, dum est in expeditione bellica. Quarto, Testamentum coram Principe factum. Quinto, Testamentum, quod a Patre, Matre, aut alio ascendente fit inter liberos. Sexto, Testamentum eorum, qui ruri versantur, ubi plures testes, quam quinque haberi non possunt.

II. Circa Testamentum ad pias causas, in quo scilicet hæres est pia causa, aut substitutionis via hereditas devenit ad pias causas; Dico primo; In eo nulla omnino requiritur solemnitas juris civilis, aut consuetudinis, sed satis sunt solemnitates requisitæ a Jure naturali, Divino, & Gentium: Et ratio est, quia jura sæcularia non possunt præjudicium ferre causis Ecclesiasticis salutem animæ directe spectantibus, nisi a Summo Pontifice approbentur, & recipiantur, ex Cap. Ecclesia, de Constitution. Unde fit, Testamentum ad causas pias factum validum esse, etiamsi nullus in eo testis sit adhibitus, dummodo sufficienter constat de voluntate Testatoris: Certe sæpe duo, vel tres testes requiruntur ad probationem; puta ad testandum, quod talis scriptura facta sit a Testatore, &c., isti tamen duo, vel tres testes requiruntur a Jure Canonico.

co solum pro foro externo ; nam in conscientia valet quomodocumque constet de mente Testatoris , ut notat Dian. part. 7. tract. 6. resol. 2.

III. Parochus etiam cum alio teste sufficit ad testandum , quamvis legatum sit pro Ecclesia sua .

IV. Adde , quod Testamentum minus solemne ad pias causas revocatur prius solemne factum ad causas non pias . Immo ex Covar. contra alios apud Dian. loc. cit. resol. 27. censetur habere clausulam derogatoriam subsequen- tium Testamentorum , sicut Testamentum conditum inter liberos .

V. Dico secundo ; Testamentum factum ad causas profanas sine solemnitate juris , quamvis non valeat in ratione Testamenti , valet tamen in foro conscientiae quoad legata pia in ipso contenta , ut communius docent cum Molin. disput. 134. contra Barbof. propter eandem rationem ; quia jura saecularia non possunt praedictum ferre causis spiritualibus : Et econtra Testamentum factum ad causas pias sine solemnitate juris valet in foro conscientiae etiam quoad legata profana in eo contenta , ut docet Barbof. contra Vasq. , Bonac. , Lug. apud Dian. resol. 4. ; quia si tenet principale , tenet etiam accessorium .

Ex quibus sequitur , quod si moriturus coepit facere Testamentum , aut Codicillum , & morte praeventus non absolvit , quamvis quoad alia illud sit irritum , tamen tenet quoad ea , quae continent ad causam piam , ut notat Dicastil. apud Dian. loc. cit. resol. 19.

VI. Dico ultimo ; Testari ad pias causas possunt non solum omnes , qui possunt jure communi testari , sed etiam Primo filiusfamilias de bonis adventitiis , consentiente tamen Patre . Secundo , Impubes , permissu tamen Principis , ut Malder. contra Bonac. apud Dian. resol. 7. Tertio , Damnatus ad mortem ex consuetudine testa-

ri potest ad pias causas de bonis non confiscatis . Quarto , Prodigus ex Less. Dicastil. contra alios apud Dian. resol. 9. Quinto , Mutus , & Surdus ex Molin. , Lug. contra Hunnium ; Et idem docet de quibusdam aliis Dian. loc. cit. Adde ex Laym. , quod si quis dicat , Committo mea bona dispositioni Titii , tunc Titius censetur nudus haeres , qui debet ad causas pias omnia distribuere ; Si tamen dispositio sit ad causas profanas , irrita est institutio haereditatis collata ad arbitrium , & liberam voluntatem Tertii , ex leg. Si quis , ff. de Haereditibus institutis ; Sicut irritae sunt captatoriae voluntates , ut si quis dicat , Instituote haereditatem , dummodo tamen instituas haereditatem meam , aut meum fratrem , ex leg. Captatoria , ff. de Legatis .

VII. Secundum Testamentum privilegiatum est tempore Pestis ; quia in eo satis sunt solemnitates juris Gentium , ut communius docent contra Molin. , & Vasq. apud Dian. part. 7. tract. 6. resol. 34.

VIII. Tertium Privilegiatum Testamentum est Militis , quod fit a milite in bellica expeditione ; nam si in Castris ille testetur , ad validitatem Testamenti sufficiunt duo testes ; Si vero testetur in conflictu hostium , tunc satis est , quod per duos testes innotescat militem proprio sanguine in clypeo , vel vagina , vel alia materia testamentum scripsisse , &c. Addunt alii apud Dian. part. 7. tract. 6. resol. 64. , Privilegia concessa militi stanti in Castris propter dignitatem militiae , & utilitatem Reipublicae convenire etiam omnibus doctoris gradu insignitis , ex leg. 2. , ff. de Origine Juris ; Sicut conveniunt omnibus aliis , qui in hostili loco decedunt , perinde ac si essent milites , ut notat Laym.

IX. Quarto : Privilegiatum est Testamentum factum coram Principe ; satis enim est , quod constet ultimam voluntatem ;

voluntatem Testatoris expressam fuisse Principi voce, vel scripto absque alia solemnitate, ex leg. *Omnium*, Cod. de Testamentis.

Quinto: Non requiritur solemnitas testium in Testamento, quod a Patre, Matre, aliove ascendente conditum est, itaut liberis hereditas dividatur, quamvis portionibus inæqualibus.

Demum in Testamento facto a Rusticanis, quando sunt in locis, ubi non possunt haberi plures testes, quam quinque, hic numerus testium fuit, ex leg. ultim., Cod. de Testamentis; Et in terris subjectis temporali dominio Pontificis satis est præsentia Parochi, & duorum, vel trium testium, ut notant Laym., & Molin. disp. 133.

### ARTICULUS III.

Quinam testari possint, & Testamentum revocare?

- I. Omnes testari possunt, nisi iis jure naturali, aut positivo prohibeatur. Nemo autem ad testandum tenetur; Expedi tamen ad pias causas aliquid relinquere.
  - II. Naturali jure nequeunt testari infantes, amenes, furiosi, dum furore sunt correpti.
  - III. Jure positivo vetatur Testamentum surdis, & Mutis a nativitate. Quid de Cæcis, Prodigis, Mancipis, Usurariis, Damnatis ad mortem, Impuberibus, Filiisfamilias? Quid de Clericis, ac de Beneficiariis? Quid de Regularibus?
  - IV. Num valide, an solum illicite absque Superioris licentia testentur, aut donent, qui vota simplicia in Societate Jesu emisserunt ante professionem?
  - V. Quonam pacto revocari possit Testamentum?
  - VI. Ut prius Testamentum reddat posterius invalidum, quid requiratur?
- Pars IV.

Et quomodo possit posterius Testamentum invalidare prius, in quo habetur clausula invalidativa posterioris?

- VII. Qui juravit se non revocaturum esse Testamentum, quandonam possit illud revocare? Hujusmodi juramentum non est contra bonas mores, nec absolute nullum.

I. Certum est, omnibus habentibus liberam facultatem disponendi de bonis suis licitum esse testari, nisi aut naturali, aut positivo jure prohibeantur. Certum etiam est, neminem per se loquendo obligari ad testandum, quamvis aliquando fieri debeat Testamentum ad vitandas lites, & incommoda, quæ aliter obvenirent; Et Christiani ad id adhortandi sunt, ut pro ratione suarum facultatum aliquid ad pias causas pro anima sua relinquunt, ut recta ratio, & aliorum exempla suadent.

Quæritur tamen, Quinam prohibeantur testari?

II. Dico primo; Jure naturali prohibentur omnes, qui rationis usu carent; ut sunt infantes, amenes, furiosi; Quamvis si illud condiderint, dum furor intermisit, & habebant lucida intervalla, ratum esse debet, licet postea in furorem reciderint.

III. Dico secundo, Jure positivo prohibitum esse testari, Primo, Surdis, & Mutis a nativitate; Cæcis vero permittitur testari, sed cum aliis conditionibus relatis a Dian. part. 5. tract. 6. resol. 26.; Secundo, Prodigis, quibus bonorum administratio est interdicta; Tertio, Mancipiis; testari enim non possunt, nisi ad pias causas, vel domino consentiente; Quarto, Usurariis manifestis, nisi prius satisfecerint, aut cautionem dederint; Quinto, Damnatis ad mortem, ubi eorum bona confiscanda sunt; Sexto Impuberibus ob judicii immaturitatem. Secundo,

primo, Filiisfamilias, qui tantum de bonis Castrensibus, vel quasi castrensibus testari possunt, de Adventitiis vero solum ad pias causas de consensu Patris: Clericus tamen testari potest de bonis adventitiis etiam sine licentia Patris, & sine solemnitatibus juris Civilis, ut notat Dian. part. 5. tract. 3. resol. 124; sed cum solemnitatibus juris Canonici, adhibendo scilicet duos tantum, vel tres testes, ex eodem Dian. lo. ci. resol. 52.: Beneficiarius testari non potest de bonis Beneficii ad causas non pias; quamvis possit aliquid legare consanguineis, famulis, aut aliter benemeritis per modum justae remunerationis. Possunt tamen Episcopi, & Cardinales de licentia Pontificis (quae ex justa causa dari potest) ad usus profanos testari de bonis Ecclesiasticis. Demum Regulares, qui non sunt Regulares Milites, ne de consensu quidem Superioris testari possunt; (sicut nec filiusfamilias sine consensu Patris,) possunt tamen de licentia Superioris aliquid donare causa mortis, sicut possunt donatione inter vivos, ut docet Dian. part. 5. tract. 3. resol. 128., quia magis est donare inter vivos, seu irrevocabiliter, quam donare causa mortis, ita scilicet ut donatio incipiat habere effectum suum post mortem donantis; ergo si Praelatus potest dare licentiam ad primum, poterit etiam ad secundum; Quamvis possit ex Laym. ad arbitrium talem licentiam revocare ante mortem donantis.

IV. Religiosi Societatis Jesu post emissam vota simplicia ante professionem, quamvis illicite, valide tamen testantur absque licentia Superioris, ex Sanch. lib. 7. cap. 8. num. 25. contra Less. cap. 4. n. 28. & Molin. disp. 139; quia cum retineant dominium rerum suarum, voto paupertatis non irritatur eorum donatio, sed solum prohibetur usus sine licentia Superioris:

Laym. etiam lib. 3. tract. 5. cap. 7. juxta sententiam Lessii, & Molinae contra Sanch. docet, donationes omnes factas ab habentibus vota simplicia in Societate Jesu sine licentia Superioris esse irritas; non secus ac donationes pupilli sine auctoritate Tutoris; quia Tridentium irritat omnes donationes non factas in duobus mensibus ante professionem, & excipit Societatem Jesu solum circa ea, quae sunt propria suarum constitutionum; Unde cum sit contra Constitutiones renunciare sine licentia Superioris, ideo irritae videntur hujusmodi renunciationes; Hinc Notarii licentias Superiorum in hujusmodi renunciationibus solent inferere.

V. Porro circa revocationem Testamenti certum est, quod Testamentum, & quaelibet ultima voluntas possit ad arbitrium Testatoris revocari, & mutari, potestque revocari tam tollendo aliquid substantiale, verbi gratia sigillum a Testamento facto, quam conficiendo novum Testamentum perfectum, & solemne; aliter per secundum Testamentum non revocatur primum, ex leg. *Hac consultiissima*, Cod. de Testamentis, nisi in aliquibus casibus exceptis, ut notat Laym. cap. 4; verbi gratia, si secundum minus solemne sit ad pias causas, vel inter liberos factum.

VI. Ubi notandum, quod si in priori Testamento dicat Testator, quod si alterum Testamentum conditurus sit, nolit secundum habere vim, in tali casu secundum Testamentum non revocat prius, nisi addat clausulam derogatoriam prioris: Immo non satis est, ut dicat in secundo Testamento, quod nolit valere alterum Testamentum prius factum, cum possit id dici ex oblivione prioris; sed debet revocare clausulam illam appositam in priori Testamento, & tunc valebit secundum Testamentum; nam ex leg.

Si,

*Si quis, ff. de Legatis* nemo potest eam sibi legem dicere, ut a priori voluntate recedere non liceat.

VII. Dubium est, An qui juravit, se non revocaturum Testamentum, possit illud deinde revocare?

Respondeo cum communi contra Gomez apud Dian. part. 5. tract. 3. res. fol. 122., quod peccet mortaliter peccato perjurii, si sine justa causa revocet; revocatio tamen erit valida in utroque foro: Quod si detur justa causa revocandi, verbi gratia, quia dispositum est contra leges justas, licite revocari potest; quia juramentum esset iniquum; Potest autem peti relaxatio talis juramenti, quamvis non dispositi contra leges justas, juxta dicta quaest. 1. art. 4. Non tamen admiserim, quod docet Gomez apud Dian. loc. cit., tale juramentum esse absolute nullum, utpote contra bonos mores, dando heredibus occasionem desiderandi mortem Testatoris; (sicut in leg. *Stipulo ff. de Verbor. obligat.* dicitur esse iniquum, & non observandum hoc pactum, *Instituo te heredem, & nisi praestitero, spondeo tibi tantam pecuniam, quia tale pactum est contra libertatem naturalem testandi;*) Et ratio est, quia non videtur esse contra bonos mores, nec peccatum ullum, in reverentiam Numinis invocati carere libertate testandi.

ARTICULUS IV.

Quinam possint Heredes institui?

- I. Heredes vel instituantur a Testatore, vel veniunt ab intestato; Vel sunt necessarii, vel non necessarii; Vel universales, & ex asse, vel particulares, quibus aliqua pars assis relinquatur. Quanam sint Assis partes?
- II. Heredes necessarii quinam sint? Et

quanam sit legitima portio descendendum? Quinam in portionem hereditatis admittuntur in Capita, quinam in Stirpes? In feudalibus quinam, & quomodo succedant?

- III. Quomodo se gerere debeat Pater, ac Mater relate ad filios illegitimos? Quid relinquere possint Spuriis praeter alimentia?
- IV. Omnes homines, & Communitates institui possunt heredes, nisi specialiter prohibeantur, ut Spurii, Haeretici, Infames, qui dicuntur intestabiles. Quid de Religiosis? Quid de Professis Societatis Jesu? Potest domus Professa Societatis Jesu institui haeres; non tamen Conventus Fratrum Minorum.
- V. Heredes ab intestato quinam veniant? Quandonam succedant consanguinei in linea transversali usque ad decimum gradum? Et quandonam Fiscus saecularis, quando Ecclesiasticus succedant?
- VI. Uxor, quae sine dote nupsit, quandonam succedat in quarta parte bonorum Mariti? Et quando maritus pauper in quarta parte bonorum uxoris?
- VII. Quid restituere debeat conjux transiens ad secundas nuptias?
- VIII. Haeres suus in hereditate succedit, antequam illam adeat, non vero haeres non suus.
- IX. Qui hereditatem acceptavit, num teneatur aliquando solvere creditoribus defuncti supra vires hereditarias? Et quando illi competat quarta Trebellianica, aut Falcidia?

I. **H**Æredes, alii instituantur a Testatore, alii veniunt ab intestato, seu de jure succedunt in hereditate, etiam nullo condito Testamento, aut Testamento non legitime condito. Rursus heredes ex Testamento, seu qui instituantur in Testamento, alii sunt necessarii, hoc est,

X 2 quos



quos Testator cogitur instituere, nisi justam habeat causam exhæredandi, ut sunt descendentes, & iis deficientibus, ascendentes; Alii non necessarii, quos scilicet non cogitur instituere Testator, ut sunt extranei. Demum alii sunt hæredes universales, seu ex asse; alii particulares, quibus scilicet aliqua pars hæreditatis relinquitur, verbi gratia, triens, quadrans; &c.. Sciendum enim, hæreditatem dividi in jure in duodecim uncias, quæ Assis nomine continentur. Unde duodecima pars hæreditatis vocatur Uncia; sexta pars vocatur Sextans, hoc est, duæ uncia; quarta pars vocatur Quadrans, hoc est, tres uncia; tertia pars vocatur Triens, hoc est, quatuor uncia; Quincunx dicuntur quinque uncia; Semis, vel Semissis, sex uncia; Septunx, septem uncia; Bes, octo uncia; Dodrans, novem uncia; Dextrans, decem uncia; Deunx, undecim uncia; As demum dicitur integra libra, seu hæreditas. Hæres autem particularis in hoc differt a Legatario, quod Legatarius, cui aliqua res determinata relinquitur in Testamento, nullum onus subire debet; econtra hæres particularis subire debet partem onerum hæreditatis juxta partem hæreditatis, quam acquirit. His explicatis

II. Dico primo, hæredes necessarios esse solum Descendentes, & iis deficientibus, Ascendentes, qui sunt consanguinei in linea recta. Porro legitima portio descendantium est triens hæreditatis, si non plures sint, quam quatuor liberi masculi, vel scæminæ; Semissis vero, si plures sint, quam quatuor; Et in horum liberorum numero ponendus est, qui renunciavit hæreditati, non vero qui est incapax hæreditatis vel ob ingressum in Religionem, vel quia est exhæredatus, &c. Si tamen unus ex liberis defunctus nepotes reliquit, isti omnes repræsentant personam Patris sui, & in ejus-

dem portionem succedunt; Unde cum reliquis liberis Testatoris non in capita, sed in stirpes in hæreditatem admittuntur. Hæc tamen legitima portio, quæ hæredibus necessariis debetur, est solum ex bonis, quæ sunt de substantia Patris, non vero ex bonis feudalibus, quæ dicuntur ex pacto, & providentia secundum gratiam, & liberalitatem concedentis; Sic Regna, & Comitatus Magnatum debentur Primogenito, dummodo aliis sustentatio sufficiens relinquatur. Quod diximus de Descendentibus, dicas de Ascendentibus; nam deficientibus descendantibus, triens hæreditatis debetur Patri, & Matri Testatoris; Quod si neuter superviverit, in locum patris succedit avus, & avia paterna, & in locum matris avus, & avia materna. Quare si hujusmodi legitima portio debita hæredibus necessariis non relinquatur in Testamento, non adjecta causa, verbi gratia, ingratitude, Testamentum erit nullum quoad hæredis institutionem, quanvis valeat quod legata, & alia.

III. Hic autem notandum primo, quod deficientibus descendantibus simul, & ascendentibus, non sit necesse instituere ullatenus hæredem fratrem, vel sororem Testatoris, ut communiter docent contra Riccium apud Dian. part. 1. tract. 8. resol. 85., & part. 5. tract. 3. resol. 114., quamvis possint isti conqueri tanquam de inofficioso Testamento, si fuerit relicta hæres aliquis infamis. Secundo, quod Pater non teneatur instituere hæredes filios naturales non legitimatos; quamvis si careat filiis legitimis, possit illos hæredes instituere, dummodo non fraudet parentes debita portione. Si vero Testator habeat filios legitimos, non potest relinquere filiis naturalibus, eorumque matri plusquam unam unciam hæreditatis. Mater tamen juxta jus Cæsareum æque tra-

tractare potest filios legitimos, ac naturales, cum æquali jure succedant in hæreditate, ut notat Molin. disp. 166. apud Laym. Spuriis, hoc est natis ex coitu damnato, & punibili (seu ex Patre, & Matre, qui non poterant tempore conceptionis propter impedimentum dirimens in matrimonium conjungi,) nihil relinquere potest Pater præter alimenta juxta proprium statum, quæ sunt de jure naturæ; Unde in hoc jus Canonicum revocavit jus Civile, ut notat Dian. part. 5. tract. 3. resol. 112. Potest etiam aliquid iis relinquere in remunerationem pro benemeritis, quia hæc est solutio, non donatio; at non veniunt pro benemeritis obsequia debita Patri, ut notat Dian. loc. cit. resol. 131. Potest Avus instituere hæredem nepotem filium spurii, si non faciat id intuitu patris; potestque etiam mater probabiliter ex Lefs., dummodo non sit illustrius habens filios legitimos.

Si tamen Pater instituat hæredem extraneum cum onere, quod hæreditatem det spurio, peccat graviter acceptans hæreditatem cum tali promissione; eo quod prohibeatur id graviter in lege; Quia vero promissio isthæc est nulla, ideo nihil deinde tenetur dare spurio, ut notat Becan. apud Dian. loc. cit. resol. 121.

IV. Dico secundo, posse omnes homines, & Communitates institui hæredes, nisi specialiter prohibeantur. Prohibentur enim primo Spurius, ut diximus. Secundo, hostium Civitates, & Communitates Judæorum. Tertio, Hæreticus, & Apostata, necnon deportatus, seu damnatus ad metalla. Quarto, Collegium, quod non est erectum auctoritate publica, exceptis Contraternitatibus, quæ pietatis causa institutæ sunt etiam sine auctoritate Superioris. Quinto, Occisor Testatoris, & alii, qui in jure dicuntur intestabiles, ut occisor Cardinalis.

Demum circa Religiosos certum est omnes professos Ordinum, quibus concessum est bona immobilia in communi possidere, posse institui hæredes, & ab intestato succedere, ut notat Sanch. lib. 7. cap. 12.; Ex Trident. autem sess. 25. cap. 3. omnibus Ordinibus id conceditur, præterquam Cappuccinorum, & Minorum de Observantia. Quia tamen Societas Jesu concessionem hanc Tridentini bona immobilia, & redditus possidendi non accepit, ideo Professi Societatis Jesu non possunt institui hæredes, nec possunt ab intestato succedere ipsi, nec loca ubi degunt: Immo quamvis Collegia, & domus probationis Societatis Jesu possint bona immobilia, & redditus possidere, non possunt tamen succedere in hæreditate ratione professi, aut alterius habentis vota formata, ut habetur in 6. part. Constit. cap. 2. Illud autem est discrimen inter Ordinem Cappuccinorum, aut Minorum de Observantia, & Societatem Jesu, quod Collegia, & Domus Professæ societatis, quamvis non possint ratione Professi acquirere hæreditatem aut ex Testamento, aut ab intestato; possunt tamen etiam Domus Professæ institui hæredes, & hæreditatem adire; ita tamen, ut si in hæreditate habeantur bona immobilia, Domus professæ possit illa vendere; Contra vero non solum Professi Cappuccini, & de Observantia non possunt institui hæredes, sed neque eorum Conventus; & probabiliter ex Sanch. lib. 7. cap. 25. nec eorum Ecclesiæ; Immo probabiliter ex eodem Sanch. contra Rodriq., nec potest Fratribus Minoribus relinqui hæreditas cum pacto, quod vendatur, & in necessarios usus pretiam venditionis expendatur; quamvis possit institui hæres alius cum onere, quod hæreditatem vendat, & pretium in Fratrum necessitates convertat.

V. Dico tertio, Hæredes ab intestato ante omnes venire liberos legitimos tum mares, tum fœminas æqualibus portionibus; In istorum autem mortuorum locum succedunt nepotes in stirpes, non in capita, ut supra diximus. Secundo, deficientibus descendentes, veniunt, ut supra etiam diximus, Ascendentes, videlicet pater, & mater Testatoris; in quorum mortuorum locum succedunt avi, & avia illos representantes. Quod si una cum patre, & matre, vel avis adsint etiam fratres, & sorores Testatoris, etiam ipsi succedunt æqualiter, seu in Capita. Tertio, deficientibus descendentes, & ascendentes, succedunt fratres, & sorores ex utraque parte conjuncti æqualibus portionibus, & excludunt conjunctos, vel ex patre tantum, vel ex matre tantum. Mortuis fratribus, & sororibus, succedunt eorum liberi, & his deficientibus succedunt fratres, aut sorores ex una tantum parte conjuncti: Quibus etiam deficientibus, devolvitur successio ad propinquiores Collaterales usque ad decimum gradum in Capita, ut habetur apud Molin. disp. 164. & Laym. Quarto, deficientibus omnibus hæredibus in linea transversali usque ad decimum gradum, succedit conjux defuncti, & conjuge etiam deficiente succedit Fiscus sæcularis in bonis Laici, & Ecclesiasticus in bonis Clerici, ex leg. *Vacantia*, Cod. de Bonis vacantibus.

VI. Ubi notandum primo, quod si uxor marito nupsit sine dote, debeat, si inops est, succedere in quarta parte bonorum mariti, etiamsi hæreditas ad consanguineos pertineat; ita tamen ut si Testator relinquat liberos, ad uxorem spectent solum usufructus quartæ partis bonorum mariti, dum ipsa vivit, & deinde si plures, quam tres liberi adsint, ipsa cum iisdem in capita succedat; Et eadem est ratio, si uxor dives præmoriatur relicto marito

inope.

VII. Notandum secundo, quod uxor, quæ susceptis ex priore matrimonio liberis transit ad secundas nuptias, debet servare, & relinquere liberis quicquid donatione, aut testamento habuit a priore marito: Et idem dicas de marito transeunte ad secundas nuptias. Quod si ad secundas nuptias non transeant, possunt bona a conjuge profecta (excepta donatione propter nuptias, & lucris ex dote) consumere, & alienare; Quod si non alienarint, possunt deinde liberi illa sibi vindicare.

VIII. Notandum tertio discrimen, quod intercedit inter hæredem suum, & hæredem non suum; Nam hæres suus (videlicet proximus descendens in possessione defuncti existens tempore mortis, cui annumeratur posthumus legitimatus, & professus,) quia censetur una persona cum defuncto, succedit in hæreditate, & ejus dominium acquirit, antequam illam adeat: Contra hæres non suus (quales dicuntur omnes alii hæredes) non acquirit dominium hæreditatis, antequam illam adeat, hoc est voluntarie acceptet, profitendo se esse hæredem; habetque anni spatium ad deliberandum, an velit illam acceptare. Peccat autem ex Sanch. lib. 6. dub. 4., & Molin. disp. 345., si nolit illam acceptare, qui debitis est obstrictus, quibus non potest aliter satisfacere, & non vult, ut creditoribus, sed ut hæredibus ab intestato hæreditas obveniat; qui enim ex justitia ad aliquid obligatur, tenetur etiam adhibere media non multum difficilia ad illud ponendum, atque adeo qui tenetur solvere creditoribus, tenetur etiam acceptare hæreditatem necessariam ad solvendum.

IX. Notandum ultimo, quod qui hæreditatem acceptavit, ita teneatur onera hæreditatis subire, ut duo habeat privilegia; Primum est, quod si intra tri-

triginta dies coepit facere inventarium, & intra alios septuaginta novem compleverit, non teneatur solvere creditoribus defuncti supra vires hereditatis; quod etiam competit Ecclesiae, & Fisco, si instituatur haeres, quamvis inventarium non confecerint: Immo Sanch., & Vasq. contra Covarr., & Molin. apud Laym. dicunt, neminem in foro conscientiae ad id teneri. Secundum privilegium est, quod talis haeres, deductis expensis funeris, & solutis debitis, &c., saltem quartam partem hereditatis habere debeat; aliter detrudere potest illam de legatis, beneficio legis Falcidiae a Falco Consule latae, ut habetur in Digestis, & Cod. *Ad legem Falcidiam*; quamvis in legatis piis cesset lex ista Falcidia, ut notat Less. cap. 19. num. 88.; Sicut cessat in iisdem quarta Trebellianica, seu quarta pars, quae debetur illi, qui instituitur haeres cum onere restituendi alteri hereditatem, beneficio legis factae a Trebelliano Senatus Consulto: Confunduntur autem in jure quarta Falcidia, & Trebellianica, cum fere idem importent.

## ARTIC. V.

## De Renunciatione Hereditatis.

- I. Hereditatis renunciatio non subsistit, nisi juramento firmetur.
- II. Quid si filius post portionem suam acceptam hereditati renunciet? Quid si juramento renunciet in praedictum posterorum? Quid si renunciet in favorem fratris, & interim parens decedat? Renunciatio hereditatis non se extendit ad feudalia, nec ad alimenta.
- III. Irrita est renunciatio hereditatis, quae speratur obvenire, exceptis nonnullis casibus.
- IV. Quanam renunciatio hereditatis facta ante ingressum in Religionem a

Tridentino irritatur?

- V. Hac in re nihil Tridentinum innovavit circa institutum Societatis Jesu.
- VI. Irrita est renunciatio facta a Candidatis Societatis in causas profanas, aut in causas pias, sed sub conditione professionis, si non fiat juxta Tridentinum.
- VII. Qui a Societate dimittitur, num possit repetere, quod illi donavit?

I. **O**uæritur primo: An valeat renunciatio hereditatis facta ab haerede necessario?

Respondeo, illam non subsistere, nisi sit juramento firmata; jure enim Civili statutum est propter bonum publicum, ut hereditas pactis nec dari, nec auferri possit; ut docent communiter Doctores in leg. *Hereditas*, Cod. *de Pactis conventis* apud Laym.

II. Notandum tamen primo, quod si filius (aut alius haeres necessarius,) vivente patre, integram suam portionem acceperit, & deinde renunciaverit reliquæ hereditati, valide renunciaverit; quamvis ex Molin. disp. 579., si deinde bona patris crescant, non obstante renunciatione nuda, adhuc possit in morte patris petere legitimam portionem talis augmenti. Secundo, quod si filius cum juramento renunciet hereditatem, valida est renunciatio, quamvis id cedat in detrimentum eorum, qui filio successuri essent; quia istis nullum jus illius hereditatis, vel alterius competit, nisi dependenter a persona patris. Tertio, si quis renunciavit in favorem fratris, eo mortuo ante mortem patris renunciatio corrumpitur; cum cesset ejus causa. Demum renunciatio sicut non extenditur ad feudalia, quia non debentur jure hereditario, sed ex concessione Principis, seu ex pacto, & providentia, ita nec extenditur ad alimenta, utpote jure naturæ debita; & communiter nec ad dotem necessariam, quippe quæ suc-

ce-

cedit loco alimentorum.

III. Quæritur secundo: An Titius sperans aliquam hereditatem sibi vel ex Testamento, vel ab intestato obtenturam, possit illam alteri promittere, aut obligare?

Respondeo negative; irritantur enim hujusmodi pacta in *leg. ult.*, Cod. de *Pactis* propter infidias, quæ parantur ejus vitæ, super cujus bonis paciscuntur, ut ait Glossa. Excipe tamen primo, nisi adsit consensus ejus, de cujus hereditate agitur, & talis consensus usque ad mortem perseveret; potest enim ille semper consensum revocare, ut proinde dicatur voluntas hominis ambulatoria usque ad ultimum vitæ spiritum. Secundo, nisi pactum fiat circa hereditatem personæ incertæ, quia sic non datur ansa infidiis. Tertio, si donetur hereditas personæ certæ alicujus Communitatis; idque propter eandem rationem.

IV. Quæritur tertio: Num renunciatio hereditatis facta ab aliquo ante ingressum in Religionem sit valida?

Respondeo, certum esse, quod Tridentin. sess. 25. cap. 16. irritet renunciaciones etiam juratas eorum, qui Religionem ingrediuntur, nisi factæ sint cum licentia Episcopi, vel Vicarii intra duos menses proximos ante professionem, nec vult illas effectum sortiri, nisi secuta professione. Certum etiam est, quod si hujusmodi renunciaciones fiant multo tempore ante ingressum, & non intuitu ingrediendi in Religionem, sint validæ; Si tamen fiant paulo ante ingressum, & intuitu ingressus, probabile est ex Navar., Molin. disp. 139.; Sà, Rodriq., Laym. cap. 7. contra Vasq., Sanch. lib. 7. cap. 5. & alios apud Pelliz. tract. 2. cap. 9. num. 4. esse invalidas; tum quia Tridentinum loquitur absolute de omnibus renunciacionibus factis ante duos illos menses; tum etiam quia aliter frustraretur finis Tridentini intendenti

rueri libertatem Novitiorum ad egrediendum; tum demum quia id declararunt Cardinales apud Marsilium citatum a Laym.: Docent etiam Navar., Sanch., Laym. contra Molin. disp. 149. esse pariter irritas donaciones, & renunciaciones factas post ingressum, sed ante duos illos menses sub conditione expressa securæ professionis; quia sic etiam libertas ad egrediendum Novitiorum minueretur; nam ipsi ægre contristare vellent donatarios, dejiciendo illos a possessione incæpta bonorum; & donarii omnes modos adhiberent, quibus novitius ad profitendum inducatur. Quod si tales donaciones fierent non longe ante ingressum, probabile etiam est esse invalidas; Videntur enim factæ in fraudem Canonis Trident.

V. Notandum hic, Tridentinum ibidem addere, quod nolit hac in re innovare quicquam circa institutum Societatis Jesu, in quo præcipitur cap. 4. Exam. Gener., quod ingressurus juxta Consilium Christi Domini, *Si vis perfectus esse, Vade, vende, quæ habes, da pauperibus, & sequere me*, debeat ante ingressum vel bona sua erogare in causam piam, puta pauperibus sine spe illa recuperandi, vel promittere se prompte relicturum omnia post annum ab ingressu, quandocumque illi injunctum fuerit. Potest etiam fieri post edita vota simplicia renunciatio in consanguineos, accedente tamen consilio, & judicio unius, aut plurium prudentium, & licentia Superioris; aliter erit irrita, ut docet Lessius cap. 4. num. 28., & Layman contra Sanch., ut diximus articulo 3. n. 5.; quia Tridentinum irritat omnes donaciones, & renunciaciones non factas intra duos illos menses, aut juxta Societatis institutum.

VI. Censeo tamen contra Less. lib. 2. cap. 41. num. 41. irritas etiam esse renunciaciones factas a Candidatis Societatis Jesu ante ingressum, vel absolute

lute in causas profanas, vel in causas pias, sed sub conditione professionis fecutura; quia tales renunciaciones non sunt iuxta institutum Societatis.

VII. Notandum etiam, quod qui aliquid relinquit Societati, si dimittatur, non potest illud repetere, ut declaravit P. Claudius anno 1584., quia censetur talis donatio facta iuxta institutum, & sine spe recuperandi.

## ARTIC. VI.

## De Codicillis.

- I. Codicillus, quasi parvus Codex, est quoddam Testamentum imperfectum, supponens heredem; In eo quinque testes sufficiunt.
- II. In testamento carente debitis requisitis clausula Codicillaris fert, ut vim habeat Codicilli, si non desint requisita ad Codicillum.
- III. Vi clausula Codicillaris legata subsistunt, quamvis non subsistat heredis institutio: Sunt alii etiam ejusdem clausula effectus.
- IV. Potest Codicillus esse Nuncupationis coram quinque testibus. Legatum potest nuncupari relinqui a Testatore; Sed heredis institutio debet ore Testatoris proferri, saltem ad alterius interrogationem.

I. Quæritur primo: Quam vim habeat Codicillus?

Respondeo, Codicillum esse quasi parvum Codicem, seu scripturam, qua ultima aliqua voluntas absque directa heredis institutione continetur; Unde est quoddam Testamentum imperfectum; tum quia non requiritur solemnitas Testamenti; cum ad Codicillum satis sint quinque testes, licet non rogati, & fœminæ; tum etiam quia Codicillus supponit heredem vel in Testamento institutum, vel succedentem ab intestato, & solum deservit

Pars IV.

vel ad legata, & fideicommissa relinquenda, vel ad Testamentum declarandum, aut immutandum. Ex quo sequitur, quod possit Codicillus fieri etiam nullo facto Testamento, obligando verbi gratia ad aliqua legata heredem ab intestato venientem.

II. Quæritur secundo: An si Testator intendens facere Testamentum non adhibeat solemnitates requisitas ad Testamentum, sed requisitas solum ad Codicillum, talis scriptura cum non habeat vim Testamenti, habeat saltem vim Codicilli?

Respondeo distinguendo; si enim illi addatur clausula codicillaris, dicendo, verbi gratia, Si hæc mea dispositio non valeat ut Testamentum, valeat ut Codicillus, aut valeat quantum valere potest, certe vim Codicilli habet, cum habeat solemnitates ad illum requisitas: Quod si talis clausula non addatur, neque habebit vim Testamenti, neque vim Codicilli; nisi forte ex conjecturis præsumatur, quod disponens voluerit, scripturam illam valere, ut Codicillum, si non posset valere ut Testamentum: Sicut præsumeretur in casu, verbi gratia, quod quis aliquid relinqueret filio, aut alii valde dilecto; nam vehemens amor præsumptionem facit clausulæ codicillaris, ut notatur in leg. Testamento, ff. de Fideicommissis.

III. Effectus autem clausulæ codicillaris sunt, quod quamvis irrita sit institutio heredis in ea scriptura facta, subsistant tamen legata, & alia ibi posita; unde solvenda sunt ab heredem ab intestato. Secundo, si Testator carens heredibus necessariis (hoc est descendentibus, vel ascendentibus) instituat in tali Codicillo heredem extraneum, ita hereditas debet redire ad heredem ab intestato, ut isti teneantur hereditatem dare illi extraneo, retenta sibi tantum quarta Trebellianica, hoc est quarta parte hereditatis,

X. jux.

juxta legem Trebelliani; Quamvis id non militet, si hæres extraneus sit pia causa, ut diximus etiam de Lege Falcidia, quæ cessat, si legata sint ad pias causas: Quod si Testator habens hæredes necessarios instituat extraneum, hæredes necessarii, detracta portione legitima, debent reliquam hæreditatem huic extraneo restituere.

IV. Notandum demum, Codicillum (ut diximus de Testamento) posse fieri vel in scriptis, adhibitis quinque testibus, qui se subscribant, vel per nuncupationem declarando voluntatem suam coram quinque testibus; Qui pariter nuncupativus vocatur, quamvis deinde in Scripturam redigatur. Præterea hæredem debet Testator ore proferre, saltem ad interrogationem alterius; aliter invalida est institutio hæredis, si propter infirmitatem non potest Testator loqui, ex leg. *Subemus*, Cod. de Testamentis: Econtra satis est ad validitatem legati, quod nutu relinquitur, ex leg. *Nutu*, ff. de Legatis.

#### ARTICULUS VII.

De Substitutione hæredis, & Fideicommissis.

- I. Substitui quis potest in hæredem, vel directe per substitutionem sive Vulgarem, sive Pupillarem, sive Exemplarem; Vel indirecte per Fideicommissariam, vel per Mixtam, sive Reciprocam, sive Compendiosam.
- II. Pupillaris substitutio habetur, si fiat hæres pupillus sub ea conditione, quod si ante pubertatem decedat, alius sit hæres: Exemplaris est instar Pupillaris, si scilicet filio amentis, surdo, & muto, aut prodigo alius in hæredem substituatur.
- III. Fideicommissaria substitutio habetur, quando gravatur hæres, ut hæreditatem vel totaliter, vel partialiter alteri restituat; quod etiam fieri potest per Codicillum.

IV. Potest vi hujus indirecta substitutio nis fideicommissaria detrahi quæta Trebellianica, non tamen a legatis; nec si substitutio sit ad piam causam; Nec a legatis piis detrahitur Falcidia.

V. Quenam dicatur substitutio Mixta Reciproca; Quenam Compendiosa?

I. Multipliciter potest aliquis substitui in locum hæredis. Primo, directe per substitutionem vel Vulgarem, vel Pupillarem, vel Exemplarem. Secundo indirecte per substitutionem fideicommissariam. Demum per substitutionem mixtam, quæ sit vel Reciproca, vel Compendiosa, quas omnes sex substitutiones mox explicabimus.

II. Prima substitutio dicitur Vulgaris, quæ communiter, & vulgo accidit, instituendo, verbi gratia, hæredem Titium, & in locum Titii (si scilicet aut nolit, aut non possit esse hæres, eo quod, verbi gratia, ante Testatorem moriatur) substituendo Cajum.

Secunda Pupillaris; quando scilicet instituitur hæres aliquis pupillus, seu impubes sub ea conditione, ut si ante pubertatem decesserit, alius sit hæres: Cum enim pupillus non possit Testamentum facere, jura voluerunt, ut qui relinquit illum hæredem, faciat pro illo Testamentum in casu, quo ante pubertatem moreretur: Ad hoc tamen requiritur, ut talis pupillus sit in potestate Testatoris, & non recadat in alterius potestatem per mortem Testatoris. Unde fit, quod mater non possit facere substitutionem pupillarem relate ad filios, quia filii non sunt in potestate matris; Sicut nec pater relate ad filios illegitimos ob eandem causam, ut notat Less. dub. 7.; Nec avus relate ad nepotem, si pater vivat, quia nepos per mortem avi recidit in potestatem patris viventis.

Ter-

Tertia substitutio dicitur Exemplaris, eo quod sit ad exemplum Pupillaris; acciditque, quando fit substitutio hæredis filio amenti, vel surdo, & mutuo, vel prodigo, cui bonorum administratio sit interdicta; (nam tam surdus simul, & mutus, quam prodigus testari non possunt, nisi ad pias causas.) Quare si pater filio, verbi gratia, amenti substituatur Cajum, & filius moriatur ante pubertatem, talis substitutio erit Pupillaris simul, & Exemplaris; Si vero moriatur post pubertatem, erit solum Exemplaris, & in eadem substitutione continetur etiam Vulgaris, quatenus si filius moriatur ante Testatorem, succedit Cajus, sicut in omni substitutione vulgari. Expirat tamen substitutio exemplaris, si filius amens in sanam mentem redeat, nec cito in insaniam relabatur, & talis substitutio potest etiam a matre fieri cum conditionibus, quæ habentur in leg. *Humanitatis*, Cod. de *Impuberibus*.

III. Quarta substitutio dicitur Fideicommissaria, & est indirecta; nam per illam gravatur hæres, ut hæreditatem vel totaliter, vel partialiter restituat alteri, qui idcirco fideicommissarius dicitur. Est autem hæc substitutio indirecta, quia ministerio hæredis directi debet deferri hæreditas substituto; & ideo potest talis substitutio fieri per Codicillum, non vero reliquæ, quæ sunt directæ; quamvis si reliquæ fiant in Codicillo, ex benigna interpretatione juris habebunt vim substitutionis fideicommissariæ.

Notandum tamen, quod si hæres sit gravatus, potest quartam partem hæreditatis restituendæ fideicommissario, retinere sibi, quæ vocatur quarta Trebellianica, idque tum ne vana sit talis hæredis institutio, tum ut alliciatur ad præstanda onera hæreditatis; A legatis tamen hæc quarta pars non detrahitur, sicut nec si substitutio sit

ad piam causam, ut nec a legatis piis detrahitur Falcidia, de qua diximus art. 3. Quando enim privilegium cum privilegio concurrat, cessat utrumque, & servatur jus commune. Potest etiam Testator expresse prohibere, ne detrahatur quarta ista Trebellianica, aut Falcidia, ut notat Less. loc. cit. Præterea si talis hæres sit in primo gradu cum Testatore, potest detrahere suam legitimam, quæ fideicommissum gravari non potest, & de reliquo detrahere quartam Trebellianicam.

IV. Præter has quatuor Substitutiones dantur duæ aliæ mixtæ, quæ scilicet plures ex quatuor enumeratis substitutionibus complectuntur. Prima dicitur Reciproca, seu Brevisloqua, quæ instituti hæredes sibi invicem substituuntur: Verbi gratia si Testator dicat, Instituo hæredes meos Titium, & Cajum, eosque invicem substituo; In hac enim substitutione non solum habentur duæ substitutiones vulgares, sed etiam altera erit Pupillaris, si alter tantum sit impubes; utraque vero erit Pupillaris, si erit impubes uterque; Habetur etiam Exemplaris, si verbi gratia, alter sit amens; habetur Fideicommissaria, si fiat vel per Codicillum, vel si fiat in Testamento, imponendo hæredibus, ut qui prior moritur, restituat alteri hæreditatem. Secunda substitutio mixta dicitur Compendiosa; ista autem complectitur plures substitutiones quoad tempora, vel ætates (sicut Reciproca continet quoad personas,) ut si Testator dicat, Instituo hæredem filium meum, & quandocumque hic vita decesserit, substituo Titium; In tali casu, si in morte Testatoris filius sit etiam mortuus, succedit Titius ex substitutione vulgari; si filius moritur deinde impubes, succedit Titius ex Pupillari; Si amens, ex Exemplari; Si post pubertatem sanus decesserit, succedit Titius ex Fideicommissaria, detracta



pro filio mortuo legitima, & quarta Trebellianica.

### ARTICULUS VIII.

De Legatis, & Fideicommissis particularibus.

- I. Legatum dicitur donatio a defuncto relicta, & ab herede præstanda. Differt a Fideicommissis particulari in forma verborum dumtaxat; hoc enim dirigitur ad heredem, illud ad legatarium.
- II. Potest aliquid legari etiam iis, qui non possunt institui heredes, puta Fratribus Minoribus, relinquendo illis annuos redditus ad decennium, aut ad vitam Monachi; Possuntque heredes gravari, ut quotannis aliquid iisdem solvant.
- III. Domus Professa Societatis Jesu capax est etiam hereditatis; dummodo stabilia intra decennium vendantur.
- IV. Quonam pacto possit res aliena legari?
- V. Qui aliquid legat suo creditori, censetur liberaliter donare, si sit debitor ex contractu voluntario; Secus vero si sit aliunde occultus debitor.
- VI. Confessarius debet, quantum fieri potest, urgere, ut Testator statim restituat, cum passim Testamenta infirmantur.
- VII. Legatum relictum Berta sub conditione nuptiarum debetur illi, etiam si caste vivat.
- VIII. Pariter legatum relictum sub conditione, quod quis a nuptiis abstinereat, dandum eidem, quamvis nubat. Non tamen si fiat sub conditione, quod non iterum nubat.
- IX. In favorem pia causa, & Status Religiosi, ac Sacerdotalis valet legatum relictum sub huiusmodi conditionibus.
- X. Coniux, qui promissit alteri se serva-

turam esse post eius obitum viduitatem, quomodo ad id obligabitur, quando eo sine relinquitur illi legatum?

- XI. Quandonam possit Episcopus legata ad pias causas relicta commutare?
- XII. Non solum Judex Ecclesiasticus, sed etiam Sacularis Executores Testamenti compellere potest ad solutionem Legatorum.
- XIII. Si legatum sit incertum respectu persone, cui danda sit res legata, corrumpit; nisi sit ad pias causas; in quo casu arbitrio Episcopi vel res est dividenda, vel danda pauperibus. Sed quid si legatum sit incertum respectu rei legata?

I. **D**efinitur Legatum, quod sit Donatio quadam a defuncto relicta, & ab herede præstanda; Convenit etiam talis definitio fideicommissis particulari, verbi gratia si relinquatur in hereditate domus danda Titio. Solum enim in forma verborum differunt Legatum, & Fideicommissum particulare; nam si sermo dirigitur ad legatarium, dicendo, Legatum Titio, dicitur Legatum, si sermo dirigitur ad heredem, rogando, vel imponendo illi, ut det centum Titio, dicitur Fideicommissum particulare; ad differentiam Fideicommissi universalis, quod habetur in substitutione heredis. Præterea certum est, omnes, & solos, qui testari possunt, posse etiam legare; cum legatum non relinquatur, nisi in Testamento, aut Codicillo, & Codicillus non possit fieri, nisi ab eo, qui testari potest, ex leg. Divi, ff. de Jure Codicillorum.

II. Quæritur nunc primo: Quonam sit capax legati?

Respondeo universim posse aliquid legari omnibus iis, qui possunt institui heredes: Immo iis, qui non possunt institui heredes, possunt legari alimenta competentia, & dos, quæ succed-

succedit loco alimentorum : Similiter Fratribus Minoribus de Observantia, & Cappuccinis, qui non possunt institui hæredes, potest legari aliqua elemosyna in ea quantitate, quam Sanch. lib. 7. cap. 26. examinat apud Laym. cap. 10., Possunt enim eam quantitatem solum recipere, quæ præsentî necessitatî sublevandæ opus est : Quamvis non repugnet, quod supra necessitatem accipiant, quod iis legatur, si iis legetur annuus redditus ad decennium ; quia hoc non videtur longum tempus, sed veluti unum legatum, cujus solutio sit divisa. Immo Sanch. contra Laym. putat, nec repugnare, si legatum annuum sit relictum ad vitam Monachi, cum vita hominis sit incerta. Possunt etiam ex Rodriq. contra Sanch. gravari hæredes ad elemosynas solvendas Fratribus quotannis, cum talis obligatio sit sine ullo jure Monasterii.

III. Domus autem Professa Societatis Jesu potest & hæreditatem, & legata accipere, dummodo bona stabilia non necessaria suo usui vendantur intra tempus non longum, videlicet intra decennium.

IV. Quæritur secundo : Quid possit legari ?

Respondeo, non solum legari posse res proprias, sed etiam alienas, ita ut hæres cogatur illas redimere, si possit, & dare legatario, vel si non possit, dare æstimationem rei ; dummodo tamen Testator adverterit rem illam esse alienam, vel si ignoravit, censetur velle, quod rei æstimatio detur legatario ; puta vel quia est persona conjuncta, vel benemerita, &c. Immo res hæredis semper hoc pacto tanquam propria legatur a Testatore, ut notat Abbas apud Laym., & Vasq.

V. Dubium est, Num debitor aliquid legans suo creditori, nihil exprimens, censetur illud legare in compensationem debiti, an liberaliter ?

Respondent communiter Doctores, quod si quid illi debeat ex contractu voluntario, censetur legare liberaliter, itaut hæres teneatur extra solutionem debiti dare illi rem legatam : Secus vero si aliunde sit debitor ; nam colore, & titulo legati honestius solet aliis debitis satisfieri.

VI. Norandum tamen, Confessarium non debere esse contentum, quod legato satisfiat a Testatore debitoribus ex furto, aut alia læsione injusta ; Quia Testamenta, & Legata sæpius infirmari solent ; & quia restitutio facienda est statim ; Dummodo tamen sine læsione famæ fieri possit, aut non putetur, quod commodius, & sine dubio statim id faciendum sit ab hæredibus, quia scilicet sunt viri probi, hæreditas est pinguis, & legatum est ad pias causas propter debita incerta ; Hæc enim legata cum non pendeant a solemnitatibus Testamenti, non facile evertuntur.

VII. Quæritur tertio : An validum sit legatum relictum sub conditione Matrimonii contrahendi, vel non contrahendi ?

Respondeo, & dico primo, legatum, vel hæreditas relicta sub conditione nuptiarum dari debet, etiamsi ille, vel illa non nubat, sed Religionem ingrediatur, ex benigna interpretatione juris, quatenus si Testatori id in mentem venisset, adhuc idem relinquere debuisset. Hinc si relinquatur centum Bertæ, si Religionem ingrediatur, & biscentum, si nubat, probabiliter ex Sà, Armill., & aliis contra Molin., Sanch., Guttier. apud Laym. cap. 10., danda illi sunt biscentum, etiamsi ingrediatur Religionem ; Quamvis enim Testator id faciat ex bono fine, puta ex honesta educatione prolis, & non ut retrahat a Religione, tamen quia id aliquo modo a Religione retrahit, non videtur subsistere.

VIII. Dico secundo, legatum, vel hære-

hæreditas relicta sub conditione, Si nuptiæ non contrahantur, dari pariter debet, quamvis nuptiæ contrahantur, ex leg. *Quoties. ff. de Conditionibus*; Quod tamen verum est tantum de primis, non de secundis nuptiis; Quare si legentur alicui Virgini biscentum, si matrimonio abstinerit, centum, si nupserit, danda sunt illi biscentum, quamvis nupserit; idque etiam in foro conscientiæ, ex Molin. disp. 207., Sanch. lib. 1. dub. 44. contra Vasq., Medin., Guttier.; Et idem dicas, si legatum fiat sub conditione, quod non fiant nuptiæ sine consensu tertii, quia hoc obstat libertati matrimonii.

IX. Notandum tamen, quod sicut valide apponitur conditio non nubendi, quando legatur aliquid viduo, vel Viduæ, dicendo, verbi gratia, Relinquo illi centum sub conditione, quod non iterum nubat; ita valide talis conditio etiam apponitur in favorem piæ causæ, & in favorem Status Religiosi, aut Sacerdotalis, verbi gratia, dicendo, Relinquo centum Virgini, si abstinerit a matrimonio, aliter ea centum dentur pauperibus; vel si dicatur, Relinquo centum Titio, si non duxerit uxorem, sed Religionem ingrediatur, vel Sacros Ordines suscipiat, ut notat Molin. disp. 207.: Et ratio a priori est, quia dispositiones legum civilium non possunt præjudicium ferre causis piis, quando non approbantur jure Canonico.

Dico tertio, Legatum, vel hæreditas relicta sub conditione, si Religionem ingressus non fuerit, debetur, etiam si Religionem ille ingrediatur; nam conditio, quæ bonis moribus repugnat, rejicitur tanquam inutilis in ultimis voluntatibus.

X. Rogabis, An uxor, quæ promisit conjugii post ejus mortem se non transfuram ad secundas nuptias, teneatur stare huic promissioni, præsertim si eo sine legatum aliquod illi relictum sit?

Respondeo certum esse, quod ea non possit legatum acquirere, & simul nubere, si legatum relictum sit sub conditione, quod non nubat; quare alterutrum poterit eligere: Si vero sponte promisit non nubere, obligabitur vi promissionis, saltem sub veniali, si juramentum non accessit. Quod si incontinentiæ periculum immineret, promissio illa non videtur obligare, cum non censeatur voluisse se obligare cum tanta difficultate; quare poterit petere relaxationem juramenti, si promissionem juravit. Legatum tamen sub ea conditione relictum, quod non nubat, tunc retinere non poterit. Demum si uterque conjux voluit invicem se obligare ad servandam viduitatem, quamvis ad id ex justitia obligentur, poterunt tamen excusari a mortali ob levitatem materiæ, quia exiguum damnum censeatur illud, quod conjugii mortuo, per id inferitur, nisi forte liberis susperstitibus grave damnum oriretur ex secundis nuptiis sui parentis.

XI. Queritur quarto: Quinam possit commutare legata?

Respondeo, legata pia, si non possunt applicari ad id, ad quod Testator disposuit, (verbi gratia, si relinquitur pecunia ad ædificandum novum Monasterium, ad quod illa pecunia non sufficit,) debent applicari arbitrio Episcopi, & Executorum Testamenti ad aliam piam causam; ita tamen ut quantum fieri potest, voluntas Testatoris impleatur, ut docent Covarr., & Abb. apud Laym. ex cap. *Nos quidem, de Testamentis*: Legata tamen profana, si nequeunt applicari juxta mentem Testatoris, caduca fiunt. Si tamen voluntas Testatoris impleri potest, non est licitum commutare legatum in aliud opus præstantius, nisi de licentia Sedis Apostolicæ ex justa, & necessaria causa; ut habetur in jure Canonico apud Mo-

Molin. disp. 240. Et in jure Civili apud Laym. prohibitum est, ne res Civitati legata ad unum usum convertatur in alium sine Principis auctoritate: Potest tamen Episcopus ex Sâ, Covarr. apud Laym. lib. 3. cap. 11. num. 11. aliquando cum consensu hæredis, & Executorum Testamenti convertere legata in alios similes usus, non per modum dispensationis, ut potest Pontifex, sed per modum Epichejæ interpretando voluntatem Testatoris, quod aliter disposuisset, si prævidisset, quod de novo habetur; Verbi gratia, si reliquisset centum ad restaurationem Ecclesiæ, vel ad Vasa Sacra, & alius interim reliquerit pecuniam ad eundem effectum, poterit per Epichejam ab Episcopo legatum commutari; Et idem docent, si convertatur ad usum magis Christianæ Republicæ, & Religioni necessarium, cui aliunde subveniri nequit sine magna difficultate.

XII. Hic autem notandum ex Sylvest., & Sâ, Executores Testamenti peccare mortaliter, si longo tempore sine justo impedimento differant exequi, quæ defunctus præceperat; Et ad id compelli possunt tam a Judice laico, quam ab Ecclesiastico; cum officium hujus Jurisdictionis sit mixti fori, deturque locus præventioni: Spectat autem potissimum ad Ecclesiasticum Judicem, præsertim si quid relinquatur ad causas pias; quia ex cap. Super, de Verbor. signific. Judex Ecclesiasticus subvenire debet personis miserabilibus, & multo magis si sint omni ope destitutæ, sicut sunt defuncti, qui causam suam agere non possunt adversus hæredes. Pœnæ autem negligentibus Executoribus in Jure

statutæ recensentur a Covarr., Abb, Sylvest., Laym., & aliis.

XIII. Quæritur quinto: Relicta incerta quomodo executioni mandanda sint?

Respondeo, si incertitudo sit ex parte legatarii, verbi gratia, quia duo eodem nomine vocantur, & ignoretur, cui danda sit res legata, tunc legatum corrumpitur, ex leg. Si quis pluribus, ff. de Rebus dubiis; & quamvis Molin. disp. 197. putet, in tali casu in foro conscientie rem esse dividendam, negat tamen id Laym., quia jus Civile tollit hanc obligationem ad tollendas, & vitandas occasiones litium: Excipitur tamen, si legatarius sit pia causa, cum jus Civile non possit præjudicium terre piæ causæ; Unde tunc vel res est dividenda, vel danda Ecclesiæ pauperiori, aut Parochiali Civitatis, in qua Testator domicilium habebat, aut pauperibus arbitrio Episcopi loci. Si tamen incertitudo sit ex parte rei legatæ, verbi gratia, si ignoretur Bos ne, an Equus, Vestis A, an Vestis B sit legata; tunc si eæ res sunt in Patrimonio Testatoris, danda est res una mediocris ad arbitrium legatarii; Quod si non sit in Patrimonio Testatoris, danda est res ad arbitrium hæredis, etiam si minimi pretii, dummodo servetur proprietas verborum, usus consuetus, & mens Testatoris, prout ex conjecturis colligi potest: Excipiunt tamen Abbas, & Covarr. contra Molin., & Sanch., si res sit legata causæ piæ; tunc enim putant dandam esse rem in eo genere maximi, non minimi pretii; cum ea præsumatur pia mens Testatoris. Atque hic sit hujus annui pensæ (Sed oh ubi Æternitatis!)

F I N I S.

Ad M. D. G., & B. V. sine labe Conceptæ.

S Y.

# SYNOPSIS OMNES

Quæ in singulis Articulis Tractatus hujusce de Contractibus habentur, hic colliguntur.

## QUÆSTIO I. 2

De Contractibus in genere.

### ARTICULUS I

Quid, & Quotuplex sit Contractus?

I. Contractus presse sumptus fert in utroque Contrahente obligationem; At late sumptus, ut in presenti, fert obligationem saltem in uno contrahentium. II. In hoc sensu definitur, quod sit Duorum, vel plurium consensus, atque conventio. III. Quatuor modis Contractus perficiuntur, Consensu, Verbis, seu certa Verborum forma, Scriptura, & Rei traditione, IV. Contractus dividitur in Nominatum, & Innominatum, qui quadruplex est, do ut des, facio ut facias, do ut facias, facio ut des. Item in Nudum, qui jure civili non parit actionem in foro externo, & Vestitum, qui illam parit, quod sex modis evenire potest. V. Dividitur etiam in Gratuitum, seu lucrativum, & Onerosum; Necnon in Contractum bona fidei, & Stricti juris: Et in illum, qui est in favorem recipientis, & qui in favorem tradentis, aut utriusque. VI. Demum dividitur in Formalem, seu expressum, & Virtualem seu implicitum, qui etiam dicitur Quasi Contractus, quatenus rationaliter præsumitur adesse mutui consensus, ut in Tutela, Mandato, Curatore.

## ARTICULUS II. 6

Quam obligationem pariat Contractus?

I. Debitum aliud est Antidorale, seu Morale fundatum in ipsa rei honestate; aliud Legale, quod oritur ex virtute precipiente aliquem actum; ita tamen, ut trahat onus restitutionis, si ex virtute justitia oriatur. II. Obligatio ex justitia vel est pro foro interno, & hæc non dat actionem pro externo, sed exceptionem; Vel est tantum Civilis, ac nititur in falsa præsumptione, & dat actionem solum pro foro externo; Vel est Civilis simul, & Naturalis, & pro utroque foro ligat. Hæc autem oritur aut ex contractu, aut ex quasi contractu, aut ex delicto, aut ex quasi delicto. III. Promittens non obligatur ex justitia ( nisi juret, aut instrumentum publicum faciat, ) sed ex fidelitate, quæ probabiliter non obligat sub gravi. IV. Quivis contractus etiam nudus parit obligationem Naturalem, seu obligat in conscientia. Contractus dumtaxat vestitus parit etiam obligationem Civilem. Pactum autem nudum non dat actionem, sed exceptionem, retentionem pignoris, aliosque parit effectus; Et jus Canonicum jubet pacta nuda impleri. V. Pactum nudum parit obligationem etiam Civilem, si juramento firmetur, sic enim evadit vestitum. VI. Pollicitatio, seu promissio non acceptata nullatenus obligat, nisi facta sit Civitati, Republicæ ob causam, &c. VII. Quid

si pollicitatio fiat Ecclesie, & ad pias causas? Si donans moriatur, antequam Nuncius moneat illum de donatione facta, ad donatarium ne, an ad heredes spectat res illa donata?

### ARTICULUS III 8

An sit validus Contractus per errorem, dolum, aut metum celebratus, vel sine solemnitatibus Juris?

I. Error potest esse vel circa substantiam rei, vel circa qualitates. Dolus vel potest dare causam Contractui, vel potest incidere in Contractum. Metus potest esse vel a causa necessaria, vel a libera, vel incuti ad extorquendum Contractum, vel ad alium finem; Potest etiam esse iustus, vel iniustus, levis, vel gravis. II. Error circa substantiam invalidat Contractum, sive talis error sit Antecedens, seu inducens ad contrahendum, sive sit Concomitans, quatenus etiam errore deprehenso adhuc Contractus fieret, quamvis ad hunc non inducat. III. Error circa accidentia universim Contractum non invalidat, (ut nec Contractum Matrimoniale,) dummodo datus ab altero proveniens non det causam Contractui; tunc enim Contractus rescindibilis esset rescindendus ad arbitrium decepti. Quod si quis expresse dicat se nolle contrahere, si erret circa qualitates expositas, tunc etiam Contractus Matrimonialis esset irritus, necnon Professio Religiosa. IV. Dolus circa substantiam multo magis, quam error huiusmodi irritat Contractum. Dolus vero circa qualitates dans causam Contractui, si proveniat ab altero Contrahente, est irritandus ad arbitrium decepti; secus vero si proveniat a tertia persona; qua tamen tenetur damnum resarcire. V. Non datur obligatio adimplendi Contractum initum per dolum circa qualitates a tertia persona provenientem, si  
Pars IV.

ex altera parte nondum sit adimpletus. Nec Sponsalium Contractus obligat, si notabilis mutatio aut superveniat, aut de novo appareat. VI. Si Contractus per dolum ab altero Contrahente provenientem dantem causam Contractui esset iuxta probabilem opinionem irritus, teneretur deceptor solum ad damnum compensandum; secus si esset irritandus. VII. Contractus per dolum incidentem in Contractum celebratus non est irritus, sed irritandus ad arbitrium decepti. VIII. Dolus, ac error circa causam finalem irritant promissionem, & donationem; Secus vero si sint circa causam impulsivam. Hinc ad restitutionem tenetur pauper, qui paupertatem simulans, magnam obtinet eleemosynam; Secus vero si parvam. IX. Votum simplex pariter irritum est, si emissum sit per dolum versantem circa causam finalem; non tamen votum solenne, sicut nec Matrimonium. X. Universim est jure natura validus Contractus per metum gravem celebratus ad illum extorquendum, licet sit rescindibilis; jure tamen saltem positivo Matrimonium sic contractum est irritum; sicut etiam Professio Religiosa. Sic pariter Sponsalia, Renunciatio Beneficii, Donatio, Testamentum, Legatum, & similia. XI. Si tamen metus sit iustus, aut si sit iniustus, sed non incussus ad Contractum extorquendum, neque irritus est contractus, neque irritandus; Sicut neque si levis sit metus iniustus ad Contractum extorquendum incussus. Quid de metu reverentiali, ac de precibus importunis? XII. Probabile est, invalidum esse Matrimonium initum cum metu levi injuste incusso ad illud extorquendum. XIII. Contractus, deficientibus solemnitatibus juris substantialibus, (sive quibus scilicet Contractus annullatur,) non solum est irritus in foro externo, sed etiam probabiliter in foro conscientia. Nec quia cessat aliquando finis legis inducentis formam Contractus, ideo tunc cessat ea lex obligare. Testamentum ta-  
men,

men, deficientibus solemnitatibus, solum pro foro externo est irritum. XIV. Hinc probabilius est, restituenda esse, quae per Contractum gratiosum accepta sunt sine solemnitatibus substantialibus; Et Contractus minorum esse irritos sine auctoritate Curatoris; Contra vero legata in testamentis minus solemniter relicta solvenda esse.

## ARTICUL. IV. 15

Utrum iuramentum confirmet contractus.

I. Iuramentum confirmare contractum est vi iuramenti dare jus alteri, & actionem adversus jurantem propter contractum cateroqui irritum iure positivo. II. Iuramentum additum contractui irritum iure naturali in multis differt a iuramento addito contractui irritum iure positivo. III. Universim contractus iure positivo sive Civili, sive Canonico irriti iuramento confirmantur. IV. Non confirmantur tamen iuramento contractus iure positivo irriti, si metu injusto aut ipsi contractus, aut iuramentum superadditum extorqueantur. V. Indiget relaxatione facta a Pralato huiusmodi iuramentum, ut non servetur. VI. Votum simplex metu extortum non indiget relaxatione, ut non servetur; secus vero iuramentum. Illud quippe ex traditione Ecclesiae est irritum, non vero istud. VII. Iuramentum metu injusto extortum superadditum Contractui, qui a lege irritatur propter bonum commune non obligat, nec indiget relaxatione, ut non servetur. Tale est iuramentum additum matrimonio, ac sponsalibus metu injusto extortis, necnon Professioni Religiosa; & probabiliter etiam Voto Religionis. VIII. Quinam possit relaxare isthaec iuramenta addita contractibus? Regulares privilegiarii quamvis possint vota etiam iurata commutare, non possunt tamen haec iuramenta relaxare. IX.

Quanam causa requiratur, ut licite haec iuramenta relaxentur?

## ARTICUL. V. 18

Quinam possint contrahere?

I. Contrahere non possunt, qui carent usu rationis; & qui a Jure impediuntur; ut pupillus sine licentia Tutoris, qui tamen in sui favorem valide contrahit. II. Contractus pupilli, aut Minoris, nisi fiat de licentia Tutoris, aut Curatoris, & cum Judicis facultate, quando alienatur res immobilis, aut mobilis, quae servando servari potest (verbi gratia per triennium) est invalidus. Si vero alienetur res mobilis, quae servari non potest, requiritur solum licentia Tutoris, aut Curatoris; Quod si absque hac licentia fiat, probabiliter in foro conscientiae est invalidus, & obligatorius; quamvis non in foro civili. III. Pupillo, & Minori absque licentia debita contrahentibus competit restitutio in integrum. IV. Probabiliter Pupillus, & Minor, quibus competit restitutio in integrum ob contractus sine licentia inicos, retinere possunt in conscientia, quae ob tales contractus deberent solvere. V. Filiusfamilias puer, aut pubertati proximus potest quidem contrahere de bonis Castrensibus, vel quasi Castrensibus; non tamen de Adventitiis, aut Profectiis. VI. Qui non est pubertati proximus, invalide donat etiam bona Castrensia, vel quasi; quae tamen probabiliter possunt a donatario retineri. VII. Filiusfamilias non debet Patri operas artificiales, sed obsequiales, nisi tamen ab eo alatur. VIII. Uxor solum de bonis paraphernalibus contrahere potest, non vero de dote. Religiosi pariter contra Superioris voluntatem nequeunt se obligare.

A R-

Ex qua culpa contrahentes teneantur ad restitutionem in contractibus.

I. Sine culpa Theologica gravi non datur grave onus restitutionis. Quanam dicatur culpa lata, levis, levissima, ob quas in contractibus dari potest restituendi obligatio? II. In contractibus, qui sunt in utilitatem solius dantis, datur onus restituendi ob culpam latam; si vero sint in utilitatem solius recipientis, datur onus ob culpam levissimam, exceptio Precario; si demum in utilitatem utriusque, ob culpam levem. III. Ex hac doctrina plura ad praxim deducuntur. IV. Quamvis citra culpam Theologicam gravem non detur onus restituendi sub gravi, nihilominus in contractibus secundum se praesumitur Theologica culpa gravis, si detur culpa illa iuridica, ob quam pro foro externo contrahens ad restituendum obligatur. V. Si casu fortuito res pereat, contrahens ad nihil tenetur, secluso pacto, aut mora culpabili. VI. Qui non potest in navi, imminente naufragio, res suas simul, & alienas conservare, quandenam debet suas potius projicere, quam alienas?

Quinam competat restitutio in integrum, si ex aliquo Contractu laesus sit?

I. Quid ferat restitutio in integrum? II. Minoribus conceditur beneficium restitutionis in integrum, si laesi sunt in Contractibus, nisi impetrarint veniam aetatis, aut Contractum ratificaverint facti Majores. III. In multiplici casu possunt Minores hoc beneficio gaudere, sed non nisi per quatuor annos post vigesimum quintum. IV. Majores contrahentes cum minoribus possunt tale da-

mnium praecavere, aut obtinendo veniam aetatis, aut exigendo iuramentum, vel fideiussionem. V. Praeter Minores gaudent hoc privilegio Ecclesia, Hospitalia, & alia loca pia; Item Personae Ecclesiasticae, quando sunt laesa quoad jura Beneficii, Respublica, Civitas, Oppidum, Castrum, necnon Rudes, ac Mulieres, Milites, dum militanti, & alii.

An obliget Contractus celebratus sub Caula, Modo, Demonstratione, vel Conditione?

I. Contractus fit sub Caula, si explicetur causa movens ad Contractum, sive ea sit Finalis, sive Impulsiva. II. Fit sub Modo, si adjiciatur onus contrahenti, nullatenus suspendendo Contractum, sicut suspenditur per Conditionem. Sed quid si dubitetur num fiat sub Modo, an sub Conditione? III. Sub Demonstratione fit dispositio, quando indicatur qualitas aliqua vel rei, qua disponitur, vel ejus, in quem fit dispositio. IV. Fit demum sub Conditione, quando usque ad adventum Conditionis suspenditur Contractus. Conditio autem potest esse honesta, turpis, impossibilis, impertinens, &c. V. Non subsistente causa finali, Contractus est invalidus; secus vero si non subsistat causa impulsiva. VI. Si causa finalis testamenti non subsistat, sed subsistat causa finalis legatorum, haec sunt valida, illud vero nullum. Pariiter nulla est donatio elemosyna, aut collatio Beneficii, si causa finalis non subsistat; seu quando innorescente falsitate, non solum non conferretur talis elemosyna, aut Beneficium, sed conferens vellet collationem esse irritam. VII. In dubio num deprehensa falsitate donans vellet irritam esse donationem, favendum possidenti, & standum pro valore actus. VIII. Valida est dispositio facta sub Modo, etiamsi Modus, qui sit



causa impulsiva, non adimpleatur; ut si quis donet filia centum, ut Religionem ingrediatur, & deinde hac non ingrediatur: Secus vero si sit causa finalis. IX. Error in Demonstratione non invalidat Contractum, nisi apponatur per modum Conditionis, aut Cause finalis, aut refundatur in errorem circa substantiam. X. Contractus sub Conditione honesta, aut impertinente ante Conditionis purificationem non obligat: Nec si fiat sub conditione turpi; At post hanc purificationem probabilius obligat. XI. Conditiones impossibiles Contractum reddunt simpliciter nullum; Non tamen Contractum matrimoniale, in quo habentur pro non adjectis tam Conditiones impossibiles, quam turpes, que non sunt contra substantiam Matrimonii, ( seu contra tria illa bona, fidelitatis, prolis, & Sacramenti; ) sicut etiam in ultimis voluntatibus, saltem pro foro externo. XII. Habetur pariter pro non adjecta conditio ista, Si non nupseris, Si Religionem non ingrediaris. Quid si quis relinquat alicui bisenarium, si nubat, centum vero si Religionem ingrediatur? Aut si quis relinquat hereditatem Titio, itaut, si sine filiis decedat, ea transeat ad Cajum, & Titius Religionem ingrediatur? Num legatum relictum pro Virginibus maritandis possit iisdem dari, si velint ingredi Religionem? XIII. Num possit contrahens, antequam conditio purificetur, resilire? XIV. Conditiones necessariae non suspendunt Contractum, sed habentur pro impletis.

#### ARTICULUS IX.

Expediuntur reliqua ad Contractus spectantia.

I. Contractus per Procuratorem validus est, quamvis Procura sit revocata, si non sit intimata; Non tamen matrimonium, nec Sponsalia, nec Votum, nec Contractus in prejudicium tertii, & simi-

les. Mortuo Principali Contractus per Procuratorem celebrati sunt irriti, etiam si id ignoret Procurator, si res sit integra, & non pertineat ad causas pias. II. Si quis per Nuncium, aut Epistolam mittat aliquid donandum, & interim dominus moriatur, donatio est nulla. III. Pariter est nulla emptio, si quis mandet per Nuncium aliquid emi, & ante emptionem revocetur mandatum. Sed est validus Contractus, si fiat ab Instiutore, qui interim revocetur, si non proponatur publice talis revocatio. IV. Evincere est auferre rem de manu emptoris, eo quod non pertineat ad venditorem, & tunc emptor habet jus adversus venditorem, ut servetur indemnis. V. In omnibus Contractibus onerosis, praterquam in nonnullis casibus, datur obligatio de evictione, non tamen in Contractibus lucrativis, secluso pacto, & culpa contrahentis. VI. Contractus, qui est invalidus, per hoc, quod alter fidei, aut per metum consenserit, probabilius per verum, ac liberum ejusdem consensum internum ratificatur, quin requiratur novus consensus utriusque. Contractus vero irritus propter dolum dantem causam Contractui, aut propter impedimentum dirimens, requirit novum utriusque consensum, postquam veritas innotuerit. VII. Probabilius idem dicendum in matrimonio propter aliquod impedimentum invalido; debet enim illud innotescere utrique parti, antequam revalidetur matrimonium. Sed quid in casu urgentissima necessitatis ad scandalum vitandum?

#### QUESTIO II. 33

De Emptione, & Venditione.

#### ARTICULUS I.

Quid sit Emptio, & Venditio?

I. Emptio est Pactio pretii pro merce; Sicut Venditio est Pactio mercis pro pretio.

rio. Quid venit nomine mercis? Traditio rei, aut pretii non requiritur ad Contractum perficiendum, sed ad transferendum dominium. II. Tributum, seu laudemium debetur Gabellario, seu domino, qui erat tempore Contractus, non illi, qui est tempore traditionis. Quid si Contractus exigat ratihibitionem? III. Si pro merce datur pretium simul, & alia res, Contractus dicendus erit venditionis, si pretium excedat talem rem, ut proinde gabella debeat; secus vero erit permutationis. Quid si res non excedat valorem pretii, quod cum illa datur? IV. Non est Emptio, sed locatio, & conductio, quando Artifex ponit solas operas, & non materiam; Secus vero si materiam simul, & operas ponat, & in hoc casu gabella erit solvenda. V. Non tamen si Artifex materiam simul, & operas ponat adificando domum in fundo meo.

## ARTICULUS II. 35

Quænam res emi, vel vendi possunt?

I. Res pretio æstimabiles dumtaxat emi, vel vendi possunt, seclusa speciali prohibitione; Unde non possunt vendi spiritualia, nisi ratione materie; Nec Templum sine licentia; Nec res pupilli, vel minoris; Nec homo liber, nisi pro vita tuenda, pro aliis redimendis, aut si Saraceni bello iusto sint capti. II. Res indifferentes, quibus homines sepe ad malos usus utuntur, quandonam vendi possunt? Num possunt ex motivo propria utilitatis vendi huiusmodi res, que non vergunt in damnum proximi, & quarum abusus a Republica toleratur? Quid si locando domum ludentibus, aut meretricibus grave inde damnum sequatur? III. Quandonam, & a quibus, & sub quibus conditionibus vendi possunt publica officia secularia, puta Gubernatoris, Iudicis, &c.? IV. Quonam pacto emi possit res furtiva? Ad quid tene-

tur, qui bona fide rem furtivam emit, & revendidit? Et quid si mala fide emerit? V. Venditio rei aliena jure positivo est solum invalida quoad transferendum dominium talis rei, non vero quoad transferendum dominium pretii. Hinc potest dominus rei vendita sibi illam vindicare, ubicunque repererit, & Venditor mala fide illam vendens solum tenetur Emptori damnum resarcire. VI. Quandonam poterit quis cogi ad vendendas res suas? VII. Si res eadem uni doneatur, alteri vendatur, & tertio vendatur simul, & tradatur, ad quem istorum ea spectabit? VIII. Quando donatur res Titio ab eo, qui impar est solvendis omnibus debitis, poteritne Titius rem illam sibi retinere? an debet creditoribus donantis illam restituere?

## ARTIC. III. 39

De pretio iusto rerum venalium.

I. Pretium rei iustum triplex est, Legale, Vulgare, & Conventionale. Quodnam in pretio vulgari dicitur Summum, Medium, & Infimum? Iustum pretium ex quinque capitibus crescere, aut decrescere potest. II. Num possunt ultra taxam vendi res notabiliter meliores, dummodo non segregentur a vilioribus? Quid de vino aqua diluto? III. In subhastatione pretium crescit, aut decrescit pro medietate valoris rei, si procedatur sincere; Sicut etiam relate ad res, qua per proxenetas per vicos discurrentes venduntur. IV. Qui aliquid vendendum accipit, assignato pretio, quandonam possit excessum talis pretii sibi retinere? Quid de Sartoribus, quibus pars pretii dicitur a Mercatoribus relaxari? V. Num possit aliquid sibi retinere pro suo labore, qui rem alterius vendendam suscepit? Et quid si promiserit illam gratis se venditurum? VI. Merces ultronea vilescunt pro tertia, & aliquando etiam pro dimidia parte. VII. Qui mer-

merces vendit ad creditum, potest illas vendere pretio justo summo citra usuram; Num possit etiam aliquid accipere pro lucro cessante, vel pro periculo proximo amittendi sortem? Num possit quis emere aliquando merces minoris ob solutionem anticipatam? VIII. Num possint citra usuram emi minoris, quam contineant apodixa, seu credita immatura? IX. Non potest aliquid carius vendi, eo quod sit valde utile emptori; potest tamen sic vendi, si venditor ex eius amissione grave incommodum patiatur. X. Qui est ignarus valoris rei, quam vendit, si dicat se donare excessum pretii, quod recipit a vendente, invalide donat: Quando autem communiter ignoratur valor rei, potest emi, quanti communiter aestimatur, etiam ab eo, qui conscius est talis valoris. XI. Pro foro externo non est rescindendus Contractus, nisi laesio sit ultra dimidium; at pro foro interno, si laesio sit notabilis, reducenda est ad aequalitatem. XII. Quoniam pacto citra injustitiam emi, vel vendi res potest cum pacto redimendi, aut retrovendendi? Quid de Contractu, qui dicitur Godere a Godere? XIII. Contractus Mohatra quandonam est injustus? Et quando est justus, sed scandalum praebens, & a Christiana charitate alienus?

## ARTICULUS IV. 49.

An monopolia, & negotiatio sint illicita?

I. Monopolium est unius venditio, & quadrupliciter contingere potest. II. Si venditores conspirent in pretium justum rigorosum, solum peccant contra charitatem; sicut si emptores conspirent in pretium infimum. Qui tamen malis artibus ad id inducunt mercatores, peccant etiam contra justitiam. III. Probabilius contra justitiam peccant, qui omnes merces alicujus generis emunt, ut carius illas vendant. Num peccent,

qui has emunt, postquam cives sibi necessaria paraverunt? IV. Injustum est monopolium, quando quis impedit malis artibus merces, ne in Civitatem advendantur, ut carius vendat res proprias; Sicut quando quis rumores disseminat, quod naves mercibus onusta sint submersae, ut pretium mercium augeatur; Aut si vendens sub hasta apponit fictos licitatores, qui plus offerant, ut alii in pretio ascendant. V. Monopolium, quod habetur, quando ex Principis privilegio aliquis solus certas merces vendit pretio justo, licitum est, si deur causa talis concessionis, & pretium non taxetur ab iis venditoribus; aliter est injustum. VI. Negotiatio non est iniuriose mala, sed mali speciem praefert, cum saepe variis culpis annectatur. VII. Clericis in Sacris, ac Religiosis sub mortali prohibetur negotiatio. Num etiam Beneficiariis? Prohibetur pariter iisdem conducere aliena praedia, ut fructus vendant, necnon emere jumenta, ut ea locent. VIII. Non est prohibita iisdem negotiatio oeconomica, sed Lucrativa, & Politica. Num tamen possint per alios negotiari? IX. Qui habet alibi suam pecuniam, & ne patiatur salturam cambii, emit ibi res aliquas, quas hic vendat, tunc non dicitur negotiari, quando id facit ad servandum se indemnem, non ad lucrandum.

## ARTIC. V. 53

An debeat Venditor aperire vitia rei venditae?

I. Defectus rei vendenda vel sunt in substantia, vel in quantitate, vel in qualitate. Alii autem sunt Emptori notii, alii vero solum reddunt rem inutilem: Istorumque ignorantia potest esse Emptori invincibilis, & potest esse vincibilis. II. Contra justitiam peccat, qui rei vendenda defectus in substantia, &

quantitate non manifestat. Quid si quis vino prestanti aquam intermiscet? III. Rei vendendae defectus oculi in qualitate a Venditore ex iustitia debent manifestari, quando Emptor interrogat de certo defectu, & quando res peritur ad certum usum, ad quem res illa est inutilis: Sicut etiam si res sit Emptori nociva. IV. Emptor pariter tenetur manifestare ex iustitia valorem rei Venditori illum ignoranti; Sed non tenetur, quando talis valor communiter ignoratur. V. Validus est Contractus venditionis, quando Venditor ignorat vitium notabile rei venditae; sed comperta veritate tenetur Emptori damnum resarcire.

## ARTICULUS VI. 35

Ad quem spectant fructus rei venditae?

I. Fructus pendentes rei venditae spectant ad emptorem, nisi aliter conveniatur. II. Pertinent tamen ad venditorem, quamvis res tradita sit emptori, si pretium nondum sit solutum, aut non sit data fides de pretio solvendo. III. Quomodo possit sine labe usura emptor, concessa venditori dilacione solutionis pretii, percipere interesse ratione fructuum rei venditae? IV. Ex re vendita, & aliena possunt percipi fructus solum ratione lucri cessantis. V. Si Contractus venditionis dissolvatur post annum, siue quia fuit conditionatus, & conditio non est purificata, siue quia celebratus fuit per dolium dantem causam Contractui, fructus talis rei eo anno provenientes spectant ad venditorem. VI. Spectant vero ad emptorem, si Contractus post annum rescindatur, quia intercessit lesio ultra dimidium iusti pretii. VII. Quid si venditio rescindatur ratione pacti de re retrovendenda? VIII. Quid si venditio cum pacto additionis in diem, vel cum pacto legis commissoria verbis directis celebrata deinde

dissolvatur? Et quid importent hac pacto additionis in diem, & legis commissoria? IX. Si venditio rescindatur jure Retractus, seu jure congrui intra annum post venditionem, fructus medii temporis ad emptorem spectant. Explicatur, quid sit hoc jus Congruui, seu Retractus.

## ARTICULUS VII. 38

Utrum res vendita pereat, vel deterior fiat in damnum emptoris, an venditoris ante, vel post traditionem?

I. Res, qua venditur, potest esse aut determinata, aut indeterminata; & potest vendi ad corpus, aut ad mensuram. II. Res vendita, si sit determinata, & pereat post venditionem, & traditionem, perit emptori, qui est dominus. Ex jure autem positivo etiam perit, & fit deterior, aut fit melior emptori ante ejus traditionem. III. Res vendita, qua sit indeterminata, si ante traditionem pereat, perit venditori; pretium vero crescit, aut decrescit emptori. IV. Hinc si vendatur dolium vini ad corpus, & ante traditionem pereat, perit emptori, & eidem sit deterior, aut melius. At si vendatur ad mensuram, perit venditori; fit tamen deterior, aut melius emptori. V. Si fundus determinatus vendatur, & ante traditionem alluvione absumatur, perit emptori, eidemque crescit, si per alluvionem crescat. VI. Quid si vinum, verbi gratia, vendatur ad mensuram, & emptor differat illud mensurare?

QUÆ.

## QUÆSTIO III. 60

De Mutuo, &amp; usura,

## ARTIC. I. ibid.

Quid, & quotuplex sit Mutuum? Et  
quinam a restituenda re mutua-  
ta deobligantur?

- I. *Quid sit Mutuum, & in quo differat a commodato, & aliis Contractibus?*  
 II. *Si pecunia commodetur ad ostentationem, potest commodans aliquid percipere a Commodatario propter talem usum: At si pecunia detur mutua, nihil potest accipi propter ejus usum.* III. *Mutuum potest esse tacitum, seu implicitum, ac virtuale; ut si vendatur res pluris, quam valeat, propter dilationem solutionis.* IV. *Ex juris privilegio, saltem pro foro externo, non tenetur filiusfamilias restituere pecuniam mutuo acceptam etiam post mortem Patris, si non habeat bona Castrensia, vel quasi Castrensia.* V. *Pariter deobligantur Ecclesia, & loca pia, ac Oppida, nisi constet pecuniam conversam esse in eorum utilitatem.* *Quid de Pupillis & Minoribus?*

## ARTIC. II. 62

Quid, & Quotuplex sit Usura, & quo  
Jure prohibita?

- I. *Usura est lucrum immediate proveniens ex Mutuo: Unde non potest Mutuatario imponi, quod ponat, quæ alias debet, ex alia virtute a justitia; Nec potest aliquid ab eo exigere tanquam debitum ex gratitudine, prævio pacto saltem implicito.* II. *Usura alia est mentalis, alia realis, alia manifesta, alia palliata.* III. *Non est Usura mentalis mutuari cum spe, & intentione lucri, dummodo non interveniat pactum; Sicut nec est simonia Officium recitare intendendo*

*distributiones.* IV. *Nec est Usura sperare ex Mutuo amicitiam; At probabilius hæc non potest in pactum deduci.* V. *Non licet excitare Mutuatarium ad remunerationem tanquam debitam pro mutuo; licitum tamen est excitare illum ad aliquid omnino liberaliter donandum. Sed in praxi periculosum.* VI. *Quid si dubites, an Mutuatarius aliquid omnino tibi liberaliter donez?* VII. *Jure Civili, Canonico, & Naturali prohibetur Usura.*

## ARTICULUS III.

An quævis obligatio imposita Mutuatario sit Usura?

- I. *Usuraria est omnis obligatio ex justitia Mutuatario imposita, ad quam aliunde non tenebatur; non vero si obligetur ad id, quod alias ex justitia erat debitum.* II. *Quid si imponatur illi onus, ad quod solum ex charitate tenebatur?* III. *Non sine usura imponitur mutuatario, quod præstet munus a lingua, aut ab obsequio, aut a manu, aut quod tibi quamvis digno officium, vel Beneficium conferat.* IV. *Quid si quis mutuari nolit, nisi alter remuneret? Aut nisi ad suam scholam, molendinum, aut apothecam veniat?* V. *Probabiliter non est usurarius, qui vendit merces pretio justo riguroso pecunia credita, quas venderet pretio infimo pecunia numerata.* VI. *Num debens centum post annum possit nunc dare quinquaginta cum pacto, quod alia quinquaginta post biennium solvantur?* VIII. *Quid si mutuetur triticum vetus cum pacto, quod post annum restituatur novum? VIII. Estimatio valoris rei mutuata desumenda est ex eo quod ea valebat in loco, ubi fuit mutuata.*

AR-

## ARTIC. IV.

68

Quotupliciter potest aliquid ultra fortem exigi citra usuram?

I. Potest mutuator aliquid ultra sortem exigere ratione damni emergentis, aut periculi damni. II. Num debeat mone-ri mutuarius, ut teneatur damnum e-mergens compensare? III. Potest ab ini-tio pacisci mutuans de compensando lu-cro cessante, dummodo adsint quatuor conditiones. IV. Spes lucri tanti esti-manda, quantum quis eam venderet al-teri, aut ipse ab alio emeret. V. Ratio-ne periculi non quidem remoti, sed pro-ximi amittendi sortem potest aliquid a mutuatorio exigi. VI. Nihil potest acci-pi pro obligatione non repetendi mutuuum usque ad certum tempus. VII. Contra-ctus trium, videlicet Societatis, Assecu-rationis sortis, & venditionis lucri, non continet usuram, si vere pecunia ad ne-gotiationem implicetur. VIII. Non solum est immunitas a labe usura venditio rei fructifera, cum pacto retrovenditionis, & locatione ejusdem ipsi Venditori, sed etiam emptio census sive realis, sive per-sonalis, sive mixti, quamvis utrinque redimibilis. Servandum tamen hac in re jus positivum. IX. Usurarius est Contra-ctus Godere a Godere, si non sit em-ptio cum pacto retrovenditionis. X. Num possit, & sub quibus conditionibus dari mutuuum cum pacto, quod si Mutuaria-rius praefixo tempore mutuuum non resti-tuat, teneatur aliquid solvere in pœ-nam mora culpabilis? Et an talis pœna debeatur in conscientia ante sententiam judicis? XI. An sit usura apponere in Contractu mutui pœnam legis commissoria? Et quid ea sit? XII. Quando nam possint fructus pignoris dari mutuanti non computari in extinctionem sortis? XIII. Quomodo ab usura excusentur Montes pietatis accipiendo, verbi gra-tia, sex in singulos centenarios a mutua-  
Pars IV.

zariis? Et quomodo excusentur, qui in-  
iis suam pecuniam deponunt accipiendo  
quatuor pro centum? XIV. Qui bona fide  
celebravit Contractum usurarium, pote-  
riusne lucrum retinere ex eo, quod pro-  
cul dubio Contractum licitum celebraf-  
set, si advertisset illum esse usurarium?  
XV. Num possit quis pecuniam ultra sor-  
tem acceptam bona fide retinere, si de-  
inde dubitet, an Contractum licitum ce-  
lebraverit?

## ARTICULUS V. 77

Expediuntur, quæ spectant ad  
Usurarium.

I. Non acquirit Usurarius dominium re-  
rum per usuram acceptarum, si extant in  
individuo. Quod si res istas vendiderit,  
jure positivo sit dominus pretii, quamvis  
Emptor non fiat dominus rerum illarum.  
II. Si res per usuram acceptæ miscean-  
tur cum aliis rebus usurarii, hic sit do-  
minus illarum: Mutuarius tamen ha-  
bet tunc actionem personalem adversus  
usurarium, & probabiliter habet jus in  
re relate ad illum cumulum. III. Usu-  
rarius restituere debet res per usuram  
acceptas, earumque fructus naturales,  
ac mixtos, necnon lucrum cessans, ac  
damnum emergens, eo prorsus pacto,  
quo fur. Quid si Officium, aut Bene-  
ficio usurarie accepit? IV. Tenentur  
pariter ad restitutionem, qui ad usuras  
cooperati sunt ex parte mutuantis, non  
tamen si id fecerint in bonum mutua-  
rii. V. Usurarii manifesti vel ob noto-  
rietatem facti, vel ob sententiam judi-  
cis sex gravibus pœnis in jure multan-  
tur. VI. Num punitio hujus delicti ad  
judicem etiam sacularem spectet, an ad  
Ecclesiasticum dumtaxat? VII. Licitum  
est petere mutuuum ab Usurario ob indi-  
gentiam. Num etiam id liceat, si pe-  
cunia petatur mutua ad negotiandum?  
VIII. Num peccet mortaliter, qui petit  
ab Usurario mutuuum, ut eo ad vana,  
Aa & in-

& inutilia utatur? IX. Si Usurarius sit habitualiter paratus ad dandum mutuum sub usuris, probabiliter peccat mortaliter, qui illud petit ad usus vanos, aut malos. Si vero sit paratus actualiter, probabiliter solum peccat venialiter; quia illud petit sine ulla causa honesta.

QUÆSTIO IV. 81

De Censibus, seu Redditibus annuis.

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Census?

I. Definitur Census, quod sit jus exigendi annuam pensionem ex re fructifera alterius. Nomine autem rei venit hic etiam Persona, qua possit lucrari. II. Ratione modi dividitur Census in Reservativum, & Consonativum. Per illum transfertur res, reservato iure ad pensiones. Per istum retinetur res sua, & consignatur alteri jus ad pensiones. III. Ratione rerum Consonativus subdividitur in Realem, Personalem, & Mixtum. Quamvis singuli ex his Censibus iure natura sine liciti servatis debitis conditionibus; ac spectata Bulla Piana solum licitus est Census Consonativus Realis fundatus in sola re immobili. IV. Dividitur etiam Census in Fructuarium, & Pecuniarium: Ille importat jus ad fructus, hic ad pecuniam. V. Ratione durationis dividitur etiam in Temporalem, Vitalitium, & Perpetuum. Rursus in Redimibilem, & Irredimibilem; hic tamen a Pio V. prohibetur; juxta conditiones Bulla Piana celebrandus est Census, ubi ea Bulla sit recepta; secus juxta consuetudinem receptam regionis. VI. Census personalis probabiliter non est usurarius, si debita conditiones serventur.

ARTICULUS II. 83

De Conditionibus iure naturali requisitis, ut Census sit licitus, & non usurarius.

I. Iure naturali requiritur ad contractum census, quod pretium sit iustum spectatis spectandis; quod sit super re fructifera, & quod fundetur in re propria non habente jus impeditum. II. Census perpetuo irredimibilis iure natura non est illicitus, dummodo majori pretio ematur. III. Potest censuarius obligari, ne vendat alteri rem censui subjectam, dummodo tale onus compensetur. IV. Tributum, quod ex fundo debetur Principi, solvendum est a Censuario; ac expensa pro scriptura census solvenda sunt a censitore. V. Potest pariter iure natura fieri census, cum pacto, quod pereunte hypotheca speciali, succedat alius fundus, aut ipsa persona censuarii, compensato tamen hoc onere. VI. Si tota domus, super qua fundatus est census, corrumpatur, census extinguitur, quamvis ea reedificetur; secus vero si corrumpatur per partes. VII. Usureceptum est, quod censuarius assecuret Censitorem, non quidem pro casibus fortuitis, sed, ut si forte res censui subjecta deprehendatur esse alterius, tunc altera succedat; Sicut etiam si fuerit Censuarius in mora ad solvendum, aut reddatur impotens. VIII. Num possit in censu apponi poena legis commissoria, sicut apponitur in Emphyteusi? IX. Quomodo possit esse iustus, & ex natura rei licitus census redimibilis ex parte emptoris? Si Census sit utrinque redimibilis, majus est onus compensandum in emptore, quam in venditore. X. Census vitalitius personalis quomodo pacto ex natura rei sit licitus? Num, & quanam via prohibeatur a Bulla Piana? XI. Num sit licitus ex natura rei tam Census realis, quam personalis ex utraque parte redimibilis?

AR-

## ARTIC. III. 87

## De Conditionibus jure positivo requisitis ad Contractum Censuum.

I. Olim Martinus V., & Calixtus III. plura requirebant circa Contractum Censuum, prout in Germania solebat institui. II. Nicolaus V. approbavit hunc Contractum, prout in Regno Neapolitano, & Sicilia celebratur, sub quatuor praesertim conditionibus. III. At Pius V. in celebri sua Bulla decrevit usurarium esse talem Contractum, si deessent decem conditiones. Et communius docent etiam in foro conscientia esse invalidum, & usurarium, deficientibus his conditionibus, ubi Bulla est recepta. IV. Debet primo constitui Censuum super re fructifera, & certis finibus designata, qua pereunte Censuum extinguitur; quamvis alia bona soleant tanquam hypotheca generalis addi solum ad securitatem solutionis. V. Debet secundo pretium Censuum solvi pecunia numerata coram Notario, & Testibus. Quid si in pretio detur lesio, num debeat diminui pensio, an debeat pretium augeri? VI. Debent tertio pensiones in pactum deduci, quae aut in fine anni, aut singulis semestribus solvantur; Et in loco ubi fuerit conventum, dummodo non addatur novum onus Censuario. VII. Debet quarto deobligari Censuarius a casibus fortuitis, nec obligari, ut redditus infructifera aut totaliter, aut partialiter hypotheca speciali, alia substituatur. Quid si talis hypotheca specialis nonnullis dumtaxat annis fructum non ferat? VIII. Debet quinto non posse impediri Censuarius, quominus alteri vendat rem Censui subjectam; Nec si vendat, debeat laudemium solvere. IX. Debet sexto Censuarius, si velit rem censuam vendere, monere Censitorem, & per mensem illum expectare, ut deliberet, si velit aliis praeferi. X. Debet septimo excludi pa-

ctum, quo Censuarius non solvens praesertim tempore pensiones obligetur ad interesse. At expensa necessaria ad exigendas pensiones a debitore culpabiliter moroso exigi poterunt; Sicut etiam probabiliter lucrum cessans intrinsecum, quamvis non extrinsecum. XI. Debet octavo ex pensionibus non soluis non posse novus Censuum fundari, aut idem augeri. XII. Debet nono Censuum esse redimibilis, dummodo antea per bimestre denunciatur Censitori, quod Censuum redimendus sit. Putant nonnulli, Censuum irredimibiles non vetari, si majori pretio emanant, Censuum redimibilis emi poterit tertia, vel quarta parte minoris, quam valeat. Non vetatur in Bulla pactum, quod Censuum non possit per partes redimi. XIII. Debet denique pretium ab initio statutum Censui non posse a Censitore vendi minori pretio, nisi forte census evaserit illiquidus, aut non facile exigibilis. XIV. Universim pretium Censuum justum desumendum est ex praxi timoratorum cujuscumque regionis.

## ARTIC. ULT. 91

## Expediuntur, quae supersunt de Censibus.

I. Pii V. Bulla non obligat, ubi non est recepta. Num in Regno Neapolitano recepta sit? II. Praescriptio militat etiam in Censibus adversus jus, quod habet Censitor exigendi pensiones. III. Immemorialis continuatio solvendi pensiones vim habet causa, & tituli, trans debeant continuari. IV. In dubio num res sit censuaria, an emphyteutica, censenda potius est esse censuaria. V. Si dubitatur vero, num Censuum sit redimibilis, an irredimibilis, censendus redimibilis.



De Emphyteufi, Feudo, &amp; Libello.

## ARTICULUS I. ib.

Quid, &amp; Quotuplex sit Emphyteufis, Feudum, &amp; Libellus?

I. *Emphyteufis idem est, ac Plantatio; estque Contractus, quo res immobilis conceditur alicui quoad dominium utile pro pensione reali solvenda.* II. *Feudum dicitur a Fidelitate exhibenda; Est quippe Contractus, quo Inf feudator dat Feudatario rei alicujus immobilis dominium utile, cum onere prestandi obsequium personale in recognitionem domini directi.* III. *Libellus, seu Contractus Libellaticus est Contractus subfeudalis, aut subemphyteuficus, quo quis rem in feudum, aut emphyteufism acceptam alteri tradit pro pensione sibi solvenda; Et quidem cum consensu domini directi, si detur ultra decennium.* IV. *Feudum, & Emphyteufis in multis differunt inter se.* V. *In multis pariter differunt a Locatione; Necnon a Venditione, & Usufructu.* VI. *Emphyteufis dividitur in Perpetuam, & Temporalem, Ecclesiasticam, & Communem, Novam, & Veterem, Hereditariam familiarem, Non Hereditariam, & Hereditariam mixte.* VII. *Dividitur etiam Feudum in Regale, & non Regale, in Nobile, & Ignobile, Francum, & non Francum. Aliud pariter est Ecclesiasticum, aliud Novum, aliud Masculinum, aliud Hereditarium, aliud Indivisibile.*

De Conditionibus Feudi, &amp; Emphyteufis.

I. *Ut Feudi Contractus celebretur, sex conditiones requiruntur; præsertim quod fiat in re immobili, & cum debitis solemnitatibus. Nec potest Feudum oppignorari, sicut oppignorari potest res emphyteufica.* II. *Emphyteufis etiam varias conditiones requirit; præsertim (sicut in Feudo,) quod Emphyteufia transferatur dominium utile, & concedatur possessio naturalis, & physica rei illius immobilis; non tamen possessio civilis.* III. *Quid requiritur, ut possit Emphyteufia jus suum utile alteri donare, aut rem emphyteuficam legare, permuare, hypothecare, aut oppignorare? Et quando laudemium solvendum sit?* IV. *Emphyteufia incidit in commissum, quando pensionem non solvit per duos annos, si res Emphyteufica sit Ecclesiastica; aut per tres, si sit laica. Et quando hæc reddit ad proprietarium cura culpam Emphyteufia, huic melioramenta utilia, & gravia compensanda sunt.* V. *Pensio non est solvenda, si citra culpam Emphyteufia res pereat. Quid si deterior fiat?* VI. *Qui incidit in caducitatem, poterit moram purgare celeritate solutionis intra decem dies.* VII. *Si res emphyteufica transeat in manus mortuas, solvi debet domino directo quinquennium.*

## ARTICULUS III. 98

Quinam possint in feudum, vel emphyteufism dare, aut accipere, & succedere? Et quando feudum amittatur?

I. *In feudum, ac emphyteufism dari possunt, qui liberam habent bonorum administrationem; Unde nequeunt Pupillus, Minor, Furiosus, Prodigus habens*  
En.

Curatorem. II. Episcopo id prohibetur, nisi relate ad bona, que solita sunt dari in emphyteusim, aut in feudum: Quenam autem dicantur sic solita dari? III. In feudum accipere, ac succedere possunt, qui instituantur, si nullo jure excludantur. IV. Fœmina non succedit, nisi feudum sit femineum, ita ut expresse admittatur. V. Sine culpa Feudatarii potest quinque modis feudum amitti. VI. Potest etiam feudum amitti ob culpam Feudatarii; præsertim ob gravem ingratitudinem erga dominum directum, aut si alium proditorie occidat. Num feudum transeat ad Fiscum ob crimen hæresis, aut læsa majestatis? VII. Amisso feudo quanam melioramenta debentur domino directo, quanam vero debentur ipsi Feudatario?

QUÆSTIO VI. 100

De Cambiis.

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Cambium?

I. Cambium est Permutatio lucrose pecunie pro pecunia diversa, sive quoad materiam, sive quoad pondus, sive quoad locum. II. Campsor tradens pecuniam Campsario non transfert illius dominium, nisi sequatur traditio alterius pecunie facta a Campsario. III. Dividitur Cambium in verum, & fictum, seu fictum; in Minutum, & Locale, quod etiam triplex est. IV. Quodnam dicatur Cambium Custodia? V. Ut taxetur pretium justum Cambiorum, attendenda præsertim est translatio, & assecuratio pecunie, ac proinde distantia locorum, & periculum viarum, necnon copia, aut inopia Campsorum, & Campsariorum.

ARTIC. II. 101

An Cambium Minutum ferat palliatam usuram?

I. Cambium minutum fert pecuniarum permutationem cum lucro. II. Non est usurarium, si ex justis titulis lucrum consonum reportetur. III. Justi tituli sunt, Permutatio pecuniarum ex officio; Obligatio cambiendi; necnon commoditas, que datur Campsario cambiendo pecunias minutiores cum grandioribus. IV. Num famulus cambiendo pecunias domini, ipso inscio, possit sibi lucrum retinere? V. Est pariter justus titulus lucrum cessans, aut damnum emergens, sicuti etiam si dentur pecunia puriores, aut rariores. VI. Nequit pecuniam adulterinam pro vera expendere, qui illam pro vera accepit.

ARTIC. III. 103

An Cambium Locale contineat usuram?

I. Cambium locale triplex est, si scilicet pecunia hic accipiat a Campsore alibi restituenda; aut si hic accipiat a Campsario solvenda alibi; aut si hic accipiat a Campsore restituenda in hoc eodem loco. II. Primi generis Cambium locale licitum est propter monetæ translationem saltem virtualem, etiamsi Campsor indigeat hic pecunia alibi solvenda; Necnon propter assecurationem pecunie, ac propter officium cambiendi. III. Pariter si pecunia alibi restituenda sit pretiosior, aut rarior. IV. Provisiones Cambiorum, seu quod datur Campsori pro labore, & periculo, solet esse tertia pars scuti pro singulis centenariis. V. Secundi generis Cambium est pariter licitum, cum sex tituli concurrere possint ad lucrum reportandum. VI. Cambium, & Recambium, seu cum Recursa, mul-

ti-

tipliciter haberi potest. Probabilius est Cambium ficcum esse usurarium; & solum speculative est probabiliter licitum, si in eo concurrant conditiones a Pio V. requisitae. VII. Num Campsor dans bona fide pecuniam restituendam Romae, possit lucrum retinere, si deprehendat, quod Campsarius careat Roma pecunia, qua restituatur?

## ARTICULUS IV. 107

De Conditionibus a Pio V. requisitis ad Cambium Locale, ne sit ficcum, & usurarium.

I. Bulla Pii V. damnat ut usuraria Cambia, & Recambia, seu cum Recursa, & quatuor conditiones requirit ad licite cambiendum. II. Nequit Campsor ratione dilationis lucrum accipere. III. Neque pactum fieri potest de solvendo certo interesse, si solutio differatur. Num sit irritum tale pactum, an solum illicitum, ubi Bulla est recepta? IV. Pecunia nequit ad Cambium dari, nisi pronundinis proximis. Quenam dicantur nundine proxima? V. Nequit terminus solutionis protrahi cum majori lucro plus, quam exigit distantia locorum. Quid si mercatorum iudicio tempus hoc solutionis protrahatur cum lucro ob iustos titulos?

## ARTICULUS V. 108

## De Cambio ficcio.

I. Si campsarius nec formaliter, nec virtualiter habeat in loco distante pecuniam restituendam, tam cambium est usurarium, quam Recambium. II. Si campsor bona fide contraxit, debet campsarius servare illum indemnem. III. Campsor, si non teneatur ex officio cambire, potest nolle dare ad cambium in loco, ubi parum lucratur, ut det, ubi plus lucretur. Aliquando tamen peccat

in hoc contra charitatem. IV. Probabilius peccant etiam contra iustitiam, qui circa cambia ineunt Monopolia. V. Quanam dicantur esse Monopolia circa cambia?

## QUÆSTIO VII. 110

## De Locatione, &amp; Conductione.

## ARTICULUS I.

Quid sint hi contractus, & quanam locari possint?

I. Per locationem Persona, vel res ad usum, vel fructum pretio conducitur; Per conductionem vero Persona, vel res ad usum, vel fructum pretio accipitur. II. Quae possunt vendi, universim locari possunt; nisi aliquando id iure vetetur. Res usu consumptibiles solum ad ostentationem locari possunt, non secus ac pecunia. Res vero locata potest sublocari, sine tamen detrimento primi locatoris. III. Domus meretrici, aut usurario locari potest ab eo, qui non tenetur eorum peccata impedire; Non licet tamen sternere, verbi gratia, lectum meretrici, nisi forte ad mortem evadendam. Immo nec ad evadendam mortem licitum est esse internuncium meretrici ad peccandum. Num liceat saltem ad mortem evadendam deferre literas provocantes ad peccatum? IV. Tenere domum ludo expositam, si ut plurimum ludentes blasphement, aut furentur, nullatenus licet. Immo nec Principes possunt id permittere, quamvis possint permittere meretrices. V. Non licet anrigis concubinam conducere ad amasium, ne lucrum amittant. VI. Ne metu quidem mortis licitum est cooperari cum peccato proximi, ponendo actiones proxime ad illud concurrentes, puta admoveo scalas volenti ascendere ad Virginem stuprandam. VII. Cur aliquando possint in rivemibus, & in Castris permitti

ludi, qui saepe cum blasphemis, furtis, & dolis conjunguntur; non tamen in Civitatibus? Et quare in Civitatibus Histiones permittantur? VIII. Universim qui possunt vendere, possunt locare, & qui possunt emere, possunt conducere; nisi jure positivo id vetetur, ut in multis casibus.

ARTIC. II. 113

Quid ferant Locatio, & Conductio?

I. Locator expensas necessarias ad usum rei locata tenetur solvere, necnon onera, ac tributa eidem annexa. II. Quatuor de causis Conductor expelli potest ante tempus prefixum; praesertim si tempore statuto pensio non solvatur. III. Nequit Conductor absque justa causa rem conductam ante prefixum tempus dimittere. Quanam autem dicatur justa causa? IV. Si Conductor circa suam culpam nequeat uti re conducta, num teneatur pensionem solvere, ubi impedimentum casu obveniens se teneat ex parte rei conductae? Et quid, si obveniat ex parte Conductoris? V. Qui vespere conducit operas pro die sequenti, & mane certiorum facit locatorem, quod iis non indigeat, ad quid tenetur? VI. Quando ex infortunio aliquo fructus consueti non percipiuntur, num possit Conductor petere pro rata pensionis diminutionem? VII. Num vice versa teneatur pensionem augere, quando habetur casu magna ubertas?

ARTICULUS III. 116

De Conductione famulorum, & aliorum Officialium.

I. Stipendium justum famulorum, & similibus operariorum est, quod dari iisdem communiter consuevit; itant decreseat, quando est illorum copia, aut quando cum famulatu conjunguntur alii ho-

nores, & lucra. II. Qui liberaliter alicui voluit inservire, nequit labores sibi compensare. III. Si ultro quis se offerat ad inserviendum domino, qui illo non indiget, satis est, quod habeat alimenta: At si illo indiget dominus, hic tenetur dare illi stipendium aliquanto minus consueto justo. IV. Pueris honorariis, quando pretium non est taxatum, dari solet in retributionem victus, vestitus, ac bona educatio, itant deinde promoveantur. V. Qui Episcopis inserviunt, nequeunt citra simoniam velle obligare illos ad conferenda sibi Beneficia: Compensari tamen solent eorum obsequia victu, vestitu, & nonnullis stipendiis, nisi censeantur ea remittere. VI. Famuli, qui necessitate coacti paciscuntur de pretio injusto, quandoam possint occulta compensatione uti? VII. Num teneatur ad restitutionem Sacerdos, qui necessitate coactus promittit duo Sacra pro uno stipendio consueti, & deinde unum tantum Sacrum offert? VIII. Famulo per unam, aut alteram hebdomadam agrotanti ex aequitate debetur salarium, necnon alimenta, & expensa moderata ad ejus curationem. IX. Num Cappellanus per breve tempus agrotans teneatur per alium celebrare? Et quodnam dicatur breve tempus? X. Secundum se qui pluribus locat operam suam in solidum, potest a singulis integrum stipendium accipere.

QUÆSTIO VIII. 129

De Promissione, & Donatione.

ARTIC. I.

Quid importet Promissio, & Donatio?

I. Promissio est spontanea, vera, ac deliberala fidei obligatio de re bona, & possibili. II. Promissio prodiga etiam jurata non obligat, si ejus executio sit illicita; Quod si executio sit licita, proba-

babiliter obligat solum ad quantitatem; in qua nulla est prodigalitas. III. Donatio est datio liberalis, sive fiat ex liberalitate, sive ex gratitudine, quin res donata ex iustitia debeatur. Jure positivo non transfertur dominium per donationem ante traditionem rei donata. IV. Inter promissionem, & donationem verbalem fere nullum est discrimen. V. Differunt tamen a Pollicitatione, quippe quae fiat sine acceptione; Necnon a Pacto, quod fert utriusque contrahentis obligationem; Et a Stipulatione, qua importat formulam quandam contrahendi.

## ARTIC. II.

Quando obligent Promissio, ac Donatio; Et Quomodo?

I. Promissio, ac donatio mere interna, si fiant Deo, obligant, non tamen si fiant homini. II. Obligat promissio interna de dando aliquid homini, si ea fiat soli Deo per modum voti. III. Si promissio interna fiat homini cum juramento, & non per modum voti, non obligat, & ante acceptionem revocari potest. IV. Nec datur obligatio patefaciendi promissario internam promissionem; Nec per illam transfertur dominium. V. Universim promissio externa, etiam jurata, ante acceptionem non obligat, sed potest revocari, nisi juramentum fiat per modum voti. VI. Jure positivo promissio facta Civitati, aut Infanti parit obligationem ante acceptionem; & probabiliter etiam quae sit ad pias causas. VII. Promissio facta Civitati jure positivo solum revocari non potest ante acceptionem, nec datur obligatio illam implendi ante petitionem. VIII. Pro foro externo, ut promissio sit valida, debet exprimi causa, propter quam fit. IX. Promissio, ac donatio, si fiant absenti per Nuntium, aut per literas, quoniam pacto valide acceptentur? Et quid si ante acceptionem revocentur?

X. Post mortem donantis valide potest acceptari donatio missa per Nuntium, aut per Epistolam; nisi detur mandatum Nuncio, ut nomine Principalis donet, & mandatum hoc non sit ad pias causas. XI. Probabiliter ad duplicem solutionem tenetur Nuncius, si sua culpa non fuerit tradita donatario res donata ante mortem donantis. XII. Petrus donans Paulo agrum cum onere, quod det Titio mille post quinquennium, etiam elapso quinquennio potest hoc onus revocare, si nondum sit acceptatum a Titio. XIII. Probabiliter promissio acceptata in materia gravi obligat sub gravi ex virtute iustitiae, aut fidelitatis valde assinis iustitiae, seu quae sit iustitia minus rigorosa. XIV. In multis discriminetur obligatio orta ex iustitia ab obligatione orta ex fidelitate, quae est iustitia minus rigorosa. XV. Est, qui velit obligationem promissionis pendere regulariter ab intentione promittentis; Et in dubio an promittens voluerit sub gravi se obligare, judicandum ex communiter contingentibus. XVI. In promissione solet subintelligi conditio illa, Nisi rerum status notabiliter mutetur. XVII. Ut possit promissio acceptata obligare sub gravi, requiritur materia notabilis, quae est duplo, aut quadruplo major, quam in furto. Hinc qui omittit facere unum Sacrum debitum ex iustitia, aut ex voto, peccat mortaliter; secus vero si illud debeat ex fidelitate. XVIII. Promissio facta ob turpem causam revocanda est; at patrato scelere probabiliter obligat. XIX. Jure naturali sunt irritae promissiones, quae circa culpam impleri non possunt; jure tamen positivo plures aliae promissiones irritantur. Quandonam ista posita juramento obligant?

## Quinam donare possint, &amp; quantum?

I. Donare potest, qui pollet usu rationis, habetque dominium, ac liberam suorum bonorum administrationem, nisi ad sibi veretur. Cui tamen prohibetur donatio, non prohibetur donatio remuneratoria. II. Quid de Prodigio, de Impubere, de Filiofamilias, de Minore? Quid de Uxore absque consensu mariti, de Beneficiariis, de Superioribus Regularium, ac de Subditis Regularibus? III. Licentia Religiosis data expendendi probabiliter non ita limitatur, ut si expendant ad usus turpes, peccent contra votum, & qui illam accipit, ad restitutionem teneatur. IV. Donatio inter filios, & Parentes quandonam est irrevocabilis? V. Inter conjuges est universim revocabilis, sed in multis casibus est irrevocabilis. Et quid, si superaddatur juramentum? VI. Donatio omnium bonorum presentium, & futurorum est invalida; nisi fiat ad pias causas, aut fiat causa mortis, vel titulo oneroso. Quid si superaddatur juramentum? VII. Sine insinuatione non est valida donatio, que excedat valorem quingentorum solidorum, seu ad septingenta, & quinquaginta scuta Hispania; nisi tamen sit remuneratoria, aut fiat ad pias causas, vel causa mortis, aut si juramento firmetur.

## Quando possit Donatio revocari?

I. Donatio causa mortis est revocabilis; Secus vero Donatio inter vivos. II. Potest tamen Donatio inter vivos revocari, etiamsi sit acceptata, & res sit tradita, si sit inofficiosa, dummodo non sit facta ad pias causas. III. Revocari pariter potest, si deinde donatori proles nascatur.

Pars IV.

tur, nisi huic privilegio expresse renunciet; Necnon ob ingratitude donatarii, nisi sit facta ob causam. IV. Donatio causa mortis revocari potest, tam si donatorem poeniteat facta donationis, quam si ea facta sit intuitu mortis imminenti. Necnon si donatarius premoriatur. V. Si dubitetur num donatio facta fuerit causa mortis, an inter vivos, presumendum, quod sit inter vivos, nisi facta sit mentio mortis, quamvis facta fuerit tempore infirmitatis. Quid dicendum de donationibus factis in testamento, aut codicillis, si non fiat mentio mortis?

## De Promissione, &amp; Donatione Conditionali.

I. Valida est donatio conditionata; & purificata conditione obligat, siue conditio sit de presenti, siue de praterito. Pariter si sit de futuro necessario, quin suspendatur obligatio usque ad purificationem conditionis. II. Si conditio sit de futuro contingenti, suspenditur obligatio usque ad eventum conditionis, sed donatio interim revocari non potest, nisi sit donatio causa mortis. III. Conditio impossibilis irritat donationem conditionatam; necnon quemcumque alium contractum, excepto contractu matrimoniali, & ultimis voluntatibus, in quibus habetur pro non adjecta. IV. Idem dicendum de conditione turpi; que tamen reddit etiam irritum matrimonium, si sit contra ejus substantiam, videlicet contra bonum prolis, fidei, & Sacramenti. V. Conditio isthac, si non nupseris, apposita ultimis voluntatibus, num habeatur pro non adjecta? Et quid de conditione, si Religionem non ingrediaris?

De aliis præcipuis Contractibus.

## ARTIC. I.

De Fidejussione, Affecuratione, Pignore, &amp; Hypotheca.

i. Per fidejussorem homo suscipit alterius promittentis obligationem in ejus defectum. ii. Non tenetur fidejussor solvere in iis casibus, in quibus Principalis non tenetur. Nec antequam petatur. Quid si plures in solidum fidejubeant? Obligatio fidejussionis transit ad heredes. iii. Cura usuram potest aliquid a principali debitore accipi pro fidejussione. iv. Per Affecurationem suscipit quis in se periculum rei aliene. Et quidem si id fiat gratis, est promissio liberalis; si fiat pro pretio, reducitur ad venditionem. Quodnam sit pretium justum Affecurationis? v. Per contractum Pignoris datur Creditori res mobilis in securitatem crediti. Per Hypothecam res immobilis remanet apud debitorem obligata creditori in securitatem. vi. Res, quæ vendi non possunt, nec possunt in pignus dari, ut res sacre, quæ tamen in quibusdam casibus & pignoriari, & vendi possunt. vii. Hypotheca dicitur esse Tacita, quando ex juris dispositione involvitur in aliquo contractu, ut ratione dotis hypothecantur bona mariti, & in aliis casibus. viiii. Hypotheca generalis extenditur ad bona omnia etiam futura, nec impedit quominus hæc vendantur, dummodo pretium succedat loco rei. ix. Quandonam Creditor potest uti pignore? x. Num, & quando possit tam in foro interno, quam in externo Creditor vendere pignus?

De Deposito, Commodato, &amp; Precario.

i. Per Contractum Depositum traditur aliquid custodiendum, ut integrum restituatur. ii. In periculo incendii, aut naufragii, num sint salvanda prius res deposita, aut commodata, seu locata, aut in pignus date, an vero propria sive aequalis, sive inaequalis valoris sint? iii. Quandonam possit Depositarius ex Epicheya uti re deposita? iv. Aliquando Depositum transit in Mutuum, sive in Commodatum, aut Locatum. Quod si in mutuum transeat, non poterit ex eius rei usu Deponens aliquid lucrari citra usuram. v. Depositarius in multis casibus non tenetur rem depositam reddere domino petenti; præsertim si ea sit abusurus contra justitiam; & probabiliter etiam contra alias virtutes. vi. Per contractum Commodati res alicui conceditur gratis ad certum usum, & pro determinato tempore: Tenetur Commodatarius ex levissima culpa juridica ad restitutionem, si pereat res commodata. vii. Expensa ordinaria pro re commodata faciendæ sunt a Commodatario: extraordinaria vero a Commodante. viiii. Num possit Commodans ante tempus præfixum rem commodatam repetere ad declinandum proprium damnum æquale illi, quod in tali casu immineret Commodatario? ix. Per contractum Precarii res alicui conceditur gratis; ita tamen, ut possit ea ad arbitrium repeti citra alterius grave damnum. x. Non cessat Precarium morte concedentis illud; cessat vero morte accipientis, itaut non transeat ad hujus heredes.

## De contractu Societatis.

I. Societas est conventio duorum, vel plurium contracta ad conferendum aliquid in usum, vel questum communem. Quando factoribus in stipendium datur quarta, vel quinta pars lucrorum, tunc habetur contractus conductionis potius, quam Societatis. II. Multipliciter fieri potest contractus hic Societatis; Hac autem si fundetur in negotiatione illicita, nullam parit obligationem ante negotiationem. Periculum sortis stare debet penes apponentem, si non superaddatur Assuratio. III. Ut Societas fiat ad caput saluum, plura requiruntur. IV. Colonus ex contractu Societatis non solum debet reportare pretium sua opere, ac si esset famulus, sed etiam lucrum consentaneum. V. Si Titius apposuit centum, & Caius operam suam, & in fine negotiationis remanent biscentum, aut etiam centum, quonam pacto dividenda inter socios? VI. Quid si Titius apponat sortem, qua in principio negotiationis pereat, antequam Caius ponat adequate operam suam? VII. Est iniustus contractus, quod demur centum oves Pastori, itaut totidem reddat in fine anni, & lucrum dividatur, si non superaddatur alius contractus Assuratio. VIII. Cum eadem assurtione potest locari iusto pretio Pharmacopole Apotheca cum vasis suis, & pharmacis, cum onere, quod in fine anni totidem vasa, & pharmaca eiusdem pretii reddantur: Depurantur isti contractus a labe usura ob pretium assurtionis. IX. Sixtus V. declaravit, usurarium esse contractum Societatis, si periculum sortis non pertineat ad apponentem, quando tamen non superadditur assurtio. X. Socius tenetur ad restitutionem damni secuti alteri ex cul-

pa levi iuridica, qua sit Theologicæ gratia; non tamen ex levissima.

## De Ludo, &amp; Sponsione.

I. Ludi contractus habetur per pactum, quo victori certaminis res ab utroque exposita tribuatur. Per Sponsionem duo contententes de veritate, aut eventu rei sibi vicissim aliquid spondent dandum victori. II. Si quis certo sciat rei veritatem, num possit spondere cum altero, qui dicit se cedere iuri suo? Num possit quis spondere cum singulis ex quatuor oppositoribus, quod non sint Cathedram ascensuri? III. Qui vi, aut importunis precibus, vel conviciis perirabitur ad ludendum, retinere potest, quod vincit, quamvis alter si vincat, ad restitutionem teneatur. Idemque dicendum de eo, qui injuriam alteri facit in numero punctorum, aut aliter; ac de eo, qui fingit impericiam ludendi, ut alterum pertrahat ad ludendum. IV. Probabile tamen est, quod ad restitutionem non teneatur, qui minis inducit alterum ad ludendum, si vincat; dummodo satisfaciat pro injuria illata. V. Ludus late sumptus, seu focus, si sit moderatus ad melancholiam expellendam, pertinet ad virtutem Eutrapelie. VI. Ludus honestus vitari potest multipliciter; videlicet ratione finis mali, ratione Loci, Persona, Modi, Legis veteranis, vel ratione Persona, cum qua luditur. Quid de Clericis, aut Religiosis ludentibus? VII. Peccant mortaliter, qui domum, mensas, aleas subministrant ludentibus ludis vitis, aut intermiscendo blasphemias, furta, perjuriam. VIII. Princeps licet possit permittere peccata meretricis, non potest tamen permittere peccata ludentium inique cum fraudibus, & blasphemis. IX. Ad restitutionem damnorum tenentur, qui ad ludendum inique ludentes admittunt. X. Qui ludens ludo prohibito aliquid lu-



eratur, non tenetur illud restituere ante sententiam iudicis. Qui vero victus perdidit, probabiliter non tenetur solvere, quando datur illi facultas repetendi: Si tamen illud solverit, non potest compensare. XI. Jure Casareo qui ludit ad creditum, probabiliter non tenetur in conscientia solvere, nisi juraverit se soluturum: Quod si juraverit huius iuramenti dispensationem non esse petiturum, adhuc probabiliter potest illam petere. XII. Si uterque ludens ludo prohibito, aut ad creditum, renunciavit harum legum privilegio, adhuc probabiliter potest non solvere quod perdidit, aut in iudicio illud repetere. XIII. Ludens ad creditum cum alio ludente pecunia numerata cum animo non solvendi, si perdat, probabiliter ad restitutionem non tenetur, si lucratur. Immo ludens ludo vetito pecunia numerata cum animo repetendi, si perdat, adhuc probabiliter lucrari potest. XIV. Lucrari non potest in ludo, aut sponsione, qui certius moraliter est, quod perdere non possit. Nec qui ludit cum Religiosis, aut filiis familiaribus, qui non possunt aliquid ludo exponere. Quandoenam possunt isti quatuor, vel quinque in centum exponere ludo honesto? Restitutio in his casibus secundum se potest etiam fieri ipsi Religioso perdati. XV. Qui per fraudes aliquid lucratur, tenetur restituere non solum quod lucratus est, sed etiam quod certo moraliter aliter esset lucraturus. XVI. Qui in ludo utitur astutiis consuetis, non tenetur quicquam restituere, si lucratur. Nec tenetur ludens admonere collusorem, si videat illum errare in numero calculorum.

## ARTICULUS V. 145

### De Quasi Contractibus.

I. Obligatio ex quasi contractu habetur ratione mutui consensus non expressi, sed taciti. II. Quinque modis oriri pot-

est obligatio isthac ex quasi contractu, videlicet ex negotiis gestis, ex iniuria, ex rerum communione citra contractum societatis, ex Hereditate relate ad legata, & ex solutione indebiti facta per errorem. III. Negotiorum gestori debentur expensae, & laborum compensatio, quamvis negotiationis eventus non succedat feliciter. IV. Idem dicendum de inventore rei aliena, & de fideiussore sponte solvente pro principali; Non tamen de eo, qui ex mera liberalitate, aut pietate aliquid expendit pro alio, puta pro famulo aegroto. V. Tutori debentur a pupillo expensae; Sed salarium ille accipere non potest, nisi constituatur a Iudice. VI. Mandatario, Procuratori, Advocato ex quasi contractu debentur expensae, si gratis tale munus suscipiant: Ex contractu vero conductionis debetur salarium, si de illo conveniant. Idemque dicendum de Syndico, seu defensore, non a domino, sed a Communitate constituto, aut ab Episcopo. VII. Quando res communes pluribus ab uno administrantur cura contractum Societatis, actio datur a iuristis dicta Communi dividendo ex quasi contractu. VIII. Acceptans hereditatem ex quasi contractu tenetur solvere legata; Quod si legatarius propria auctoritate illa sibi usurpet, in partem legato privatur. IX. Qui indebitum ex errore accepit ex quasi contractu, ad restitutionem tenetur. Si tamen accipit bona fide, solum tenetur ex re accepta, & quatenus est factus ditior.

QUÆ

## QUÆSTIO X. 157

De Testamentis, Legatis, & aliis  
ultimis voluntatibus.

## ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Testamentum;  
Et quamnam ejus Conditiones?

I. Testamentum est Voluntatis nostræ  
justa sententia de eo, quod quis post  
mortem suam fieri velit cum directa  
hæredis institutione. II. Quid intersit  
inter Testamentum, & Codicillum? Et  
quot testes ad utrumque requirantur?  
III. Testamentum scriptum, seu clausum  
quomodo differat a Nuncupativo?  
IV. Quinam esse debeant septem testes  
ad Testamentum requisitum? Religiosus ne-  
quit esse testis sine sui Prælati licentia.  
V. Validum est Testamentum, quamvis  
obnoxium nullitati in foro externo, quan-  
do quis interrogat Testatorem, Num ve-  
lit Cajum instituire hæredem? & ille  
anuit. VI. Est pariter validum, si Te-  
stator coram septem testibus det alteri  
schedulam dicens, in ea suum Testa-  
mentum contineri. VII. Pactum inter  
duos de reciproca hæreditatis successione  
non valet tanquam mutua donatio ir-  
revocabilis, sed valet tanquam duo utrius-  
que Testamenta, qua ante mortem revo-  
cari possint.

## ARTICULUS II. 159

De Testamentis Privilegiatis.

I. Plura sunt Testamenta privilegiata,  
nempe ad pias causas, Tempore pe-  
stis, Militis, si fiat coram Principe, si  
ab ascendentibus inter liberos, aut si  
ruri fiat, ubi nonnisi quinque testes re-  
periantur. II. In Testamento ad pias  
causas non requiritur solemnitas juris

civilis, sed solius juris naturalis, Di-  
vini, & Gentium: Pro foro interno  
satis est, quod constat de mente Testa-  
toris. III. Parochus cum alio teste  
sufficit ad testandum, etiam in favo-  
rem propria Ecclesie. IV. Per Testa-  
mentum ad pias causas minus solempne  
revocatur aliud solempne; & probabili-  
ter etiam subsequens ad causas non pias.  
V. Testamentum sine solempnitate juris  
ad causas profanas validum est quoad le-  
gata pia; Et Testamentum sine juris so-  
lempnitate ad causas pias valet quoad le-  
gata profana. VI. Ad causas pias te-  
stari potest etiam Filiusfamilias, Im-  
pubes, Damnatus ad mortem, Prodigus,  
Mutus, & Surdus, ac similes. Qui  
committit bona sua dispositioni Titii,  
hic debet ad causas pias omnia distribu-  
ere. Voluntates Captatoria sunt irrita.  
VII. Tempore Pestis ad Testamentum sa-  
tis sunt solempnitates jure Gentium re-  
quisitæ. VIII. Quid de Testamento Mili-  
tis, sive in bellica expeditione, sive in Ca-  
stris? IX. Non requiruntur solempnitates,  
quando Testamentum fit coram Prince-  
pe, aut a Patre, Matre, vel aliis  
ascendentibus, ut hæreditas inter liberos  
dividatur. Et sufficiunt quinque testes,  
quando a rusticis in Villis degentibus  
plures haberi non possunt.

## ARTICULUS III. 161

Quinam testari possint, & Testamen-  
tum revocare?

I. Omnes testari possunt, nisi iis jure natu-  
rali, aut positivo prohibeatur. Nemo au-  
tem ad testandum tenetur; Expedit  
tamen ad pias causas aliquid relinquere.  
II. Naturali jure nequeunt testari in-  
fantes, amentes, furiosi, dum furore  
sunt correpti. III. Jure positivo vetatur  
Testamentum surdis, & Mutis a nati-  
vitate. Quid de Cacis, Prodigis, Man-  
cipiis, Usurariis, Damnatis ad mor-  
tem, Impuberibus, Filiisfamilias? Quid  
de

de Clericis; ac de Beneficiariis? Quid de Regularibus? IV. Num valide, an solum illicite absque Superioris licentia testentur, aut donent, qui vota simplicia in Societate Jesu emisserunt ante professionem? V. Quonam pacto revocari possit Testamentum? VI. Ut prius Testamentum reddat posterius invalidum, quid requiratur? Et quomodo possit posterius Testamentum invalidare prius, in quo habetur clausula invalidativa posterioris? VII. Qui juravit se non revocaturum esse Testamentum, quando nam possit illud revocare? Huiusmodi iuramentum non est contra bonos mores, nec absolute nullum.

## ARTICULUS IV. 163

Quinam possint Hæredes institui?

I. Hæredes vel instituuntur a Testatore, vel veniunt ab intestato; Vel sunt necessarii, vel non necessarii; Vel universales, & ex asse, vel particulares, quibus aliqua pars assis relinquatur. Quanam sint Assis partes? II. Hæredes necessarii quinam sint? Et quanam sit legitima portio descendentium? Quinam in portionem hereditatis admittuntur in Capita, quinam in Stirpes? In feudalibus quinam, & quomodo succedant? III. Quomodo se gerere debeat Pater, ac Mater relate ad filios illegitimos? Quid relinquere possint Spuriis præter alimenta? IV. Omnes homines, & Communitates institui possunt hæredes, nisi specialiter prohibeantur, ut Spuriis, Hæreticis, Infames, qui dicuntur intestabiles. Quid de Religiosis? Quid de Professis Societatis Jesu? Potest domus Professa Societatis Jesu institui hæres; non tamen Conventus Fratrum Minorum. V. Hæredes ab intestato quinam veniant? Quando nam succedant consanguinei in linea transversali usque ad decimum gradum? Et quando nam

Fiscus secularis, quando Ecclesiasticus succedant? VI. Uxor, quæ sine dote nupsit, quando nam succedat in quarta parte bonorum Mariti? Et quando maritus pauper in quarta parte bonorum uxoris? VII. Quid restituere debeat conjux transiens ad secundas nuptias? VIII. Hæres suus in hereditate succedit, antequam illam adeat, non vero hæres non suus. IX. Qui hereditatem accepit, num teneatur aliquando solvere creditoribus defuncti supra vires hereditatis? Et quando illi competat quarta Trebellianica, aut Falcidia?

## ARTIC. V. 167

De Renunciatione Hereditatis.

I. Hereditatis renunciatio non subsistit, nisi iuramento firmetur. II. Quid si filius post portionem suam acceptam hereditati renunciet? Quid si iuramento renunciet in præjudicium posterorum? Quid si renunciet in favorem fratris, & interim parens decedat? Renunciatio hereditatis non se extendit ad feudalia, nec ad alimenta. III. Irrita est renunciatio hereditatis, quæ speratur obventura, exceptis nonnullis casibus. IV. Quanam renunciatio hereditatis facta ante ingressum in Religionem a Tridentino irritatur? V. Hac in re nihil Tridentinum innovavit circa institutum Societatis Jesu. VI. Irrita est renunciatio facta a Candidatis Societatis in causas profanas, aut in causas pias, sed sub conditione professionis, si non fiat juxta Tridentinum. VII. Qui a Societate dimittitur, num possit repetere, quod illi donavit?

## De Codicillis.

I. Codicillus, quasi parvus Codex, est quoddam Testamentum imperfectum, supponens heredem; In eo quinque testes sufficiunt. II. In testamento carente debitis requisitis clausula Codicillaris fert, ut vim habeat Codicilli, si non desint requisita ad Codicillum. III. Vi clausula Codicillaris legata subsistunt, quamvis non subsistat heredis institutio: Sunt alii etiam ejusdem clausulae effectus. IV. Potest Codicillus esse Nuncupativus coram quinque testibus. Legatum potest nunc relinquere a Testatore; Sed heredis institutio debet ore Testatoris proferri, saltem ad alterius interrogationem.

## ARTICULUS VII. 170

## De Substitutione heredis, &amp; Fideicommissis.

I. Substitui quis potest in heredem, vel directe per substitutionem sive Vulgarem, sive Pupillarem, sive Exemplarem; Vel indirecte per Fideicommissariam, vel per Mixtam, sive Reciprocam, sive Compendiosam. II. Pupillaris substitutio habetur, si fiat haeres pupillus sub ea conditione, quod si ante pubertatem decedat, alius sit haeres: Exemplaris est instar Pupillaris, si scilicet filio amentis, surdo, & muto, aut prodigo alius in heredem substituat. III. Fideicommissaria substitutio habetur, quando gravatur haeres, ut hereditatem vel totaliter, vel partialiter alteri restituat; quod etiam fieri potest per Codicillum. IV. Potest vi hujus indirectae substitutionis fideicommissaria detrahi quarta Trebellianica, non tamen a legatis; nec si substitutio sit ad

piam causam; Nec a legatis piis detrahitur Falcidia. V. Quenam dicatur substitutio Mixta Reciproca; Quenam Compendiosa?

## ARTICUL. VIII. 172

## De Legatis, &amp; Fideicommissis particularibus.

I. Legatum dicitur donatio a defuncto relicta, & ab herede prestanda. Differt a Fideicommissio particulari in forma verborum dumtaxat; hoc enim dirigitur ad heredem, illud ad legatarium. II. Potest aliquid legari etiam iis, qui non possunt institui heredes, puta Fratribus Minoribus, relinquendo illis annuos redditus ad decennium, aut ad vitam Monachi; Possuntque heredes gravari, ut quotannis aliquid iisdem solvant. III. Domus Professa Societatis Jesu capax est etiam hereditatis; dummodo stabilia intra decennium vendantur. IV. Quonam pacto possit res aliena legari? V. Qui aliquid legat suo creditori, censetur liberaliter donare, si sit debitor ex contractu voluntario; Secus vero si sit aliunde occultus debitor. VI. Confessarius debet, quantum fieri potest, urgere, ut Testator statim restituat, cum passim Testamenta infirmantur. VII. Legatum relictum Berbe sub conditione nuptiarum debetur illi, etiamsi caste vivat. VIII. Pariter legatum relictum sub conditione, quod quis a nuptiis abstineat, dandum eidem, quamvis nubat. Non tamen si fiat sub conditione, quod non iterum nubat. IX. In favorem pie cause, & Status Religiosi, ac Sacerdotalis valet legatum relictum sub hujusmodi conditionibus. X. Conjux, qui promisit alteri se servaturum esse post ejus obitum viduitatem, quomodo ad id obligabitur, quando eo sine relinquatur illi legatum? XI. Quandonam possit  
Epi.

*Episcopus legata ad pias causas relicta commutare? XII. Non solum Judex Ecclesiasticus, sed etiam Secularis Executores Testamenti compellere potest ad solutionem Legatorum. XIII. Si legatum sit incertum respectu persona, cui*

*danda sit res legata, corrumpit; nisi sit ad pias causas; in quo casu arbitrio Episcopi vel res est dividenda, vel danda pauperibus. Sed quid si legatum sit incertum respectu rei legata?*

F I N I S.

# I N D E X

## RERUM NOTABILIVM,

Quæ in hac Quarta Parte De Contractibus continentur.

Prior numerus Quæstionem; Alter Articulum; Tertius numerum marginalem designat.

### A

**A** Podixæ, seu credita immatura num vendi possint minoris? 2. 3. 8  
Assicuratio quid ferat? 9. 5. 4. Si ea fiat gratis, reducitur ad donationem, si fiat pretio, ad venditionem. *ibid.*  
Quodnam sit pretium justum Assicurationis? *ibid.*  
Assis partes in hæreditate quænam sint? 10. 4. 1.

### B

**B**eneficiariis num sit vetita negotiatio, sicut vetatur Clericis in Sacris, ac Religiosis? 2. 4. 7  
Beneficium usurarie acceptum resignandum est, & fructus percepti in pios usus erogandi sunt. 3. 5. 3. Poterit tamen Beneficiarius uti Bulla Compositionis. *ibid.*  
Bona fide celebrans contractum usurarium poteritne retinere lucrum, quod ex contractu licito reportasset? 3. 5. 14

### C

**C**ambium est lucrosa pecuniæ cum pecunia permutatio. 6. 1. 1. Campsor quando transfert dominium pecuniæ in Campsarium? 6. 1. 2. Multiplex est Cambium. 6. 1. 3. Quodnam sit Cambii pretium justum? 6. 1. 5. Justi tituli ad lucrandum ex Cambio immuto quinam sint? 6. 2. 3. Cambium  
*Pars IV.*

locale triplex est. 6. 3. 1. Cambium, & recambium cum recursa num sit Cambium sicum? 6. 3. 6. Si bona fide detur pecunia restituenda Romæ, ubi Campsarius illam non habet, num possit lucrum retineri? 6. 3. 7. Quænam conditiones a Pio V. requiruntur, ut licitum sit Cambium, & Recambium? 6. 4. 1. Nequit pecunia ad Cambium dari, nisi pro nundinis proximis. 6. 4. 5. Probabilius etiam contra justitiam peccant, qui circa Cambia ineunt monopolia. 6. 5. 4  
Cappellanus per breve tempus ægrotans num teneatur per alium celebrare? 7. 3. 9.  
Casu fortuito si res pereat, ad quid teneatur contrahens? 1. 6. 5. Quid si distulerit restituere tempore debito? *ibid.*  
Causa finalis contractus, seu dispositionis quænam sit? Non est illa, qua deficiente, contractus non fieret, sed qua deficiente contrahens vellet nullum esse contractum. 1. 8. 6  
Clericis in Sacris, ac Religiosis sub gravi prohibetur negotiari. 2. 4. 7. Sicut etiam conducere aliena prædia, ut fructus vendant; Et emere jumenta ad locandum. *ibid.* Num possint negotiari per alios? 2. 4. 8. Non est prohibita illis negotiatio æconomica, sed lucrativa. 2. 4. 9  
Census quid, & quotuplex sit? 4. 1. 1. Num census personalis sit usurarius? 4. 1. 6. Quid de censu irredimibili, ac redimibili? 4. 1. 5., & 4. 2. 2. Quid requiritur  
C c ju-

- jure naturæ, ut census sit licitus? 4. 2. 1  
 Quid jure positivo? 4. 3. 1. Expensæ  
 quanam solvendæ a Censuario, qua-  
 nam a Censitore? 5. 2. 4. Quid si cor-  
 ruat domus censui subjecta? 4. 2. 6  
 Num in censu possit apponi poena le-  
 gis commissoria, sicut in Emphyteusi?  
 4. 2. 8. Quid de censu vitalitio? 4. 2.  
 10. Quid de redimibili, aut ex par-  
 te solius Emptoris, aut utrinque? 4.  
 2. 9.  
 Census, ut sit licitus, requirit decem  
 condiciones appositæ a Pio V. 4. 3. 3. Nū  
 in foro conscientia sit invalidus, &  
 usurarius hic contractus deficientibus  
 iis conditionibus? ibid. Explicantur istæ  
 condiciones. 4. 3. 4. Ex pensionibus  
 non solutis non potest novus census  
 fundari. 4. 3. 11. Pretium justum cen-  
 sus desumendum est a timoratorum  
 praxi. 4. 3. 14. Num Bulla Piana re-  
 cepta sit in Regno Neapolitano? 4. 4.  
 1. In dubio num res sit censuaria, an  
 emphyteutica, censenda censuaria.  
 4. 4. 4. Et in dubio num census sit ir-  
 redimibilis, censendus redimibilis?  
 4. 4. 5.  
 Codicillus, quasi parvus codex, est quod-  
 dam testamentum imperfectum. 10.  
 6. 1. Clausula codicillaris quid ferat  
 in testamento? 10. 6. 2. Codicillus pot-  
 est esse Nuncupativus coram quin-  
 que testibus; Legatum potest etiam  
 nutu relinquere; Hæredis tamen institu-  
 tio debet proferri ore a testatore, sal-  
 tem ad alterius interrogationem. 10.  
 6. 4.  
 Commodati contractus quid ferat. 9. 2.  
 6. Ad restitutionem tenetur Commo-  
 datarius ex levissima culpa juridica.  
 ibid. Expensæ ordinariæ faciendæ sunt  
 a Commodatario, extraordinariæ ve-  
 ro a Commodante. 9. 2. 7. Quando  
 potest Commodans ante tempus præ-  
 fixum repetere rem Commodatam?  
 9. 2. 8.  
 Conductor quatuor de causis expelli  
 potest ante tempus præfixum, præ-  
 fertim si pensionem non solvat. 7. 2. 2  
 Citra causam justam nequit ille ante  
 tempus dimittere rem conductam. 7.  
 2. 3. Quid si nequeat uti re conducta?  
 7. 2. 4. Quid si vespere conduxerit ope-  
 ras, & mane iis non indigeat? 7. 2. 5.  
 Si ex infortunio fructus consueti non  
 percipiuntur, poteritne pensio pro ra-  
 ta diminui? 7. 2. 6. V. *Locatio V. Fa-  
 muli.*  
 Congrui jus, seu jus Retractus quid im-  
 portat? 2. 6. 9  
 Contractus preste dictus fert mutuan  
 Contrahentium obligationem. 1. 1. 1.  
 Quatuor modis perficiuntur Contra-  
 ctus. 1. 1. 2. Multiplex est Contractus.  
 1. 1. 4. Quid sit Quasi contractus? 1.  
 1. 6.  
 Contractus quinam dicatur Nudus, qui-  
 nam Vestitus? 1. 1. 4. Quando nudus  
 transit in Vestitum? 1. 2. 5. Quinam  
 sint Contractus bonæ fidei, & stricti  
 juris? 1. 1. 5. Quinam dicantur contra-  
 ctus innominati? 1. 1. 4  
 Contractus celebratus per errorem, per  
 dolum, per metum, quando obliget?  
 1. 3. 1. Quid si desint solemnitates Ju-  
 ris? ibid. Num obliget, aut sit rescin-  
 dibilis contractus per metum levan  
 injuste incussum celebratus, aut per  
 metum reverentialem, aut per preces  
 importunas? 1. 3. 11. Num restituenda  
 sint, quæ vi talis Contractus ac-  
 quisita sunt? ibid. Num matrimonium  
 sic celebratum sit validum? 1. 3. 12.  
 Quinam contractus jure positivo sunt  
 irriti, si celebrentur per metum in-  
 justum? 1. 3. 10  
 Contractus fictus quonam pacto rati-  
 ficetur? 1. 9. 6  
 Contractus *Godere a Godere*, & Contra-  
 ctus *Mohatra* num possint ab usu ra  
 excusari? 2. 3. 12  
 Contractus conditionatus ante conditi-  
 nis purificationem non obligat. Nec  
 si sit de re turpi; At probabilis post  
 conditionem purificatam talis contra-  
 ctus obligat. 1. 8. 10. Condiciones im-  
 possibiles reddunt Contractum nul-  
 lum; In matrimoniali tamen contra-  
 ctu habentur pro non adjectis condi-  
 tiones impossibiles; necnon turpes,  
 quæ non sunt contra substantiam ma-  
 trimonii, seu contra bona fidelitatis,  
 prolis, & Sacramenti. 1. 8. 11. Pariter  
 habentur illæ pro non adjectis in ul-  
 timis voluntatibus saltem pro foro ex-  
 terno. ibid. Habentur pariter pro non  
 adjectis condiciones istæ, si non nu-  
 pteris, Si Religionem non ingrediaris.  
 1. 8. 12. Quid si legatum relinquatur  
 Virgini sub conditione quod nubat,  
 &

& ista velit ingredi Religionem? *ibid.*  
 Num possit Contrahens resilire, antequam purificetur conditio? 1. 8. 13.  
 Conditiones necessariae habentur pro impletis. 1. 8. 14.  
 Contractus per Procuratorem validus est, si revocatio procurae non sit intimata. 1. 9. 1. Excepto tamen Matrimonio, Sponsalibus, Voto, & Contractu in praedictum Tertii. *Ibid.* Mortuo Principali contractus per Procuratorem est irritus, quamvis Procurator id ignoret, si res sit integra, aut non pertineat ad causas pias. *ibid.*  
 Contractus sub causa, sub modo, sub demonstratione, sub conditione, quinam sint? 1. 8. 1. Non subsistente causa finali, contractus est invalidus; secus vero non subsistente impulsiva. 1. 8. 5.  
 Quid si testamenti causa finalis non subsistat, sed subsistat legati? 1. 8. 6.  
 In dubio num causa finalis subsistat standum pro valore actus. 1. 8. 7. Dispositio facta sub modo est valida, quamvis modus, qui sit causa impulsiva, non adimpleatur. 1. 8. 8. Error in demonstratione quando invalidat Contractum? 1. 8. 9.  
 Contrahere quinam non possint? 1. 4. 1. Quando contractus Minoris, aut pupilli est validus? *ibid.* Quid possint hac in re filiofamilias puberes, & libertati proximi? 1. 5. 6. Quid uxor sine mariti licentia? *ibid.*  
 Cooperari cum peccato proximi ponendo actiones proxime ad peccatum concurrentes non licet, ne metu quidem mortis, 7. 1. 4. Num liceat metu mortis sternere lectum meretrici? 7. 1. 3.  
 Num pariter deferre literas provocantes ad peccatum? *ibid.* Non licet aurigis concubinam ducere ad Amasium, ne lucrum amittant, 7. 1. 5. Nec licet tenere domum expositam ludentibus, qui saepe blasphemant, aut furantur. 7. 1. 4. Imo nec Principes possunt id permittere. *ibid.*  
 Culpa juridica lata, levis, levissima quinam sint? 1. 6. 1. Sine culpa gravi Theologica non datur onus restitutionis ex titulo injustae acceptionis. *ibid.* In Contractibus, qui sunt in utilitatem dantis, datur onus restitutionis ob culpam latam, si sint in utilitatem recipientis, ob levissimam; sin utriusque, ob le-

vem; quatenus ob has culpas iuridicas solet annecti culpa gravis Theologica. 1. 6. 4. Qui nequit in naufragio res suas simul, & alienas retinere, quando tenetur projicere prius proprias? 1. 6. 6.

D

**D**epositi Contractus quid ferat? 9. 2. 1. In periculo naufragii quando prius salvandae sunt res depositae, aut commodatae, vel locatae, quam propriae? 9. 2. 2. Num possit per Epikhejam depositarius uti aliquando re deposita? 9. 2. 3. Non semper depositarius tenetur reddere rem depositam. 9. 2. 5. Quid si contractus depositi transeat in mutuum? 9. 2. 4.  
 Dolus aut dat. Causam Contractui, aut incidit in Contractum. 1. 3. 1. Si sit circa substantiam, invalidat Contractum magis, quam error. 1. 3. 4. Si sit circa qualitates, & proveniat ab altero Contrahente, est rescindibilis ad arbitrium decepti. *ibid.* Quid si proveniat a tertia Persona? 1. 3. 5. Si dolus incidat in Contractum, hic est irritandus ad arbitrium decepti. 1. 3. 7. Dolus, & error circa causam finalem irritat promissionem, donationem, ac Votum, non tamen si sit circa causam impulsivam. 1. 3. 8. Nec votum huiusmodi solemne, aut Matrimonium est irritum. *ibid.*  
 Donare quinam possint? 8. 3. 1. Cui prohibetur donatio, non prohibetur donatio remuneratoria. *ibid.* Quid de donatione inter Coniuges? 8. 3. 5. Quid de donatione omnium bonorum, praesentium, & futurorum? 8. 3. 6. Donatio sine insinuatione quando est invalida? 8. 3. 7.  
 Donata res num spectet ad donatarium, an ad haeredes, si donans praemoriatur, antequam donatario innotescat donatio? 2. 2. 7.  
 Donatarius num possit retinere, quae sibi a filiofamilias sine licentia Patris donantur etiam de bonis Castrensibus, aut quasi Castrensibus? 1. 5. 6.  
 Donatio acceptata revocari potest, si sit inofficiosa, dummodo non fuerit ad pias causas. 8. 4. 2. Sicut etiam ob ingratitudinem donatarii; aut si donanti



- nanti proles deinde nascatur. 8. 4. 3.  
 In dubio num donatio fuerit causa mortis, an inter vivos, quid præsumendum? 8. 4. 5
- Donatio est nulla, si res mittatur per nuncium, aut epistolam, & interim donans moriatur. 1. 9. 2. Idemque dicendum de emptione. 1. 9. 3. Si donetur Titio res ab eo, qui non potest omnibus creditoribus satisfacere, poteritne Titius illam sibi retinere? 2. 2. 8.
- Donatio, & promissio interna non obligant, si fiant homini, sed solum si fiant Deo. 8. 2. 1. Jure positivo per donationem non transfertur dominium ante traditionem. 8. 1. 3. Donatio, & promissio, si fiant absenti per nuncium, aut per literas, quoniam pacto valide acceptentur? Et quid si ante acceptationem revocentur? 8. 2. 9. Quid si nuncius neglexerit dare donatario rem donatam ante mortem donantis? 8. 2. 11. Donatio verbalis, & promissio fere coincidunt. 8. 1. 4. V. *Promissio.*
- Donatio inter Patrem, & filium num sit valida? 8. 3. 4
- Donatio conditionata, si sit de futuro necessario, statim obligat. 8. 5. 1. Condicio impossibilis irritat Contractum; at in Contractu Matrimonii, & in ultimis voluntatibus habetur pro non adjecta. 8. 5. 3. Similiter condicio turpis; quamvis Matrimonium irritet, si sit contra ejus substantiam, seu contra tria illa bona fidei, proles, & sacramenti. 8. 5. 4. Quid de conditione illa, si non nupseris? ac de alia, Si Religionem non ingressus fueris? 8. 5. 5
- Dubitans, an contractus sit sub conditione, ita ut suspendatur usque ad conditionis adventum, an sub modo, ita ut non suspendatur, quid faciat? 1. 8. 2. In dubio num subsistat causa finalis Contractus, standum pro valore actus. 1. 8. 7
- Dubitans an contractum licitum celebrarit bona fide, poteritne lucrum inde acceptum retinere? 3. 5. 15. In dubio num res sit censuaria, an emphyteutica, censenda est censuaria. 4. 4. 4. Et in dubio num census sit irredimibilis, censendus est redimibilis. 4. 4. 5.
- Dubitans num donatio facta fuerit causa mortis, an inter vivos, quid præsumi debet? 8. 4. 5

## E

**E**mphyteusis quid sit, & quomodo a Feudo discriminetur? 5. 1. 4. Quid sit contractus subemphyteuticus, & subfeudalis, seu libellus? 5. 1. 3. Multifariam dividitur Emphyteusis; sicut & feudum. 5. 1. 7. Uterque contractus varias condiciones requirit. 5. 2. 1. Quid requiritur, ut emphyteuta possit jus suum alteri donare? 5. 2. 3. Quando hic incidit in commissum, si pensionem non solvat? 5. 2. 4. Qui incidit in caducitatem, quomodo poterit moram purgare? 5. 2. 6. Num pensio integra solvenda sit, si res emphyteutica deterior fiat? 5. 2. 5. Si ea transeat in manus mortuas, solvi debet domino directo quinquennium. 5. 2. 7. Quinam dare possint res in Emphyteusim, & in feudum? 5. 3. 1. Quinam possint in feudum succedere? 5. 3. 4. Fœmina non succedit, nisi expresse admittatur. 5. 3. 5. Quinque de causis potest Feudum amitti sine culpa Feudatarii. 5. 3. 5. Quomodo per culpam amittatur? 5. 3. 6. In feudalibus quinam, & quando succedant? 10. 4. 2. Renunciatio hæreditatis non se extendit ad feudalia, sicut nec ad alimenta. 10. 5. 2

Emptio, & venditio requirunt traditionem pretii, vel mercis, non ad contractum perficiendum, sed ad transferendum dominium. 2. 1. 1. Debetur ne laudemium domino tempore venditionis, an tempore traditionis? 2. 1. 2. Quænam res emi, aut vendi non possint? 2. 2. 1. Quid si ex rei venditione malum alteri proveniat? 2. 2. 2. Num vendi possint officia publica Gubernatoris, Judicis, &c.? 2. 2. 3. Quid de re furtiva bona, vel mala fide emptæ, & alteri venditæ? 2. 2. 4. Venditio rei alienæ est invalida quoad transferendum dominium rei, non pretii. 2. 2. 5. Num possint ultra taxam vendi res notabiliter meliores? 2. 3. 2. Quid de vino aqua diluto? ibid. Pretium justum rerum, quæ in subastatione, aut per proxenetas ven-

*Index Rerum Notabilium.*

venduntur, quodnam sit. 2. 3. 3.  
 Quid de mercibus ultroneis? 2. 3. 6.  
 Quid de mercibus, quæ venduntur  
 credito, aut solutione anticipata? 2. 3.  
 7. Si pretium venditori assignetur a  
 domino, poteritne excessum pretii  
 venditor sibi retinere? 2. 3. 4. Credi-  
 ta immatura num possint minoris emi  
 citra usuram? 2. 3. 8. Quamvis pro fo-  
 ro externo contractus non sit rescin-  
 dendus, nisi læsio fuerit ultra dimi-  
 dium; At pro foro interno si læsio  
 sit notabilis, est corrigenda. 2. 3. 11.  
 Quid de venditione cum pacto re-  
 trovenditionis? De Contractu *Godere*  
*a Godere*, ac de contractu *Mohatra*.  
 2. 3. 12. V. *Pretium*. *Monopolium*, *Sub-*  
*hastatio*, *Venditio*.  
 Episcopi nequeunt interservientibus pro  
 famulatu Beneficium conferre citra Si-  
 moniam. 7. 3. 5. Quonam pacto eor-  
 um obsequia compensentur? *ibid.*  
 Episcopus quando potest legata ad pias  
 causas commutare? 10. 8. 11. Quid  
 possit circa legata incerta, sive rela-  
 te ad personam, cui sint relicta, sive  
 relate ad rem legatam? 10. 8. 13  
 Error circa substantiam invalidat con-  
 tractum, non vero circa qualitates,  
 nisi exprimantur. 1. 3. 3. Error cir-  
 ca causam finalem non irritat Matri-  
 monium, aut Professionem Religio-  
 sam, licet irritet votum simplex. 1. 3. 9.  
 Evictio quid sit? 1. 9. 4. Universum in  
 Contractibus onerosis datur obliga-  
 tio de evictione. 1. 9. 5. Nonnulli cas-  
 sus excipiuntur. *ibid.*

**F**

**F**alcidia a legatis piis non detrahitur.  
 10. 7. 4. Quando ea competit hære-  
 di? 10. 4. 9  
 Famulorum stipendium quodnam sit? 7. 3. 1.  
 Quid si ultro se offerant ad interservien-  
 dum? 7. 3. 3. Quid de pueris honorariis?  
 7. 3. 4. Quid si ægrotent? 7. 3. 8. Quid  
 si necessitate coacti paciscantur de  
 pretio injusto? 7. 3. 6  
 Feudum. V. *Emphyteusis*.  
 Fideicommissaria substitutio quænam  
 sit? 10. 4. 13  
 Fideicommissum particulare differt a  
 legato. 10. 8. 1  
 Fideiussio quid ferat? 9. 1. 1. Num pos-  
 sit citra usuram accipi aliquid a ma-  
 tuatario pro fideiussione? 9. 1. 3. Quid  
 si plures in solidum fideiubeant? 9. 1. 2.  
 Obligatio fideiussionis transit ad hæ-  
 redes. *ibid.*  
 Filiis illegitimis, & spuriiis quid teneantur  
 dare Parentes? 10. 4. 3. spurii  
 sunt intestabiles. 10. 4. 5  
 Filiusfamilias, pubes, & pubertati pro-  
 ximus num possint contrahere? 1. 4. 5.  
 Quænam sint filiorum bona Castren-  
 sia, Quasi castrensia, Adventitia,  
 & Profectitia? 1. 5. 5. Filiusfamilias,  
 si non alatur a Patre, non debet il-  
 li operas suas artificiales, sed obse-  
 quiales. 1. 5. 7  
 Fiscus quando succedit in hæredita-  
 tem? 10. 4. 5  
 Fratibus Minoribus potest aliquid lega-  
 ri, puta relinquendo illis annuos red-  
 ditus ad decennium, aut ad vitam  
 Monachi 10. 8. 2

**G**

**G**abella quando, & cui debetur ex  
 vi venditionis rei? 2. 1. 2. Artifex  
 debet gabellam solvere, si ponat ma-  
 teriam simul, & operas; non tamen  
 si eas ponat ædificando in fundo a-  
 leno. 2. 1. 4

**H**

**H**æredes gravari possunt, ut quotan-  
 nis aliquid solvant Fratibus Mino-  
 ribus. 10. 8. 2  
 Hæredes quinam veniant ab intestato,  
 & quinam sint necessarii? 10. 4. 1.  
 Quinam admittantur in Capita, qui-  
 nam in Stirpes? 10. 4. 2. Quid relate  
 ad feudalia? Quid relate ad filios Spu-  
 rios? *ibid.* Quinam dicantur intestabi-  
 les? 10. 4. 4. Domus Professa Societa-  
 tis potest hæres institui; non tamen  
 Fratrum Minorum Conventus. *ibid.*  
 Quando hæreditas pertinet ad Fiscum?  
 10. 4. 5. Quando uxor succedit in  
 quarta parte bonorum mariti? Et  
 quando maritus in bona uxoris? 10.  
 4. 7. Hæres suus succedit in hæredita-  
 te antequam illam adeat, non vero  
 hæres non suus. 10. 4. 8  
 Hæreditatis renunciatio quando est irri-  
 ta? 10. 5. 1. Quid de renunciatione  
 C c 3 fa-

facta a Candidatis Societatis ante ingressum? 10. 5. 6  
 Hypotheca in quo differat a contractu Pignoris? 9. 1. 5. Hypotheca tacita habetur, quando ex juris dispositione involvitur in aliquo contractu. 9. 1. 7  
 Hypotheca generalis extenditur ad bona etiam futura, quæ tamen vendi possunt, dummodo pretium succedat loco rei. 9. 1. 8. In contractu census ex Bulla Piana requiritur hypotheca specialis, quamvis addi soleat hypotheca generalis ad securitatem solutionis pensionis. 4. 3. 4

I

**I**nstitutoris contractus validus est, quoties non est publice proposita revocatio institutoris. 1. 9. 3  
 Intendens principaliter lucrum ex mutuo conferendum citra pactum ex gratitudine num peccet? 3. 5. 3. Quid de Canonico intendente principaliter distributiones? ibid.  
 Juramentum confirmare contractum est dare robur contractui irrito jure positivo. 1. 4. 1. Dummodo tamen contractus, aut juramentum superadditum non extorqueantur metu injusto. 1. 4. 4. Quinam possit hujusmodi juramentum relaxare? 1. 4. 5. Ex traditione Ecclesiæ Votum simplex metu extortum non indiget relaxatione, ut non fervetur, non vero juramentum. 1. 4. 6. Juramentum metu injusto extortum superadditum Contractui, qui a lege propter bonum publicum irritatur, non obligat, nec indiget relaxatione. 1. 4. 7. Probabiliter est hujusmodi votum Religionis. ibid. Juramenta isthæc non possunt relaxare Regulares privilegiarii, quamvis possint vota jurata commutare. 1. 4. 8. Quanam causa requiritur, ut a Prælato relaxari possint? 1. 4. 9

L

**L**æsis ultra dimidium in contractu Emptionis quid importet? 2. 5. 2.  
 Laudemium quando debetur? 2. 1. 2  
 Legata ad pias causas relicta quando possint Episcopus commutare? 10. 8. 11. Etiam Judex sæcularis potest compelle-

re ad legatorum solutionem. 10. 8. 12  
 Quid de Legatis incertis? 10. 8. 13  
 Legata ex quasi contractu solvenda sunt ab eo, qui hæreditatem acceptat; Si tamen Legatarius propria auctoritate ea sibi usurpet, iis privandus est. 9. 5. 8.  
 Legata relicta in testamento minus solemni num sint solvenda? 1. 3. 14. Legatum relictum pro Virginibus maritandis num possit illis dari, si Religionem ingrediantur? 1. 8. 12  
 Legatum quid sit, & in quo differat a fideicommissio particulari? 10. 8. 1. Potest aliquid legari Fratribus Minoribus relinquendo illis annuos redditus ad decennium, aut ad vitam Monachi: Possuntque gravari hæredes, ut quotannis aliquid illis solvant. 10. 8. 2. Res aliena quomodo legari possit? 10. 8. 4.  
 Num legans aliquid suo creditori, censetur velle debitum extinguere? 10. 8. 5. Quid de legato relicto Bertæ sub conditione nuptiarum? 10. 8. 7. Aut sub conditione quod non nubat? aut quod non iterum nubat? 10. 8. 8. Quid si promiserit marito servare viduitatē post ejus obitum, & idcirco ei legatum relinquatur? 10. 8. 10  
 Locans operam suam in solidum pluribus num possit a singulis integrum stipendium accipere? 5. 3. 10  
 Locatio, & Conductio sunt correlativa. 7. 1. 1. Num possit res locata sublocari? 7. 1. 2. Quomodo possit res usu consumptibilis locari? ibid. Quinam possit domum locare Meretrici, aut Usurario? 7. 1. 3. Non licet domum tenere expositam ludo, si ut plurimum ludentes blasphement, aut furentur. Nec possunt id Principes permittere, quamvis possint permittere meretrices. 7. 1. 4. Poterit tamen hoc in tremitibus, & Castris permissi. 7. 1. 7  
 Lucrum cessans ex contractu illicito non est compensandum Mutuanti. 3. 5. 4  
 Quandonam tenetur Mutuatarius compensare lucrum cessans ex Contractu licito? 3. 5. 3  
 Ludi contractus quid ferat? 9. 4. 1. Qui certo scit aliquid, nequit spondere cum altero, qui dicat se cedere juri suo. 9. 4. 2. Qui vi, aut importunis precibus cogitur ad ludendum, potest retinere, quod vincit; quamvis alter non possit.

possit. 9. 4. 3. Neque potest lucrum retinere qui fingit imperitiam, ut alterum decipiat, & qui decipit in numero punctorum. *ibid.* Quid si quis minis inducat alterum ad ludendum, & satisfaciat pro injuria illata? 9. 4. 4. Ludus moderatus pertinet ad virtutem Eutrapeliæ. 9. 4. 5. Quid de Clericis, ac Religiosis ludentibus? 9. 4. 6. Quid de cooperantibus ad ludum, in quo sæpe blasphematur, aut pejeratur? 9. 4. 7. Qui ludit ad creditum ludo vetito probabiliter non teneturolvere jure Casareo. 9. 4. 11. Quid si ludens hoc animo non solvendi vincat? 9. 4. 13. Non tenetur ludens monere alterum, si erret in numero punctorum. 9. 4. 16

M

**M**atrimonium in initum ex metu levi injuste incusso ad illud extorquendum num sit irritum? 1. 3. 12. Quid de Matrimonio inito per dolum circa causam finalem? 1. 3. 9

Matrimonium per Procuratorem. V. *Contractus per Procuratorem.*

Matrimonium propter aliquod impedimentum invalidum ut revalidetur, debetne utrique parti nullitas Matrimonii innotescere? 1. 9. 7. Si sit invalidum per hoc, quod alter fecte, aut per metum consenserit, num ratificetur per verum, aut liberum consensum dumtaxat internum? 1. 9. 6

Matrimonium validum est, quamvis in eo apponantur conditiones impossibiles, aut etiam turpes, quæ non sint contra substantiam Matrimonii, seu contra tria illa bona fidelitatis, prolis, & Sacramenti. 1. 8. 1

Metus est multiplex, justus, injustus, gravis, levis, proveniens a causa necessaria, vel a libera, incussus ad extorquendum Contractum, aut ad alium finem. 1. 3. 1. Jure naturæ est validus contractus in initum per metum gravem ad illum extorquendum, sed rescindibilis: At Matrimonium jure positivo est irritum; sicut Professio Religiosa, donatio, & similia sic celebrata. 1. 3. 10. Si metus non sit incussus ad contractum extorquendum, hic non est irritus, nec irritandus, Matri-

monio excepto, ac Professione Religiosa. 1. 3. 11. Quid de metu levi, de reverentiali, ac de precibus importunis? *ibid.*

Minorum contractus sine auctoritate Tutoris num sit irritus? 1. 3. 14

Mohatræ contractus num sit licitus aliquando? 2. 3. 13

Monopolium quadrupliciter contingere potest. 2. 4. 1. Quando est contra justitiam, & quando solum contra charitatem? 2. 4. 2

Montes pietatis, præsertim Mixti, quomodo ab usura excusentur? 3. 4. 13

Mutuans supplendo vices fidejussoris poteritne citra usuram aliquid exigere a mutuatario? 3. 5. 4

Mutuuum in quo differat a Commodato? 3. 1. 1. Quinam jure positivo deobligentur a restitutione mutui? 3. 1. 4

N

**N**egotiatio mali speciem præfert. 2. 4. 6. Prohibetur graviter Clericis in Sacris, ac Religiosis. 2. 4. 7. Num etiam Beneficiariis? *ibid.* Negotiatio tamen non lucrativa, sed œconomica non prohibetur. 2. 4. 8

Negotiorum gestori debentur expensæ, & laborum compensatio, quamvis negotiationis eventus non succedat ex voto. 9. 5. 3

Nudum pactum juramento vestitur, & parit obligationem civilem. 1. 2. 5

O

**O**bligatio ad non repetendum mutuum per tempus determinatum num sit pretio æstimabilis? 2. 5. 8

Obligatio vel est solum in conscientia, vel est Civilis, vel Civilis simul, & Naturalis, ita ut pro utroque foro liget. 1. 2. 2. Quinam contractus pariunt obligationem naturalem, quinam civilem, quinam utramque? 1. 2. 4

P

**P**acta nuda quando evadant vestita? 1. 2. 5.

Pactum additionis in diem, & Pactum le-

- legis commissoriæ quid importent? 2. 6. 8.
- Pactum nudum, & vestitum V. *Contractus.*
- Parochus cum alio teste satis est ad testamentum etiam in favorem propriæ Ecclesiæ. 10. 2. 4.
- Pauper fingens paupertatem restituere tenetur eleemosynas magnas, non tamen modicas. 1. 3. 8.
- Periculum amittendi sortem in mutuo quanti æstimandum est? 2. 5. 7.
- Pharmacopolæ quonam pacto locari poterit apotheca cum vasis suis, & pharmacis cum onere, quod in fine anni totidem reddat ejusdem valoris? 9. 3. 8.
- Pignoris contractus in quo differat ab hypotheca? 9. 1. 5. Quæ vendi non possunt, nec possunt dari in pignus; quamvis res Sacræ, quæ non possunt vendi, possint in aliquibus casibus oppignorari. 9. 1. 6. Quandonam possit creditor uti pignore? 9. 1. 9. Num, & quando possit tam in foro fori, quam in foro poli pignus vendi? 9. 1. 10.
- Pignoris fructus dati mutuanti, num debeant in extinctionem sortis computari? 3. 5. 12.
- Pœna num possit Mutuatario imponi, si præfixo tempore non solvat? Et an illa in conscientia debeatur? 3. 5. 10. Quid de pœna legis Commissoriæ? 3. 5. 11.
- Pollicitatio facta Ecclesiæ num obliget? 1. 2. 7.
- Pollicitatio ante acceptationem neque naturalem, neque civilem obligationem inducit, nisi tamen fiat Civitati, aut Reipublicæ ob causam. 1. 2. 6.
- Precarii contractus quid ferat? 9. 2. 9. Non cessat precarium morte concedentis, sed morte accipientis, ita ut non transeat ad hujus hæredes. 9. 2. 10.
- Pretium justum rerum quodnam sit? 2. 3. 1. Quid in subhastatione? Quid de mercibus ultroneis? Quid de rebus, quæ per proxenetas venduntur? 2. 3. 3. Quid si res vendatur ad creditum? Quid si anticipata solutione? 2. 3. 7. Quid si valor rei ignoretur a vendente? Quid si ignoretur communiter? 2. 3. 10. V. *Emptio.*
- Pretium rei, quæ venditur cum pacto retrovenditionis, quodnam sit? 2. 5. 12.
- Promissio facta Civitati obligat ante acceptationem jure positivo. 8. 2. 6. Quid si fiat ad pias causas? *ibid.*
- Promissio in materia gravi num obliget graviter? 8. 2. 15. In quo discriminatur obligatio ex Fidelitate ab obligatione ex Justitia? 8. 2. 14. Materia notabilis major est relate ad fidelitatem, quam relate ad justitiam. 8. 2. 7. Nonnullæ promissiones jure positivo non obligant, nisi positum juramento. 8. 2. 19. Quid de promissione facta ob turpem causam? 8. 2. 18. In promissione solet subintelligi conditio illa, Nisi rerum status notabiliter mutetur. 8. 2. 16. V. *Donatio.*
- Promissio prodiga ad quid obliget? 8. 1. 2. Inter promissionem, & donationem verbalem fere nullum est discrimen. 8. 1. 3. Per quid differat promissio a pollicitatione, a stipulatione, & a pacto? 8. 1. 5. Promissio interna facta homini cum juramento, si non fiat hoc per modum voti, non obligat. 8. 2. 3. Sicut neque externa ante acceptationem. 8. 2. 5.
- Promittens obligatur ex justitia, si juret, aut instrumentum publicum faciat; secus ex fidelitate. Num hæc obliget sub gravi? 1. 2. 3.
- Pupilli, & Minoris contractus quid requirant ad validitatem? 1. 4. 2. Quando iis competat restitutio in integrum? 1. 4. 3.

Q

Quasi contractus quid sit, & quam obligationem ferat? 9. 5. 1. Quinque modis isthæc obligatio oriri potest. 9. 5. 2. Quid debetur ex quasi contractu Negotiorum gestori? *ibid.* Quid Tutori? 9. 5. 5. Quid Mandatario, Advocato, Procuratori, Syndico? 9. 5. 6. Quibusnam datur actio de communi repetendo ex quasi contractu? 9. 5. 7.

Quindennium quando solvi debet? 5. 2. 7.

Re-

R

**R**egulares privilegiarii, qui possunt vota jurata commutare, non eatenus possunt relaxare juramenta superaddita contractui metu injusto extorta. 1.4.8  
 Religiosi, quibus permittitur aliquid expendere, num peccent contra votum, si expendant ad usus turpes? 8.3.3. Quid si luserint? 8.4.6  
 Religiosis quænam negotiatio prohibetur sub gravi? 2.7.8. V. *Clericis*.  
 Renunciatio hæreditatis non subsistit, nisi juramento firmetur. 10.5.1. Quid si fiat in præjudicium aliorum? 10.5.2. Quid de renunciatione ante ingressum in Religionem? 10.5.4. Renunciatio hæreditatis non se extendit ad feudalia, nec ad alimenta. 10.5.2  
 Restituendane sint, quæ sunt acquisita vi contractus per metum leuem injuste incussum ad illum extorquendum celebrati; aut per metum reverentialem, vel per preces importunas? 1.3.11.  
 Restitutio in integrum competit Pupillo, & Minori absque licentia debita contrahentibus. 1.5.3., & 1.7.2. Probabiliter isti possunt non solvere, quæ per tales contractus debent, si per restitutionem in integrum ea repetere possunt. 1.5.4. Quid ferat restitutio in integrum? 1.7.1. Quibusnam universim ea competat? 1.7.3. Quomodo possint Majores contrahendo cum Minoribus præcavere damnum restitutionis in integrum? 1.7.4  
 Restitutionis onus supponit culpam Theologicam, si oriatur ex injusta acceptione. 1.6.1. V. *Culpa juridica*.  
 Retractus jus, seu jus congrui quid ferat? 2.6.9

S

**S**acerdos, qui necessitate coactus duo Sacra promisit pro uno stipendio consueto, poteritne unum dumtaxat Sacrum facere? 7.3.7  
 Societatis contractus quid ferat. 9.3.1. Multifariam celebrari potest. 9.3.2. Periculum fortis penes quem sit? *ibid.* Quid requiritur, ut Societas fiat ad

caput salvum? 9.3.3. Colonus ex societate non solum reportare debet pretium laboris, sed etiam lucrum consentaneum. 9.3.4. Quomodo lucrum dividendum? 9.3.5. Quomodo poterit Pharmacopolæ locari Apotheca cum vasis suis, & pharmacis, ita ut in fine anni totidem reddantur ejusdem valoris? 9.3.8. Sixtus quintus quem societatis contractum declaravit usurarium? 9.3.9. Socius tenetur ad restitutionem damni secuti ex culpa levi juridica, gravi tamen Theologica. 9.3.10  
 Societatis Jesu domus Professa capax est hæreditatis, quamvis illius capax non sit Conventus Fratrum Minorum. 10.4.4. Candidati Societatis si ante ingressum renuncient sua bona, & non juxta Tridentinum, num valide renuncient? 10.5.6. Tridentinum irritans renunciationes factas ante ingressum in Religionem nihil innovavit circa institutum Societatis. 10.5.5. Qui a Societate dimittitur, non potest repetere, quæ illi donavit. 10.5.7  
 Solemnitates substantiales juris, si deficient, reddunt contractum irritum in foro externo; & probabiliter etiam in foro interno. 1.3.13. Testamentum tamen hujusmodi solum pro foro externo est irritum. *ibid.* Num sint restituenda, quæ per contractum gratiosum sine solemnitatibus juris accepta sunt? 1.3.14. Quid de legatis in testamento minus solemniter relictis? *ibid.*  
 Sponsalium contractus non obligat, si notabilis mutatio superveniat, aut de novo appareat. 1.3.5  
 Subhastatio quid sit, & quodnam rerum pretium in ea? 2.3.3. Quid si ficti licitatores apponantur? 2.4.4  
 Substitutio in hæreditate est multiplex. 10.7.1. Pupillaris quænam sit? Quænam Exemplaris? Quænam Fideicommissaria? Quænam Mixta reciproca? Quænam Compendiosa? 10.7.2

Te

## T

**T**estamentum quid sit; & in quo differat a Codicillo? 10. 1. 1. Quomodo differat scriptum, seu clausum a Nuncupativo? 10. 1. 3. Quinam testes requirantur? 10. 1. 4. Quid si testator per nutus, aut per schedulam velit testamentum conficere? 10. 1. 6. Pactum inter duos de reciproca hereditatis successione valet tanquam duo utriusque testamenta revocabilia, non tanquam mutua donatio irrevocabilis. 10. 1. 7.

Testamenta privilegiata sunt plura. 10. 2. 1. Si fiat ad pias causas testamentum, non requirit solemnitates juris civilis. 10. 2. 2. Parochus cum alio teste satis est ad testamentum etiam in favorem propriæ Ecclesiæ. 10. 2. 4. Per testamentum ad pias causas revocatur aliud ad causas non pias, & probabiliter etiam subsequens. 10. 2. 5. Testamentum ad causas profanas sine solemnitate juris valet quoad legata pia, & si sit ad causas pias, valet quoad legata profana. 10. 2. 5. Ad causas pias quilibet testari potest; & si quis committat dispositioni alterius sua bona, hic debet ad causas pias ea distribuere. 10. 2. 6. Quid de testamento, quod fit tempore pestis, aut a milite in bellica expeditione, vel in Castris, aut coram Principe, aut coram Parentibus. aut in villis? 10. 2. 8.

Testamentum deficientibus juris solemnitatibus solum pro foro externo est irritum. 1. 3. 13. Legata in testamento minus solemniter relicta num sint solvenda? 1. 3. 14. Testamentum, & Legatum, si fiant per metum gravem incussum ad ea extorquenda, jure positivo sunt irrita; sicut etiam donatio, sponsalia, renunciatio Beneficii, & similia. 1. 3. 10. Num sit validum testamentum in foro conscientie celebratum cum solis requisitis jure nature necessariis? 1. 3. 13. In ultimis voluntatibus conditiones impossibiles habentur pro non adjectis saltem pro foro externo. 1. 8. 11.

Testamentum illorum, qui vota sim-

plicia in Societate Jesu emisissent sine licentia Superioris, num sit etiam invalidum? 10. 3. 4.

Testamentum quomodo revocari possit? 10. 3. 5. Quomodo posterius possit revocari prius, in quo sit clausula invalidativa posterioris? 10. 3. 6. Quid si quis juraverit se non revocaturum testamentum? 10. 3. 7. V. *Heredes V. Codicillus.*

Testari quinam possint? Qui nam veteratur condere testamentum? 10. 3. 1. Quid de Beneficiariis? Quid de Religiosis? 10. 3. 3.

Trebellianica. V. *Falcidia*. Vi substitutionis indirectæ fideicommissariæ num possit detrahi quarta Trebellianica? 10. 4. 2.

Tutori debentur expensæ a pupillo: Salarium tamen ille recipere non potest, nisi a Judice constituatur. 9. 5. 5.

## V

**V**enditio. V. *Emptio*. Quinam defectus rei, quæ venditur, detegendi sunt? 2. 5. 2. Quando etiam abemente valor rei ignoratus a venditore detegendus est? 2. 5. 4. Rei venditæ fructus pendentes ad quem spectant, quando pretium non est solutum? 2. 6. 2. Quid si contractus venditionis post annum rescindatur? 2. 6. 5. Quid si rescindatur ob pactum additionis in diem, vel legis commissoriæ? 2. 6. 8. Aut si rescindatur jure retractus, seu jure congrui? 2. 6. 9. Res vendita si sit determinata, cuiam perit, aut deterior, vel melior sit ante traditionem pretii? 3. 7. 2. Quid si sit indeterminata? 3. 7. 3. Aliter dicendum si res vendatur ad corpus, ac si vendatur ad mensuram. 3. 7. 4.

Votum simplex emissum per dolum circa causam finalem est irritum; non tamen votum solemnne; sicut nec matrimonium. 1. 3. 9.


Votum simplex metu extortum ex traditione Ecclesiæ non indiget dispensatione, ut non servetur; Juramentum vero sic extortum indiget relaxatione. 1. 4. 6. Regulares privilegiarii, qui possunt vota jurata commutare, non eatenus possunt relaxare juramenta, super-

peraddita contractui metu injusto extorta. 1. 4. 8  
**Usura** est lucrum immediate proveniens ex Mutuo. 3. 2. 1. Pactum solvendi aliquid ex gratitudine propter mutuum est usurarium. *ibid.* Num possit in pactum deduci amicitia propter mutuum? 3. 2. 4. Num liceat excitare mutuatarium ad aliquid liberaliter donandum? 3. 2. 5. Quid si dubites, an Mutuarius aliquid donet liberaliter? 3. 2. 6. Num liceat mutuare cum spe, & intentione lucri citra pactum? 3. 2. 3. Num possit Mutuatio imponi onus ponendi id, quod debet ponere ex charitate? 3. 3. 2. Quid si quis mutuet cum pacto, quod alter remuneret? Aut quod ad suam scholam, seu molendinum veniat? 3. 3. 4  
**Usura** probabiliter non est vendere merces pretio justo summo ad creditum, quæ pretio infimo darentur pecunia numerata. 3. 3. 5. Quid si mutuetur triticum vetus cum pacto, quod restituatur novum? 3. 3. 7. Quid requiritur, ut possit mutuans pacisci de compensando lucro cessante ob dilationem mutui? 3. 4. 3. Num debeat mutuarius moneri, ut teneatur damnum emergens compensare? 3. 4. 2. Spes lucri cessantis quanti æstimanda est; ficut etiam periculum proximum amittendi sortem? 3. 4. 4. Pro obligatione non repetendi mutuum usque ad certum tempus nihil accipi potest. 3. 4. 6  
**Usurarius**ne sit contractus Trium; Aut emptio Censu utrinque redimibilis; aut venditio rei fructiferæ cum pacto retrovenditionis, & locatione ejusdem

eidem venditori? 3. 4. 8. Quid de contractu *Godere a Godere*? 3. 4. 9. Num possit pœna imponi Mutuatio, si non solvat præfixo tempore? 3. 4. 10. Quid de pœna legis Commissorie? 3. 4. 11. Fructus pignoris num debeant computari in extinctionem sortis? 3. 4. 12. Quid de Montibus pietatis præsertim Mixtis? *ibid.* Celebrans bona fide contractum usurarium poteritne reportare lucrum, quod ex contractu licito reportasset? 3. 4. 13. Qui dubitat, an contractum licitum celebraverit, poteritne lucrum retinere? 3. 4. 14  
**Usurarius** non acquirit dominium rerum, quæ in individuo ob mutuum accipit. 3. 5. 1. Quid si eas vendiderit? *ibid.* Quid si cum propriis miscuerit, nec possint discerni? 3. 5. 2. Tanquam fur tenetur fructus naturales, & mixtos, non vero industriales restituere. 3. 5. 3. Tenentur etiam, qui cooperati sunt ad usuram ex parte mutuantis, non vero ex parte Mutuatarii. 3. 5. 4. Sex pœnis a jure mulctantur Usurarii manifesti. 3. 5. 5. Num peccet, qui petit mutuum ab Usurario ad usus vanos? 3. 5. 8. Punitio hujus delicti num spectet etiam ad Judicem secularem? 3. 5. 6.  
**Uxor**, quæ sine dote nupsit, quando succedit in quarta parte bonorum mariti? Et quando maritus pauper in quarta parte bonorum uxoris? 10. 4. 6. Conjux transiens ad secundas nuptias quid restituere teneatur? 10. 4. 7.  
**Uxor** sine mariti licentia num possit contrahere? 1. 5. 6

F I N I S.





F I N I S

